This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Digitized by Google

UNIVERSIDAD COMPLUTENSE

5319423029
D 22906 150-4-38

Digitized by Google

22906

38 - 3

INSTITUTIONES
JURIS CANONICI
IN
VARIOS TRACTATUS DIVISÆ.

Digitized by Google

Hujusce libri auctor ac editor jus retinent illum transferendi, vel curandi ut ille transferatur quodlibet in idioma. Legibus, edictis, conditionibusque pactis inter gentes freti, quamcunque adulterationem interpretationemve, nulla sui juris habita ratione confectam, persequentur.

Id opus, ad normam a legibus præscriptam, in fidem publicam, depositum fuit Parisiis, per mensem junii anni reparatæ salutis millesimi octingentesimi quinquagesimi septimi; omnesque sancitæ formulæ in diversis imperiis, quibuscum litterarias pactiones Gallia inivit, fuerunt expletæ.

VENIT :

ROMÆ. . . . . apud	MERLE.
—	BONIFAZIO.
MEDIOLANI.	[illegible].
—	BONARDI POGLIANI.
TAURINI	Hyac. MARIETTI.
FLORENTIÆ.	P. DUCCI.
GENUÆ.	BETTOLO ANTONIO.
NEAPOLI	G. DURA.
CAMBERII.	PUTHOD.
GENEVÆ	BERTHIER GUERS.
—	Marcum MEHLING.
FRIBURGI.	P. MEYLL.
MADRITI	Carolum MONNIER.
LONDINI	BURNS et LAMBERT.
BRUXELLIS	DEWAGENEER.
TORNACI	J. CASTERMAN et filios.
SILVÆ DUCIS	VANHOEVAN.
WURTZBURGI	STAHEL.
COLONIÆ.	HEBERLE.
LIPSIÆ.	Alph. DURR.
CRACOVIÆ	Val. WIELOGLOWSKI.
PETROPOLI	ISAKOFF.

Atrebati. — Ex Typis E. Lefranc, via vulgo dicta Saint-Maurice, 26.

Digitized by Google

K
(02)
a
B 72 d

TRACTATUS

DE

JURE REGULARIUM

UBI ET DE RELIGIOSIS FAMILIIS,

QUÆ VOTA SOLEMNIA,

VEL ETIAM SIMPLICIA PERPETUA NON HABENT,

AUCTORE

D. BOUIX,

THEOLOGIÆ ET UTRIUSQUE JURIS DOCTORE.

TOMUS PRIMUS.

UNIVERSITÉ DE LAVAL

PARISIIS,

APUD JACOBUM LECOFFRE ET SOCIOS, BIBLIOPOLAS,

VIA VULGO DICTA DU VIEUX-COLOMBIER, 29.

1857.

Digitized by Google

Digitized by Google

AUTORISATION

DE MONSEIGNEUR L'ÉVÊQUE D'ARRAS, DE BOULOGNE ET DE SAINT-OMER.

M. l'abbé D. Bouix Nous ayant demandé l'autorisation de faire imprimer dans Notre ville épiscopale un traité intitulé : *de Jure regularium,* Nous avons fait examiner cet écrit, et, sur le rapport qui nous a été fait, Nous en avons permis l'impression.

Donné à Arras, le 23 mai 1857.

Pour Monseigneur en tournée :

LEQUETTE, vic. gén.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROŒMIUM.

Cætera, quæ mihi, ob doctrinam in meis de jure sacro voluminibus expositam, perferenda fuere gravamina, lubens sileo. Unum tamen est, lector benevole, quod omnino a me repelli debuisse facile quisque perspiciet. Rem paucis excipe : sparsus Romæ primum, tum per Galliam et Belgium citissime perlatus rumor, a Pio Papa IX feliciter regnante (quem diu nobis Deus incolumem servet) haudquaquam probari tractatus a me editos : imo et de *infenso* (ut dicebatur) Sanctissimi in me librosque meos animo multa multimode asserebantur : ut adeo jam fere a nonnullis meorum voluminum condemnatio præcineretur atque expectaretur. Hæc autem, apud gravissimos etiam viros, fidem aliquatenus consequebantur.

Quæ procella, non ex ullorum malitia (ut reor),

Digitized by Google

sed ex aliquorum forte levitate et imprudentia, in me excitata, ut ad Sanctissimi notitiam perferretur procurandum existimavi.

Quapropter Reverendissimum Fioramonti, qui clarissimus Prælatus Sanctitati Suæ pro latinis brevibus a secretis est, de tota re certiorem feci, rogans ut cum Sanctissimo verbum faceret. Interea autem ad eumdem Reverendissimum Fioramonti litteras direxit Eminentissimus Cardinalis Gousset, Remensis Archiepiscopus, veritatem sciscitans de prædictis rumoribus, qui circa me et scripta mea spargebantur, quique non parvam (ut significabat) sibi mirationem moverant.

De quo negotio cum præfatus Reverendissimus Fioramonti semel et iterum cum Sanctissimo egisset, rescripsit ad Eminentissimum Cardinalem Gousset, falsa prorsus esse ista de me sparsa, subjungens ut mihi *animos adderet.*

Ad me autem direxit sequentes litteras :

Illustrissime ac Reverende Domine. — Ad alia, quæ a te humanissimum in modum dono accepi operum tuorum exemplaria, recens nunc accedit quod item a te est de Parocho *exaratum. Sorte accidit ut hoc vix accepto, adnotationem legerim ipsi præmissam, in qua de iis animadvertis, quæ mihi etiam die* 15 *julii proximi significaveras. Qua sane omne dubium aufertur, et tua magis patet sedi Apostolicæ addictissima voluntas. Cum Pontifici Maximo munus nomine tuo operis præcedentis obtuli* de Judiciis, *quod Ipse excepit benignissime, de iis quæ ad me*

Digitized by Google

iisdem litteris scripseras, loquutus sum : novi statim eodem in te benevolentissimo animo esse Pontificem ipsum ; cui propterea gravia illa fuerunt, quæ istic de te gratuito omnino effutiebantur. De quibus semel atque iterum proximis his diebus incidit sermo, quum Sanctitati Suæ de litteris referrem, quas ad me vir Eminentissimus Thomas Gousset, Remensium Archiepiscopus, die 6 *mensis octobris scripsit, quærens et ipse num vera illa sint, quæ istic de te a nonnullis spargi atque in vulgus disseminari audivit. Ipsi respondere non prætermitto, et falsa illa esse incunctanter significo ; nam Sanctitati Suæ de doctrina ac filiali in sedem Apostolicam devotione tua est maxime persuasum. Bono idcirco sis animo, Illustrissime ac Reverende Domine, atque indoctorum hominum censuris, falsisque adversariorum nuntiis plane postkabitis, perge eadem alacritate et animo studiis canonici juris, quæ tibi sunt in deliciis, ad majorem Ecclesiæ utilitatem incumbere. Sanctitas Sua omnem tibi cupit et precatur a Domino prosperitatem ; cujus auspicem Apostolicam benedictionem effuso paterni cordis affectu amanter impertita est. — Devinctissimum officiis tuis animum meum et obsequii plenissimum iterato testor. Vale. — Romæ die* 14 *novembris* 1855. *— Humillimus et addictissimus servus, Dominicus Fioramonti.*

Etsi autem tanta ejusmodi litterarum benevolentia, revera mihi animos addiderit, nequaquam tamen absonam ingerit fiduciam, nulla mihi excidisse, quæ Romæ moderanda et corrigenda merito videri possint. At quæcunque istic minus probari intellexero,

Digitized by Google

summa animi alacritate ipse ultro in proxime sequenti volumine adnotabo, et ad significatam normam accommodabo. Nihil enim mihi antiquius est, quam ut genuinam Ecclesiæ Romanæ, omnium ecclesiarum matris ac magistræ, doctrinam assequar et fideliter exponam. Quod cum non semel antea professus sim, in præsenti potissimum *de Jure regularium* tractatu, ob tot arduas quæ in eo excutiuntur quæstiones, iterato adnotandum existimavi.

Nota.— Typis jam mandata erant, quæ de admittendis ad professionem novitiis scripsimus, cum recentem hac de re Sacræ Congregationis super statu regularium dispositionem retulit diarium l'*Ami de la religion* (7 mai 1857), in hunc modum : *Hæc quæ sequuntur, quoad religiosas virorum familias, in quibus solemnia vota emittuntur, ex Apostolicæ auctoritatis plenitudine statuit atque decernit, et ab omnibus ad quos spectant ex obedientiæ præcepto observari et executioni demandari districte jubet, et contrariis quibuscunque, etiam speciali et individua mentione et derogatione dignis, derogat, ac plene derogatum esse declarat :*

Peracta probatione et novitiatu ad præscriptum S. concilii Tridentini, constitutionum Apostolicarum, et statutorum ordinis a S. Sede approbatorum, novitii vota simplicia emittant postquam expleverint ætatem annorum sexdecim, ab eodem Tridentino concilio statutam, vel aliam majorem, quæ forsan a statutis proprii ordinis a S. Sede approbatis requiratur : et quoad laicos et conversos, postquam ad eam pervenerint

Digitized by Google

ætatem, quæ in constitutione Clementis VIII incipiente in supremo *præfinita est.*

Professi, post triennium a die quo vota simplicia emiserint computandum, si digni reperiantur, ad professionem votorum solemnium admittantur, nisi fortasse pro aliquibus locis, uti nonnullis institutis indultum est, professio votorum simplicium ad longius tempus jam concessa fuerit. Poterit vero superior provincialis ex justis et rationabilibus causis professionem votorum solemnium differre, non tamen ultra ætatem annorum viginti quinque expletorum. Si vero in ordine seu instituto provinciales non habeantur, eadem differendi professionem votorum solemnium facultas attribuitur etiam superiori domus novitiatus, de consensu tamen magistri novitiorum et duorum religiosorum qui in instituto aliquo gradu insigniti sint.

Decreta S. Congregationis super statu regularium, incipientia Romani Pontificis *et* regulari disciplinæ *anno* 1848 *promulgata omnino serventur in receptione ad habitum, novitiatum et professionem votorum simplicium.*

Quæ de votis simplicibus emittendis superius sancita sunt, servanda erunt relative ad eos, qui post datam præsentium ad habitum admittentur... Datum Romæ, ex S. Congregatione super statu regularium, die 19 *martii, anno* 1857.

Qualis et quanti momenti hocce decreto inducatur quoad religiosas virorum familias immutatio, facile perspicitur. Etenim in cæteris fere, præter

Digitized by Google

societatem Jesu religiosis virorum ordinibus, statim post expletum probationis annum vota solemnia emittebantur. Imo tenebantur jure Tridentino superiores, vel novitios exacta probatione ad professionem, id est, ad vota solemnia admittere, vel eos e monasterio ejicere (sess. 25, c. 16 *de regul.*). Institutum autem societatis Jesu, quo statuitur, ut novitii primum simplicia duntaxat vota nuncupent, et postquam sic pluribus annis laudabiliter perseveraverint, tum demum ad solemnium emissionem admittantur, vehementer olim, ob rei novitatem, impugnatum est. Id tamen ex tunc summe probavit sedes Apostolica; et nunc per citatum decretum, ad cætera quoque virorum instituta extendendum duxit. Posthac scilicet novitii non statim ad solemnium votorum professionem admitti poterunt; sed debebunt primum vota simplicia emittere, et sic per tres saltem annos permanere, antequam solemniter profiteantur.

Digitized by Google

TRACTATUS

DE

JURE REGULARIUM

SEU

DE RELIGIOSIS ORDINIBUS ET CONGREGATIONIBUS

TOTIUS TRACTATUS DISTRIBUTIO

Cum vastissimam ingrediamur disciplinæ canonicæ regionem, eamque densissimis ac gravissimis difficultatibus obsitam, quo potius lectorem tramite in ea perlustranda duceremus mature deliberandum fuit. Visa autem est eligenda via, non quæ logice rectior, atque ex ipsa rei natura forte perfectior, sed quæ gradienti ad exploranda omnia facilior, et ad practicarum conclusionum præprimis intendendum scopum accommodatior. Cui practicæ utilitatis rationi ut potissimum consuleremus, sex instituimus totius tractatus partes, hoc ordine dispositas: 1° de status religiosi natura et origine; 2° de canonica norma novas erigendi religiosas familias, novosque earumdem conventus; 3° de extraordinaria conditione canonica, tum monialium absque clausura, tum regularium vi dispersorum, tum hodiernorum Galliæ religiosorum et sanctimonialium; 4° de norma canonica statum religiosum ingrediendi, seu de novitiatu et professione; 5° de jure regularium ad extra; 6° tandem de jure eorumdem ad intra.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS PRIMA

DE

STATUS RELIGIOSI NATURA ET ORIGINE.

Dicemus 1° de statu perfectionis; 2° de essentia status religiosi; 3° de votorum solemnitate; 4° de status religiosi origine; 5° de ipsius excellentia.

Digitized by Google

SECTIO I.

De status perfectionis essentia et recta notione.

Fundamentalem illam quæstionem expediemus hoc ordine : 1° dicemus quid sit status in genere ; 2° an detur status vitæ christianæ, et an sit multiplex ; 3° quid sit perfectio ; 4° probabimus dari in Ecclesia statum perfectionis exercendæ seu acquisitæ ; 5° expendemus quid sit status perfectionis, et quomodo adæquate dividatur in statum perfectionis acquirendæ, et statum perfectionis exercendæ ; 6° quomodo status vitæ christianæ adæquate dividatur in statum vitæ communis, et statum perfectionis ; 7° an dentur consilia evangelica, et quænam illa sint ; 8° an et quæ consilia ad status perfectionis essentiam pertineant.

CAPUT I.

QUID SIT STATUS IN GENERE.

Prænotanda. — 1° *Stare* dicitur homo, qui rectus in eodem loco permanet. Duo nempe requiruntur ut quis stare dici possit : primo, ut sit rectus ; secundo, ut fixus eodem in loco.

2° Quando autem vox *status* metaphorice adhibetur ad designandos certos quosdam existendi seu vivendi modos, iis tantum recte applicari potest, qui per fixitatem seu permanentiam suam, similitudinem quamdam habent cum homine stante, id est, eodem in loco permanente. Et sic recte dicitur status matrimonii, status servitutis, status religiosus ; quia in

Digitized by Google

iis vivendi modis reperitur certa quædam firmitas seu immobilitas : non autem recte diceretur status ridentis, status scribentis, status clamantis; quia hæc transitorios actus denotant, non permanentes vivendi modos. Unde quod vox illa *status* secum importet quamdam saltem in modo vivendi seu existendi permanentiam seu firmitatem, ex ipso usu loquendi omnino certum est, et ab omnibus admissum. Id ergo hic non probamus, sed tanquam inconcussum et nulla probatione indigens præsupponimus. Quo in antecessum notato, determinandum venit quænam permanentia essentialis censenda sit ad constituendum verum et proprie dictum statum.

PROPOSITIO I^a. — *Ad essentiam status proprie dicti non sufficit stabilitas proveniens ex sola carentia mutationis, sed requiritur stabilitas ex causa aliqua, quæ mutationem vel impossibilem, vel saltem difficilem reddat.* — Duplex nempe dari potest in aliquo vivendi modo permanentia : nimirum vel quia de facto homo illum vivendi modum non mutat, licet quotidie facile mutare posset; vel quia in eo detinetur vi causæ alicujus, quæ illum ligat ad sic vivendum, vel saltem difficilem ei reddit mutationem. Dicimus autem prioris speciei permanentiam non sufficere ad statum *proprie dictum* constituendum. Etenim quamvis absolute et largo sensu in *statu virginitatis* (verbi gratia) esse dici possit ille, qui de facto virgo permanet, etsi contrahendum matrimonium in proposito habeat, tamen ex communi usu loquendi, virginitatis status strictiori quodam sensu proprius eorum intelligitur, qui voto se ad permanendum in ea conditione obstrinxerunt. Et generaliter status strictiori hoc sensu intelligitur, non de mera in aliquo vivendi modo permanentia, sed de permanentia quæ, ob perennem aliquam causam, difficile mutabilis sit. « In usu communi « loquendi Latinorum (inquit Suarez, *de Religione*, tractatu 7, « libro 1, c. 1, n. 3), ita accipi solet (vox *status*), quando de « conditione personæ, seu modo vivendi loquuntur. Unde « statum dicunt esse veluti habitum, qui est difficile mobilis; « quia est vel consuetudine, vel lege, vel alio modo simili fir-

Digitized by Google

« matus. » Cæterum si quis præsentem nostram propositionem rejiciat, et malit statum dicere permanentiam quamlibet, etiamsi ex carentia mutationis tota proveniat, non ei negotium facessemus ; sed præmonemus statum *proprie dictum* a nobis in hoc tractatu non intelligi, nisi stabilitatem ex causa permanente, et non facile mutabili ; et cum laudato Suarezio, « ut « non sit dubium de ambiguitate vocis, supponimus in hac si- « gnificatione vocem illam in præsenti materia sumi. » (Loco citato.)

Quod autem dicta vocis *status* interpretatio communiori loquendi usui quadret, satis patet ex divo Thoma, quem in hac re plerique doctores sequuntur. « Ad statum, inquit, requi- « ritur immobilitas in eo quod pertinet ad conditionem per- « sonæ. » (2, 2, q. 183, art. 1, ad 3.) Atque ibidem in *corpore* sic rem magis enucleat : « Unde et circa homines ea quæ de « facili circa eos variantur et extrinseca sunt, non constituunt « statum ; puta quod aliquis sit dives vel pauper, in dignitate « constitutus vel plebeius, vel si quid aliud est hujusmodi... « Sed solum id vere ad statum hominis pertinere, quod re- « spicit obligationem personæ hominis (prout si aliquis est sui « juris, vel alicujus) ; et hoc *non ex aliqua causa levi, vel de « facile mutabili, sed ex aliquo permanente.* »

Dictam conditionem *permanentiæ, ex aliqua causa non facile mutabili*, revera semper occurrere in iis existendi seu vivendi modis, qui *status* vocari solent, ostendit Suarez (*de Religione*, tract. 7, l. 1, c. 1, n. 9 et seq.). Patet quoad *statum servitutis* : in eo nempe statu retinetur servus, vi dominii quod in ipsum habet herus ejus. Item in *statu libertatis* occurrit causa aliqua, permanentiam in eo statu de se inducens : libertatis scilicet conservandæ naturale studium ; « quæ libertas (inquit Sua- « rez, loco citato) difficile mobilis est, quod sufficit ad ratio- « nem status ; licet ex voluntate ipsius hominis, vel in pœnam « justam auferri possit. » Item in *statu peccati* adest causa de se permanentiam in eo inducens : pronitas nempe ad malum, quæ peccatum mortale comitatur, et impossibilitas exeundi ab

Digitized by Google

eo statu per solas vires naturales; unde et status peccati servitus vocari solet. Item in *statu gratiæ* non deest aliqua causa permanentiam inducens: « Hanc autem permanentiam et stabilitatem ipsa gratia, quantum ex se est, secum affert: et « ideo, licet ex libertate et fragilitate hominis frequenter « amittatur, nihilominus proprium statum apud Deum constituit; quia gratia ipsa est permanens causa, et de se firmitatem et stabilitatem secum affert » (Suarez, loco citato). Idem dicendum de *statu regulari*: vota enim et professio quibus ille status inducitur, hominem in eo, vi permanentis vinculi, detinent. In *statu* autem *sæculari*, naturalis amor libertatis propriæ de se hominem impellit ad permanendum in ea, id est, ad remanendum in statu sæculari, et ad fugiendum religiosæ vitæ jugum. In *statu conjugali* facile perspicitur stabilitatis causa, vinculum nempe matrimoniale, obligationem perennem inducens. *Status* autem *virginitatis* et *viduitatis* tales proprie non sunt, nisi ex aliquo voto aliave de causa, stabilitas quædam inducatur. Qui enim a contrahendo matrimonio nulla obligatione aut difficultate deterretur, *stabilis* in cœlibatu stricte dici nequit. Et sic percurrendo varias illas conditiones, seu varios illos existendi aut vivendi modos, qui *status* vocantur, reperietur, aut adesse perennem aliquam causam in iis permanendi, aut stricte *status* dici non posse.

Propositio II^a. — *Ad essentiam status non requiritur ut causa in eo permanendi sit aliqua proprie dicta obligatio.* — Probatur facile exemplo status sæcularis. Nulla enim existit obligatio in eo permanendi; sed e contra laudabiliter potest quis e statu sæculari ad statum religiosum migrare.

Propositio III^a. — *Ad essentiam status sufficit quælibet causa, quæ de se apta sit ad inducendam hominis in aliquo vivendi modo permanentiam.* — Qui enim aliquem vivendi modum, non tantum usurpant, sed vi et influxu perennis alicujus causæ in eo detinentur, revera *stare* in eo dici possunt. Et quamvis libertate non carent ab eo statu recedendi, tamen ob dictam causam eos ad permanendum inducentem, moralem aliquam

Digitized by Google

stabilitatem habere censentur, quod ad constituendum statum sufficit. Ejusmodi autem causa varia esse potest et multiplex. Quandoque scilicet est proprie dicta obligatio, prout in statu religioso, in quo post emissa perpetua vota tenetur ex conscientia professus usque ad mortem perseverare. Quandoque est naturalis amor seu tendentia ad conservandam libertatem, seu exemptionem a certis quibusdam obligationibus, prout in statu sæculari. Qui enim in eo statu manet, liber est ab obligationibus quibus religiosi vinciuntur; et ad sic permanendum naturali quadam proclivitate homo impellitur.

Ex dictis autem patet rectam de essentia *status* notionem sic exhiberi posse : 1° non datur status sine aliqua morali firmitate, seu immobilitate, seu permanentia; 2° satis non est permanentiam hanc existere de facto, sed requiritur ut aliquatenus saltem ex perenni aliqua causa inducatur; ita scilicet ut, ex hujus causæ influxu, soleat homo aliquatenus impelli ad permanendum in aliquo peculiari existendi seu vivendi modo. Quam notionem de statu in genere fuse evolutam reperies apud Suarezium (*de Religione,* tractatu 7, l. 1, c. 1).

CAPUT II.

AN DETUR STATUS *vitæ christianæ,* ET AN SIT MULTIPLEX.

Prænotanda.—1° Varii status distingui possunt in status per se ad finem mere temporalem tendentes, et in status ad finem hominis supernaturalem spectantes. Prioris generis olim in societate civili seu temporali erant status servitutis et libertatis; et status libertatis subdividebatur in statum ingenuorum et statum libertinorum; item in civili republica distinguitur status minorum, qui tutoris potestati subduntur, et status majorum, etc. De his et similibus statibus, qui ad civilem rempublicam, vel ad finem mere temporalem et politicum spectant, in hoc tractatu non agimus; sed duntaxat de statibus qui per se finem hominis supernaturalem respiciunt. 2° Hi au-

Digitized by Google

tem ad duplicem speciem referri possunt : nimirum ad *statum viæ* et ad *statum termini*. Status termini iterum duplex distinguitur, beatorum et damnatorum. Animarum in purgatorio detentarum conditio, utpote transitoria, proprie statum non constituit. 3° Status viæ, licet quoad denominationem suam proprie dicti status rationem excludere videatur, tamen nequaquam excludit. Nam hoc ipsum, quod homo permanenter vitæ præsentis tempore ad æternam beatitudinem tendat, eum ad id impellente atque urgente rigorosa et permanente obligatione, veram habet status rationem ; siquidem in hac conditione seu vivendi modo occurrit aliqua permanentia, et causa aliqua perennis eam permanentiam inducens et firmans. 4° Dictus autem viæ status distinguitur in *statum innocentiæ*, et *statum naturæ lapsæ*. Adnotat Suarez statum innocentiæ, « quamvis brevi tempore duraverit, nihilominus nomen sta- « tus mereri, quia de se durabilis valde erat. » (*de Religione*, tractatu 7, lib. 1, c. 1, n. 16.) 5° Status naturæ lapsæ subdividitur in statum naturæ, statum legis veteris, et statum Ecclesiæ Christi. « Et duobus primis pro nunc omissis, ter- « tium vocamus *statum vitæ christianæ*, de quo nunc tractamus. « Cujus ratio in hoc consistit, quod sit quidam modus religio- « nis ad salutem et vitam æternam consequendam necessarius, et per sufficientia media ordinatus; qui vivendi modus « in sola Ecclesia Christi reperitur, et in fide Christi funda- « tur, et ideo status vitæ christianæ nominatur. » (Suarez, loco citato.) Quibus prænotatis, sit :

Propositio Iª. — *Status vitæ christianæ est verus et proprie dictus status.*— Nam vitæ christianæ status dicitur modus vivendi eorum, qui normam a Christo traditam sequuntur. Porro ille vivendi modus firmitatem habet ex causa aliqua perenni, ac proinde verus status dicendus est ; quod sic exponit Suarez : « Imprimis in illo magna stabilitas et firmitas « invenitur : primo quidem in communitate Ecclesiæ Christi; « quia ipsa tanquam in firmissima petra fundata est principa- « liter ; et ex promissione ac potentia ejus ita stabilita est,

Digitized by Google

« ut portæ inferi contra eam prævalere non possint. Deinde « etiam in singulis personis hunc statum profitentibus habet « causam permanentem de se ac stabilem; quia fundatur « imprimis in professione fidei facta in baptismo, quæ de se « obligat ad permanendum semper in tali genere vitæ « ad salutem animæ pertinentis, et in vera Christi fide. « Deinde fides ipsa habet firmissima fundamenta; et impe- « trare potest vires et auxilia ad perseverandum in Christi « Ecclesia : habet ergo hic modus vitæ ex hac parte perfec- « tam rationem status. » (*De Religione*, tractatu 7, lib. 1, c. 1, n. 17.)

PROPOSITIO II[a] — *Multiplex est vitæ christianæ status.* — Constat id ex facto visibili; quod factum et ab Ecclesiæ exordiis perdurare omnino pariter constat. Videmus nempe hodie in Ecclesia ex iis qui christianam vitam profitentur, alios esse in statu clericali, alios in laicali : item ex christianis laicis, alios in statu matrimonii, alios extra hunc statum : item alios servantes duntaxat legis christianæ præcepta, alios insuper consilia : item inter hos ultimos, non omnes consilia eadem, eodemque modo, sed alii alia et diverso modo. Quam statuum varietatem et ab Ecclesiæ initio exstitisse historica monumenta testantur. Unde quod status vitæ christianæ multiplices sub se contineat statuum species, est omnino certum. « Quæ veritas, ait Suarez (nempe, *esse in Ecclesia Christi sta-* « *tuum varietatem*), est de fide certissima. Eam tradit divus « Thomas (2, 2, q. 183, art. 2), et consentiunt omnes theo- « logi de hac materia scribentes, quos, in re inter catholicos « manifesta, referre non oportet : solumque illi hæretici « huic veritati contradicunt, qui ecclesiasticam hierarchiam « e medio tollere cupiunt, omnemque dignitatem et magis- « tratuum diversitatem execrantur. Sed illorum error non « unus est; sed ex pluribus coalescit. Quia, vel negant sacra- « mentum ordinis, vel ecclesiasticam potestatem, vel statum « religiosum et perfectionis. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 2, n. 1.)

Digitized by Google

CAPUT III.

QUID SIT PERFECTIO.

PROPOSITIO I^a. — *Ad perfectionem requiritur charitas.* — Præmonemus nos hic loqui de perfectione relative ad vitam christianam; unde hæc duo, *perfectio* et *perfectio christianæ vitæ*, in præsenti disceptatione idem omnino sonant. Quod autem ad ejusmodi perfectionem constituendam requiratur charitas probatur facile: nam perfecta dici nequit vita christiana, nisi hominem justum Deo et gratum faciat, eumque ducat ad æternam beatudinem; sed absque charitate nec veram justitiam habere, nec Deo placere, nec salutem æternam consequi homo potest; ergo ad perfectionem omnino requiritur charitas. Et præterea christianus qui non est in statu charitatis, hoc ipso est in statu peccati mortalis, ac proinde repugnat eum perfectum dici. Posset autem præsens conclusio firmari sacræ Scripturæ textibus, aliisque auctoritatibus; a quibus tamen adducendis abstinemus, quia res per se patet, et absque ullo dissensu tanquam certissima habetur ab omnibus; prout videri potest apud Suarez (*de Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 3 et 4).

PROPOSITIO II^a. — *Ad perfectionem non sufficit charitas essentialis, sed requiritur insuper peculiaris quidam charitatis gradus, qui communem christianorum charitatem superet.* — Charitas essentialis in hoc ponitur, quod diligatur Deus propter seipsum ex toto corde et animo, id est, *super omnia appretiative.* Ejusmodi autem charitas existere potest in homine, qui non curat de vitandis peccatis venialibus, nec cupiditatibus suis resistit, nisi quantum necesse est ad vitandum peccatum mortale, quique, præceptorum observatione contentus, nec consilia evangelica, nec alia supererogationis opera sectatur. Porro qui sic vivunt absque peccato mortali, nequaquam

Digitized by Google

solent vocari perfecti, sed econtra imperfecti; quia nempe, juxta receptum hujus vocis sensum, *perfecti* opponuntur dictis christianis remisse viventibus, expugnandis vitiis suis parum studentibus, licet peccatum mortale devitent, et parati sint mori potius quam Deum mortaliter offendere. In his porro imperfectis christianis adest charitas essentialis, id est, tota essentia charitatis. Et quamvis charitas hæc posset multum intensive et extensive crescere, tamen in illo etiam gradu qui omnibus christianis præcipitur, et ad consequendam salutem æternam necessarius est, adhuc remanet vera charitas, et essentia charitatis proprie dictæ. Cum ergo perfecti non dicantur qui in dicto inferiori charitatis gradu sistunt, merito concluditur ad perfectionem non sufficere charitatem essentialem, sed requiri aliquem gradum seu modum charitatis, qui communem christianorum remisse viventium charitatem superet. Quod ratiocinium potest sic brevius exhiberi : Omnes christiani qui peccato mortali immunes sunt, charitatem essentialem habent : atqui tamen non sunt omnes perfecti; ergo ad perfectionem non sufficit essentialis charitas.

* PROPOSITIO IIIa. — *Perfectio non consistit in aliquo vel aliquibus transitoriis charitatis actibus, etiam si sint magnæ vel maximæ intensitatis.* — Nam fieri potest ut quis, ex gratiæ impulsu, unum aut plures vehementissimos dilectionis Dei actus eliciat, et tamen postea parum studeat venialia peccata devitare, cupiditates suas refrænare, et supererogationis opera quæ Deo maxime placent agere. Porro is nequaquam inter perfectos recensebitur.

Imo sustinet Suarez (*de Religione*, tractatu 7, l. 1, c, 4) non consistere perfectionem in charitate *habituali, quatenus certum gradum intensitatis habente.* « Dico nullam certam intensionem charitatis habitualis ad hanc perfectionem esse « necessariam, ac subinde nec solam intensionem (etiam « non magnam) ad hanc perfectionem sufficere, nec requiri; « quamvis, cæteris paribus, multum ad hanc perfectionem

Digitized by Google

« conferat. Probatur imprimis generaliter tota resolutio : « quia contingere potest ut aliquis habeat habitus gra- « tiæ et charitatis valde intensos, et non habeat mortificatas « passiones, nec actus heroicos vel perfectos virtutis fre- « quenter vel ordinarie faciat, sæpiusque venialiter peccet. « Hunc autem nemo dicet esse perfectum, vel perfectionem « charitatis assecutum. E contrario vero fieri potest, ut « aliquis habens charitatem minus intensam, moderatos ha- « beat affectus, ita ut facile et ordinarie venialia vitet pec- « cata, et constanter virtutem operetur, ac proinde in statu « perfectorum sit. Ergo hæc perfectio, a qua nimirum ho- « mines vocantur perfecti, non habitus intensionem, sed « aliam conditionem seu dispositionem personæ postulat, quæ « ex aliis qualitatibus consurgit, quamvis intensio ad illam « juvare possit. » (Loco citato, n. 10.) Reponit nempe Suaresius perfectionem *in quadam convenienti dispositione seu habilitate proxima ad perfecte operandum juxta Christi præcepta et consilia* (ibid. n. 11). Unde et concludit, « posse aliquem « apud Deum esse sanctiorem, et nihilominus esse imperfec- « tiorem, id est, in gradu inferiori quoad modum perfectionis « existere : et consequenter posse aliquem minus perfectum « in hac vita ad perfectiorem beatitudinem in altera perve- « nire. » (Ibid. 12.)

Propositio IV^a^.—*Perfectio est charitas ita habitualis et intensa ut hominem proxime disponat ad agendum facile et ordinarie juxta Dei præcepta et consilia.* — Dicimus 1° perfectionem esse charitatem, idque in definitione ponimus tanquam genus : et merito quidem. Nam perfectio cujuslibet entis in eo est ut ad finem, propter quem creatum est, tendat, eique adhæreat. Finis autem ultimus hominis est Deus ipse; unde et perfectio hominis in eo est ut Deo tanquam fini suo ultimo ac summo bono adhæreat : quæ adhæsio nihil aliud est quam charitas. Ergo perfectio hominis non potest esse aliquid a charitate seu dilectione Dei diversum. Et revera sacris litteris docemur hominem, etsi cæteris virtutibus præditum,

Digitized by Google

si tamen charitatem non habeat, non tantum non esse perfectum, sed et malum esse atque peccaminosum. Pertinetque id ad dogma catholicum, prout omnibus notum est.

2° Genus illud restringimus, ita ut, non quælibet charitas perfectio sit, sed aliqua duntaxat charitatis species, seu peculiaris aliquis Deum diligendi modus, quem modum cæteris definitionis verbis determinamus. Etenim certum est christianos omnes, qui se a peccato lethali immunes servant, charitatem habere; et tamen absurdum foret eos omnes perfectos dicere seu perfectionem assecutos. Ergo revera perfectio est aliqua charitatis species, seu aliquis peculiaris Deum diligendi modus; nec potest in charitate generice sumpta reponi.

3° Ille autem charitatis modus recte determinari videtur per hæc verba : *Ita habitualis et intensa ut hominem proxime disponat ad agendum facile et ordinarie juxta Christi præcepta et consilia.* Ad quod patefaciendum duo requiruntur et sufficiunt : primo, ut homo qui non habet illum charitatis modum perfectus dici nequeat; secundo, ut homo qui hoc modo ex charitate disponitur perfectus dicendus sit. Atqui utrumque admittendum videtur. Nam quæcunque sit hominis charitas, si ordinarie peccata venialia non devitet, si consilia evangelica non sequatur, si cupiditatibus suis (etsi non usque ad peccati mortalis lapsum) indulgeat, profecto perfectus non est. Ergo ad perfectionem necesse est, ut agendi ratio *ordinarie* Christi præceptis et consiliis consonet. Item qui ageret quidem ordinarie more perfectorum, sed difficile, et ita ut ad singulos ejusmodi actus summo conatu opus esset, nequaquam adhuc perfectus diceretur. Deficeret nempe a perfectione ratione facilitatis. Ergo ad perfectionem necesse est, non tantum ut *ordinarie*, sed ut *facile* etiam juxta Christi præcepta et consilia agatur. Porro ut quis possit certo modo agere *ordinarie* et *facile*, debet esse ad agendum hoc modo habitualiter et proxime dispositus. Ergo revera nisi ea insit homini charitas, quæ eum proxime disponat ad agendum ordinarie et facile

Digitized by Google

juxta Christi præcepta et consilia, a perfectione deficiet. E contra vero nulla est ratio cur perfectus non dicatur, qui ita diligit Deum, ut vi hujus charitatis ordinarie et facile sese ferat ad præceptorum et consiliorum evangelicorum observantiam. Is enim hoc ipso et de vitandis venialibus peccatis sollicitus erit, et pravos affectus suos frænabit, et supererogationis opera strenue exequetur; atque hæc omnia constanter faciet et facile. Ejusmodi autem homines perfectos dici debere indubium est. Imo qui dicto modo dispositus est, etiamsi (morte præventus) ad ipsa opera exequenda non deveniat, nihilominus perfectus dici debet, ob ipsammet illam dispositionem.

Nota. — 1° Quomodo ad perfectionem requirantur et aliæ virtutes, et tamen vero aliquo sensu dici possit perfectionem in sola charitate consistere, vide fuse discussum a Suaresio (*de Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 3).

2° In perfectione dari gradus, ita ut, etiam inter perfectos, alii minus perfecti sint, perfectiores alii, solent doctores adnotare. Id autem cum tradita perfectionis definitione nequaquam pugnat; si quidem in iis etiam qui minus perfecti sunt verum reperitur eos ex dilectione Dei esse ita dispositos, ut facile et ordinarie præceptorum et consiliorum Christi normam sequantur. Quæ tamen dispositio, et ex ea sequens facilitas et actuum perfectorum frequentia major aut minor esse potest, majoremque aut minorem perfectionem constituit. Gradus autem infimus quo perfecti a non perfectis discrepent, quisnam sit, novit Deus, et vix determinari posse videtur.

CAPUT IV.

DATUR IN ECCLESIA STATUS PERFECTORUM SEU PERFECTIONIS ACQUISITÆ, NEMPE EPISCOPATUS; ET STATUS TENDENTIUM AD PERFECTIONEM, SEU PERFECTIONIS ACQUIRENDÆ.

PROPOSITIO Iª. — *Possibilis concipitur in militanti Ecclesia*

Digitized by Google

aliquis perfectorum status. — Quoad regnantem Ecclesiam nulla moveri potest difficultas : nam beati, qui jam Deo fruuntur, ei totis viribus adhærent, suntque in ea perfecta dispositione (in qua diximus consistere perfectionem) facile et ordinarie agendi juxta Dei præcepta et consilia; siquidem jam nequeunt quidquam velle, nisi quod Deo placeat. In qua perfecta charitate adeo stabiles sunt, ut nunquam possint ab ea vel minimum deflectere, ut ideo eorum conditio quam maxime dicenda sit perfectorum seu perfectionis jam acquisitæ status.

Sed et in Ecclesia militanti possibilis concipitur status, qui vero aliquo sensu perfectorum vocari possit. Potuit enim Christus instituere aliquem hominum ordinem, ad hunc finem, ut cæteris per acquisitæ jam perfectionis exercitium præluceant; simulque possibilis concipitur sive divina, sive ecclesiastica lex, qua institutum illud semel ingressi, in eo permanere teneantur. Porro hominum illorum conditio *status perfectorum* seu perfectionis jam acquisitæ et exercendæ merito vocari poterit. Et quidem *status* merito vocabitur; nam ob præsuppositam obligationem in ea permanendi, non carebit ea stabilitate, quæ ad rationem status requiritur. Item et *perfectorum* status vocari poterit : non quidem eo sensu quod necessario perfecti erunt et permanebunt, qui hunc statum profitebuntur; sed eo sensu quod status eorum perfectionem jam acquisitam supponat et exigat.

PROPOSITIO II^a^. — *Datur revera in Ecclesia militanti status acquisitæ et exercendæ perfectionis, nempe Episcopatus.* — Ut vera probetur hæc conclusio, sufficit duo demonstrari : primo in Episcopatu reperiri veri status rationem ; secundo, hunc statum exigere, ut Episcopus perfectionem jam acquisiverit. Atqui utrumque certum est. Et quidem

1° Episcopatus vere status rationem habet. Nam, ex dictis supra, capite 1, ad constituendum proprie dictum statum sufficiunt tria hæc : primo, ut sit aliquis existendi seu vivendi modus : secundo, ut hic modus sit stabilis : tertio, ut hæc sta-

Digitized by Google

bilitas non existat duntaxat de facto, sed ex causa aliqua perenni eam inducente. Porro hæc omnia in Episcopatu reperiuntur. Episcopus nempe per consecrationem constituitur cum plenitudine sacerdotii, et habet characterem indelebilem, et potestatem ordinis inamissibilem. Insuper cum Episcopatus ad hunc finem fuerit divinitus institutus, ut per eum homines ad sanctitatem et perfectionem ducantur, statim ac Episcopus regendæ alicui Ecclesiæ addictus est, ligatur strictissima obligatione commissas sibi animas in ordine ad æternam beatitudinem perficiendi. Ejusmodi autem Episcopi conditio, non tantum est peculiaris quidam existendi et vivendi modus, sed insuper modus ille stabilis redditur ex causa de se perenni seu permanente. « Dicendum est, inquit Suarez, « Episcopatum habere absolutam immutabilitatem moralem; « quia eo ipso quod semel acceptatur, secum affert perpetuam « obligationem permanendi in tali munere; ita ut non possit « pro arbitrio proprio relinqui. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 15, n. 11.) Quod si objiciatur obligationem illam Episcopi suam Ecclesiam nunquam ex propria voluntate deserendi, non oriri (ut tenet communior doctorum sententia) ex ullo divino jure, respondet laudatus Suarez : « ad « immutabilitatem status Episcopi sufficere moralem obli- « gationem permanendi in illo munere, ortam ex pacto inito « cum Ecclesia, incluso in ipsa acceptatione Episcopatus cum « conditionibus præscriptis, vel ex mutuo consensu contra- « hentium, vel ex jure pontificio. Imo existimo ad rationem « status sufficere pactum de se perpetuum, a quo recedere « quis non possit sine consensu alterius contrahentis. Ideoque, « licet a Pontificibus non esset addita illa conditio, quod « Episcopus non possit deserere suam Ecclesiam sine sua licen- « tia, satis esset ad rationem status, quod non possit illam « dimittere sine consensu ipsius Ecclesiæ, seu eligentium. « Quia hæc immutabilitas necessaria ad statum, non est me- « taphysica, sed moralis, et ideo per solum pactum firmari « potest. » (Loco citato, n. 28).

Digitized by Google

Ergo revera in Episcopatu vera reperitur status ratio.

2° Status ille exigit ut Episcopus perfectionem jam acquisiverit. Nam in hunc finem tendit et ordinatur status ille, ut mundum illuminet et sanctificet, juxta illud Matthæi 5 : *Vos estis sal terræ; vos estis lux mundi : nemo accendit lucernam et ponit eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus, qui in domo sunt.* Constituitur nempe Episcopus, non ut acquirendæ propriæ perfectioni adlaboret, sed ut cæteros ipse perficiat, et in procuranda eorum salute et perfectione sese impendat. Et quidem ad ejusmodi cæteros perficiendi officium ita deputatur, ut ipse debeat esse *lux mundi;* et non tantum verbis perfectionem suadere, sed ipsomet perfectionis exercitio in Ecclesia splendere. Ergo Episcopis incumbit, vi ipsorum status, exercenda perfectio. Sed exerceri nequit quod non habetur : ergo supponit et per se postulat status ille jam acquisitam perfectionem. Et sic valde differt Episcopatus a statu religiosorum. Nam religiosorum status in hunc finem tendit et institutus est, ut acquiratur perfectio; ad quem finem tanquam media adhibentur consiliorum praxis et obstaculorum remotio. Episcopatus autem, cum ad exercendam perfectionem fuerit institutus, et eam supponat acquisitam, non exigit consiliorum praxim, verbi gratia, paupertatem et obedientiam (1); quia hæc consilia non adhibentur, nisi tanquam media ad acquirendam perfectionem : non autem tenetur quis adhibere media ad acquirendum quod habet.

Nec dicatur hinc sequi absurdum : non posse scilicet aliquem in Episcopum constitui, nisi prius in statu acquirendæ perfectionis, id est, in statu religiosorum militaverit, et ad terminum hujus status pervenerit, id est, perfectionem per eum statum attigerit. Nam, ut ait Suarez (*de Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 14, n. 8), *non est necesse ut illa perfectio personalis in aliquo statu perfectionis acquisita sit; potest enim extra statum perfectionis comparari.* Aliud nempe est esse perfectus,

(1) Ad castitatem tenetur Episcopus, ex ratione Episcopatui extrinseca; nempe ex voto sacris ordinibus adnexo.

Digitized by Google

et esse in statu perfectionis : religiosus potest esse valde imperfectus, imo et in peccato mortali, et tamen est in statu perfectionis : e contra uxoratus non est in statu perfectionis, et tamen potest ad summam perfectionem pertingere. Etsi enim status religiosus per se sit aptus ad ducendum hominem ad perfectionem, non tamen ad id necessarius est; sed potest quis extra illum, imo et unico momento, ex gratia, ad summam Dei charitatem evehi.

Cæterum quod revera Episcopatus dicendus sit status exercendæ seu acquisitæ perfectionis, est communis et omnino tenenda doctrina. « Omnino asserendum est, inquit Suarez, « Episcopos, ratione pastoralis muneris esse in statu perfec- « tionis, non tanquam in via, sed tanquam in termino; qui « proprie dicitur status perfectorum et perficientium. Ita « docet D. Thomas..., nec aliquis scholasticorum dissentit. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 15, n. 5.) Atque ibidem citatus auctor thesim probat ex traditione, ex Dionysio, ex Patribus, et theologicis rationibus. Ad calcem autem præcedentis capitis, id est, decimi quarti, sic adnotaverat :

« Ne tamen videamur nimiam obligationem imponere talem « statum assumentibus, addimus, licet convenientissimum sit « et longe melius non assumere munus perficiendi alios, nisi « post multam propriæ perfectionis exercitationem et acqui- « sitionem, nihilominus non esse simpliciter et ex præcepto « necessarium ut, in re ipsa et in executione, talis perfectio « præcedat. Sed satis est ut proposito et voluntate de se efficaci habeatur, saltem quoad implenda omnia, quæ ex vi « talis muneris necessaria sunt, et sub obligationem cadunt, « quamvis perfectissima sint : qualia sunt pro ovibus animam « ponere, et pro earum salute vigilare, et convenienter illas « pascere. »

Nota. — An presbyteri ratione sacri ordinis, et parochi ratione pastoralis sui officii censendi sint esse in statu perfectionis, fuse discussum reperies apud laudatum Suaresium, loco citato, capite 17.

Digitized by Google

PROPOSITIO III^a. — *Datur in Ecclesia status perfectionis acquirendæ, seu tendentium ac perfectionem.* — Est enim notorietatis publicæ plures hodie exstare virorum et mulierum societates, quæ præter mandatorum observationem, consilia etiam evangelica, piaque alia supererogationis opera sibi exequenda præscribunt; atque ad id constanter et perpetuo præstandum voti se vinculo obstringunt.

Et palam etiam est scopus quem in ejusmodi vivendi instituto sibi præfigunt : profitentur nempe se id agere ut magis Deo placeant, et in charitate proficiant; quod certe nihil aliud est quam ad acquirendam perfectionem tendere. Nec ab Ecclesiæ exordiis unquam defuere homines qui, vel singuli, vel in societatem coadunati id instituti sectarentur. Is porro vivendi modus status rationem habet, siquidem in eo stabiliter detinentur vi voti quo se perpetuo obligarunt. Cum ergo et ad perfectionem acquirendam sit ordinatus, et veri status rationem habeat, plane sequitur dari in Ecclesia statum perfectionis acquirendæ.

CAPUT V.

STATUS PERFECTIONIS, IN STATUM PERFECTIONIS ACQUISITÆ, ET STATUM PERFECTIONIS ACQUIRENDÆ ADÆQUATE DIVIDITUR.

In superioribus capitibus dictum est de natura status in genere, de statu vitæ christianæ, de essentia perfectionis, de statu perfectionis acquisitæ seu exercendæ, et de statu perfectionis acquirendæ. At nondum expendimus quid sit status ille, qui simpliciter *status perfectionis* vocatur; et num haberi debeat tanquam genus, quod sub se contineat duas dictas species (status nempe acquirendæ, et status acquisitæ perfectionis), atque in eas adæquate dividatur. Id nunc venit enucleandum.

PROPOSITIO I^a. — *Varii status vitæ christianæ adæquate di-*

Digitized by Google

viduntur in status ordinatos ad perfectionem exercendam vel acquirendam, et in status hunc scopum non habentes. — Hæc propositio per se patet; si quidem non datur medium inter hæc duo : quod nempe status aliquis ad dictum finem ordinetur, vel non.

PROPOSITIO II^a.— *Ex recepto loquendi usu, locutio hæc,* status perfectionis, *non significat modum vivendi eorum qui sunt et permanent in perfectione; sed modum vivendi, cujus scopus seu finis proprius sit perfectio, sive acquirenda, sive exercenda.* — Equidem ex sensu grammaticali eæ voces *status perfectionis* potius designarent *statum perfectorum,* seu conditionem eorum qui permanenter stant in perfectione; sicut voces *status beatitudinis* seu *gloriæ,* significant eorum conditionem, qui in cœlis beatifica Dei visione fruuntur. Nihilominus non in hoc sensu dicta locutio adhiberi solet; sed, in ea, vox *perfectionis* usurpatur quatenus exprimens finem ad quem status ordinatur. Unde verus sensus illius formulæ, *status perfectionis,* idem est ac si diceretur, *status ordinatus ad perfectionem,* seu respiciens perfectionem tanquam finem sibi proprium. Adhibetur nempe locutio hæc per oppositionem ad varios status vitæ christianæ, qui pro fine non habent perfectionem, neque exercendam, neque acquirendam; qui status dicuntur *vitæ communis;* et de quorum numero, verbi gratia, est status matrimonii. Quod autem dictus posterior sensus omnino prævaluerit, et pro vero sit habendus, probat unanimis doctorum loquendi modus. Quotquot enim de hisce materiis scripserunt, tanquam indubitatum tradunt, religiosos esse in *statu perfectionis;* idque inde inferunt, quod illorum status ad *acquirendam perfectionem* sit institutus. Et pariter dicunt Episcopos esse in *statu perfectionis*, eo quod status ille ad *perfectionem exercendam* ordinetur. Qua profecto loquendi ratione patefaciunt, se per statum perfectionis intelligere, non eorum conditionem qui in perfectione perstant, sed vivendi modum ad perfectionem, sive acquirendam, sive exercendam, ordinatum et institutum,

Digitized by Google

Et sic patet inanitas cujusdam objectionis, quam memorat Suarezius hoc modo : « Sed objicit Gerson, quia, si religio « est status perfectionis acquirendæ, immerito status perfec- « tionis vocatur : aptius enim dicetur via ad perfectionem, « quam status ejus ; nam repugnat esse jam in statu et esse « in via. *Quis enim*, ait, *dicet religiosum esse in statu gloriæ, « quia est in statu illius adispicendæ?* Non ergo erit status per- « fectionis, sed tendens ad perfectionem. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 14, n. 6.) Respondetur nempe, statum religiosorum denominationem suam *status perfectionis* desumpsisse ex fine ad quem tendit, qui est perfectio. Nec mirum ita invaluisse loquendi usum ; quia per illam vocem *perfectionis*, optime et commodè discriminantur status vitæ communis, qui perfectionem pro fine non habent, ab aliis qui ad perfectionem, sive acquirendam, sive exercendam fuerunt instituti. Quod autem dici nequeat esse in *statu gloriæ*, qui ad acquirendam gloriam tendit, nihil probat ; nam usus intelligendi *statum gloriæ* de statu tendentium ad gloriam, nec invaluit unquam, nec est ratio cur induceretur. Omnes enim status vitæ christianæ ad gloriam seu æternam salutem assequendam tendunt. E contra, non omnes tendunt ad perfectionem acquirendam aut exercendam ; et opus erat aliqua formula ad distinguendum eos qui ad hunc finem tendunt, ab aliis qui scopum illum sibi non proponunt. Commoda autem ad id visa est locutio hæc *status perfectionis* et *status vitæ communis*. Ex illa autem oppositione ad vitam communem, et præsertim ex receptissimo et notissimo loquendi usu, satis patefit, vocem *perfectionis* in hac formula sumi, non pro perfectione *in qua stetur*, sed pro perfectione *ad quam* exercendam vel acquirendam status ordinatur.

Propositio III^a^. — *Status perfectionis in statum perfectionis acquirendæ et statum perfectionis exercendæ adæquate dividitur.* — Nam, ex dictis, status perfectionis ille est qui ad perfectionem tanquam scopum seu finem sibi proprium ordinatur. Jam vero nequit perfectio tanquam finis per aliquem statum

Digitized by Google

intendi, nisi vel *quatenus acquirenda*, vel *quatenus exercenda*. Non enim datum medium ; siquidem ideo tantum potest quis dici ad perfectionem tendere, quia vel eam vult acquirere, vel eam, jam acquisitam, exercere. Quod si neutrum velit, nequaquam dici potest ad perfectionem tendere. Aliis terminis, optime quis concipitur pro fine sibi proponere perfectionis acquisitionem : item si perfectionem jam habeat, optime concipitur pro fine intendere ejusdem perfectionis exercitium. Quod si neutrum intendat, nequaquam concipitur perfectionem intendere. De quo si quis dubitet, excogitare tentet aliquem alium modum perfectionem intendendi, seu pro fine habendi; et compertum habebit se tempus terere. Quod si objiciatur, posse quem sibi pro fine proponere ut perfectionem alios doceat, respondetur hoc modo nequaquam vere et proprie intendi, seu pro fine haberi ipsam perfectionem; alioquin qui scribendo vel docendo intenderet explanare quid sit peccatum, dici posset peccatum intendere et pro fine habere, quod est absurdum.

Unde revera status perfectionis adæquate dividitur in duas illas species, acquirendæ et exercendæ perfectionis. Ac proinde si sumatur illa locutio *status perfectionis* abstrahendo a duplici dicta specie, vere exprimit genus sub quo illæ duæ species comprehenduntur.

CAPUT VI.

VARII STATUS VITÆ CHRISTIANÆ ADÆQUATE DIVIDUNTUR IN STATUM VITÆ COMMUNIS, ET STATUM PERFECTIONIS.

Præsupposita, quam tradidimus, de perfectione et de statu perfectionis notione, facile probatur præsentis conclusionis veritas. Etenim quilibet christianæ vitæ status, vel intendit et pro fine habet id quod vocavimus perfectionem, vel non. Si

Digitized by Google

prius, erit hoc ipso statibus perfectionis adnumerandus. Si posterius, inter vitæ communis status recenseri debebit. Nam vitæ communis status intelliguntur ii, qui alium quam acquirendæ vel exercendæ perfectionis finem habent; nec ex alia ratione dicuntur vitæ *communis*, nisi quia perfectionem non intendunt, nec ad eam ordinati sunt. Quod si perfectionem pro scopo haberent, hoc ipso non *communis*, sed præstantioris vitæ essent et dicerentur.

Objicies. Status clericalis non est status perfectionis, nec status vitæ communis; ergo adæquata non est præmissa divisio. — Respondeo cum Suaresio (*de Religione,* tractatu 7, l. 1, c. 2, n. 13) controverti revera apud doctores, utrum clericatus stricte sumptus, id est, quatenus ab Episcopatu distinguitur, sit necne status perfectionis. Sed quæcunque opinio hac de re anteponatur, certum est statum illum sub tradita divisione comprehendi. Nam si dici nequeat status perfectionis, necesse est eum inter status vitæ communis recenseri; quia idem est aliquem statum vitæ christianæ non esse statum perfectionis, et esse statum vitæ communis.

Nota. — Præsentis capitis materiam fuse evolutam reperies apud Suaresium (*de Religione,* tractatu 7, l. 1, c. 2).

CAPUT VII.

DE CONSILIIS EVANGELICIS NOTIONES QUÆDAM.

Sæpe in decursu tractatus tanquam certum supponemus, dari consilia evangelica, a præceptis distincta; et consiliorum observantiam esse simplici præceptorum adimpletione perfectiorem; necnon quam plurima numero esse ejusmodi consilia; quamvis eo nomine tria duntaxat præcipua (paupertatis nempe, castitatis et obedientiæ) antonomastice vocari soleant. Id nunc sub præsenti capite, ne postea gratis assertum videatur, probandum duximus.

Digitized by Google

PROPOSITIO I^a. — *Datur distinctio præcepta inter et consilia.* — « Distinctio consiliorum a præceptis, inquit Suarez, tam « certa fide nititur, et tam expresse habetur in sacra Scri- « ptura, et traditur ab universa catholica Ecclesia, ut sine « manifesta hæresi negari non potuerit. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 6, n. 6). *Probatur* 1° *Scriptura sacra.* — Evangelii S. Matthæi, capite 19 : *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit nubere.* Ad quod respondit Christus : *Non omnes capiunt hoc verbum ;* et, *qui potest capere capiat ;* posteaque addit, esse quosdam eunuchos, qui se *castraverunt propter regnum cœlorum.* Ibi certe continentiam laudat et suadet Christus, tanquam quid multo præstantius quam matrimonium ; et nihilominus eam non præcipit, siquidem nedum conjugium damnet, ejus indissolubilitatem edicit : *Quod Deus conjunxit, homo non separet.* Idem constat ex sancto Paulo (1 Cor. 7) : *De virginibus præceptum Domini non habeo, consilium autem do... Beatior erit si sic permanserit secundum meum consilium.* Non poterat clarius exprimi cœlibatum esse de consilio, non autem de præcepto. Nec minus clare consilium paupertatis realis exprimunt hæc Christi verba : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata... Si vis perfectus esse, vade, vende omnia quæ habes et da pauperibus.* Consilium fuisse quod primi fideles bona sua venderent et ad pedes Apostolorum deferrent, probant hæc S. Petri verba ad Ananiam (Act. 5) : *Nonne manens tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate ?*

Probatur 2° *ex sanctis Patribus.* — S. Gregorius Nazianzenus : « In legibus nostris alia parendi necessitatem impo- « nunt, nec sine periculo prætermitti possunt : alia non neces- « sitate constringunt, sed in arbitrio et potestate posita « sunt ; ac proinde hanc rationem habent, ut qui ea custo- « dierint, honore et præmiis afficiantur. Qui autem minus « ea expleverint, nihil periculi pertimescant. » (Oratio 3, alias 1, contra Julianum, versus finem paragraphi *Ad hæc*). Origenes : « Ideo præcepta donantur, ut delicta persolva- « mus... Ea vero quæ supra debitum facimus, non facimus

Digitized by Google

« ex præceptis. » (Libro 10, in epist. ad Rom., cap. 15.) S. Augustinus (in Enchiridio, c. 121) distinguit quædam quæ mandat Deus, et alia; *quæ non jubentur, sed speciali consilio monentur*. Et sermone 61 : *Aliud est consilium, aliud est præceptum*. Et exempla consiliorum ponit, *virginitatem servare, a vino et carnibus abstinere, omnia vendere et pauperibus erogare*. Et subdit : *Consilium qui libenter audierit et fecerit, majorem habebit gloriam; qui vero præceptum non impleverit, nisi pœnitentiam egerit, non evadet pœnam*. S. Hieronymus, epistola 22 ad Eustochium : *Ubi præceptum datur, ibi necessitas est serviendi; ubi consilium, ibi offerentis arbitrium*.

Probatur 3° *ratione Theologica*. — Est de essentia consiliorum, ut sint de bono opere; nam repugnat a Deo suaderi opera mala, vel etiam indifferentia. Item est de essentia consilii, ut melius sit opus, circa quod versatur consilium, quam ejus omissio : nam si indifferens foret illud facere vel omittere, Deus non posset illud suadere. Quo prænotato, ad probandum dari consilia, sufficit probari hæc duo : 1° non præcipi a Deo omnia bona opera : 2° A Deo suaderi bona opera, quæ non præcipit. Atqui utrumque certum est. Et 1° quidem : Deus non præcipit omnia bona opera : nam præcepta positiva non possunt obligare pro semper, quia forent impossibilia. Missam audire, verbi gratia, facere eleemosynam, orare, et his similia non possunt fieri perpetuo et sine interruptione; ergo præcipi nequeunt nisi pro determinato aliquo tempore, et quoad determinatam aliquam quantitatem : ergo erit aliquod tempus, in quo si homo ejusmodi opus faciat, illud exequetur absque præcepto. 2° Opera bona quæ a Deo non præcipiuntur, ab ipso suadentur. Nam opera illa, hoc ipso quod sint bona (id est, nec mala, nec indifferentia), meliora sunt quam eorumdem omissio. Sed Deus non potest non suadere quod melius est; repugnat enim Deum non anteponere id quod melius est, et æque gratum habere quod minus bonum est. Ergo magis ipsi placet ut homo faciat quod melius est; seu ut faciat opera bona sub præcepto non

Digitized by Google

cadentia. Ergo illa opera suadet; ergo dantur consilia, a præceptis distincta. De quo vide Suaresium (*de Religione*, tractatu 7, l. 1, c. 7), ubi rem fuse discutit.

Confirmatur autem præsens conclusio per sequentem, in qua probamus consilia esse perfectiora præceptis : non possunt enim esse perfectiora præceptis, quin sint ab ipsis distincta.

PROPOSITIO II^a. — *Consilia sunt perfectiora præceptis.* — Hanc veritatem acriter impugnarunt hæretici. Nec mirum : ipsis enim exosi præcipue religiosi ordines; quorum institutum, hoc semel everso fundamento, jam non aliquid in Ecclesia eximium, sed vel nocivum, vel saltem inutile facile videri poterat. At, quod magis lugendum est, hæreticis hac in re consenserunt scriptores nonnulli catholici, prout Hallier, quem nuper secutus est Lovaniensis Academiæ professor, Marianus Verhoeven, in opusculo, *de Regularium et sæcularium clericorum juribus* inscripto, ubi (pag. 4) sic legere est : « Status « iste perfectionis dicitur, *non ideo quidem quod consilia perfectiora sint præceptis divinis*, sed quod præcepta Dei simul et « consilia in eo observentur. » Quem errorem eum egregie confutaverint moderni patres Bollandiani in opere cui titulus *Examen... libri Mariani Verhoeven*, (pag. 78), eorum verba nostra facimus et in conclusionis nostræ probationem subjicimus.

[Conciliari hoc nequit (inquiunt) cum verbis Christi, de præceptis dicentis : *Si vis ad vitam ingredi, serva mandata* (1): de paupertate vero voluntaria : *Si vis perfectus esse, vade, vende*, etc. (2); et de castitate : *Non omnes capiunt verbum istud* (3); neque cum verbis Apostoli : *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit; et qui non jungit, melius facit* (4); neque cum doctrina SS. Patrum, ex hisce aliisque Sacræ

(1) Matth., XIX, 17.
(2) Ibid., 21.
(3) Ibid., 11.
(4) 1 Cor. VII, 38.

Digitized by Google

Scripturæ textibus perfectionem consiliorum supra præcepta passim extollentium. Audiamus exempli causa S. Cyprianum de virginitate loquentem (1) : « Nec hoc jubet Dominus, sed « hortatur; nec jugum necessitatis imponit, quando maneat « voluntatis arbitrium liberum. Sed cum habitationes multas « apud Patrem suum dicat, *melioris* habitaculi hospitia de- « monstrat. Habitacula ista meliora vos petitis : carnis de- « sideria castrantes, *majoris* gratiæ præmium in cœlestibus « obtinetis... O bonæ virgines,... quæ Deo et Christo vacan- « tes, ad Dominum, cui vos devovistis, *et majore et meliore* « *parte præceditis.* » Item S. Ambrosium (2) : « Honorabile « itaque conjugium, sed *honorabilior* integritas... Quod igitur « bonum est, non vitandum est; quod est *melius*, eligendum « est. Itaque non imponitur, sed *præponitur*. Et ideo bene « Apostolus dixit : *De virginibus præceptum Domini non habeo,* « *consilium autem do*. Etenim præceptum in *subditos* fertur, « consilium *amicis* datur. Ubi præceptum est, ibi *lex* est : « ubi consilium, ibi *gratia* est... En tibi *distantia* præcepti « atque consilii... Qui præceptum impleverint, possunt di- « cere : *Servi inutiles sumus; quod debuimus facere, fecimus.* « Hoc virgo non dicit, non dicit ille qui bona sua vendidit; « sed quasi reposita exspectat præmia, sicut sanctus Aposto- « lus, qui ait : *Ecce nos reliquimus omnia, et secuti sumus te :* « *quid ergo erit nobis?* Non quasi inutilis servus,... sed quasi « utilis Domino. » Sanctus vero Hieronymus, adversus Jovi- nianum hæreticum, docentem *virgines*, *viduas et maritatas,* quæ semel in Christo lotæ sunt, si non discrepent cæteris operibus, ejusdem esse meriti (3), acriter suo more calamum stringens, cum alia multa, tum illa in rem nostram scribit (4): « Proponit ἀγωνοθέτης præmium, invitat ad cursum, tenet in « manu virginitatis bravium; ostendit purissimum fontem, et

(1) De habit. virg., pag. 180 et 181.

(2) De viduis, cap. 12, tom. 2 Operum, col. 205, edit. Maur., 1690.

(3) Advers. Jovinian., lib. 1, num. 3, tom. 2 Op., col. 241, edit, Vallars.

(4) Ibid., num. 12, col. 257.

Digitized by Google

« clamitat : *Qui sitit, veniat et bibat. Qui potest capere, capiat.* « Non dicit : Velitis nolitis, bibendum vobis est atque cur- « rendum; sed : Qui voluerit, qui potuerit currere atque « potare, ille vincet, ille satiabitur. Et ideo *plus amat* virgi- « nes Christus, quia sponte tribuunt quod sibi non fuerat im- « peratum. *Majorisque gratiæ est* offerre quod non debeas, « quam reddere quod exigaris. » Ac paulo post ex verbis Apostoli jam a nobis allegatis concludit (1) : « Tantum est « igitur inter nuptias et virginitatem, quantum inter non « peccare et bene facere; imo ut levius dicam, quantum « inter *bonum* et *melius*. » Quo etiam faciunt sequentia S. Doctoris verba (2) : « Apostoli et seniores de Jerosolymis « litteras mittunt ut non amplius imponatur oneris his qui « de gentibus crediderunt, nisi ut abstineant se ab idololatria « et fornicatione et a sanguine et a suffocatis; et quasi par- « vulis atque infantibus *lac* potum dant, non *solidum cibum :* « nec præcipiunt de continentia, nec de virginitate signifi- « cant, nec ad jejunia provocant, neque dicunt illud quod in « Evangelio ad Apostolos dirigitur, ne habeant duas tunicas, « ne peram, ne aes in zonis, ne virgam in manu, ne calcea- « menta in pedibus, aut certe illud : *Si vis perfectus esse, vade « et vende omnia tua,* etc. » Ex quibus liquet, tantum, Hiero- nymo judice, præstare consilia præceptis, quantum lacti cibus solidus. Similia sunt apud S. Augustinum multis in locis; sed præcipue in libro de Sancta Virginitate, ubi ait (3) : « Cum « perpetuæ continentiæ professores, se conjugatis comparan- « tes, secundum Scripturas compererint eos *infra esse* et opere « et mercede et voto et præmio, statim veniat in mentem « quod scriptum est : *Quanto magnus es, tanto humilia te in « omnibus.* » Necnon, in epistola ad Hilarium, consilium Christi de rebus temporalibus relinquendis *grande* ac *præclarum* vocat, et hanc ait *excellentiorem* esse perfectionem, quam legis man-

(1) Ibid., num. 13, col. 262.

(2) Ibid., num. 23, col. 290.

(3) De Sancta Virginit., cap. 31, tom. 6 Oper., col. 355.

Digitized by Google

data; eosque qui illud consilium susceperunt, ut vendita sua pauperibus distribuerent ac Christum sequerentur, id ex quadam *mentis excellentia* fecisse affirmat, alios qui id non perfecerunt, *infirmiores* appellans; quamquam et hos, si Dei præcepta servaverint, si divitiis recte usi fuerint, salutis æternæ participes quoque fore dicit (1).

Huic igitur SS. Patrum doctrinæ consona non est Hallieri propositio : *Consilia non sunt perfectiora præceptis;* ex qua sequeretur paupertatem voluntariam recto divitiarum usu, virginitatem et continentiam bono matrimonio atque debiti conjugalis secundum præceptum divinum (2) redditione non esse perfectiorem. Imo Ecclesia olim damnavit Eunomium, Vigilantium, Jovinianum, Helvidium, qui virginitati et cœlibatui conjugium exæquarunt; ac nuperius Sacrosanctum Concilium Tridentinum pronuntiavit (3) : « Si quis dixerit statum « conjugalem anteponendum esse statui virginitatis vel cœli« batus, et *non esse melius ac beatius manere in virginitate aut « cœlibatu quam jungi matrimonio*, anathema sit. » Quam utique sententiam non bene interpretaretur is qui diceret, tantummodo anathema infligi asserentibus, virginitatem aut cœlibatum meliorem esse matrimonio male inito, aut peccaminoso matrimonii usu, negaret vero damnari eos, qui honestas nuptias honestumque matrimonii usum et præcepti divini de reddendo conjugali debito impletionem tanquam res æque bonas et beatas habent ac virginitatem et cœlibatum. Quocirca, cum Claudius Seguenot, in annotatis ad gallicam translationem libri S. Augustini de Sancta Virginitate, scripsisset (4) : « S'il arrivait qu'une personne mariée fût si bien disposée, « qu'elle fût non-seulement capable de vivre honnêtement « dans le mariage, mais que renonçant à tout ce qu'il y a « d'impur et de sensuel, et qu'étant mariée (pour user des

(1) Epist. 157, alias 89, tom. 2, col. 553 et seqq.

(2) 1 Cor. VII, 3 et seqq.

(3) Sess. 24, can. 10.

(4) De la sainte Virginité, etc. Paris, 1638, Remarques, page 12.

Digitized by Google

« termes de l'Apôtre) comme ne l'étant point, elle conservât « une pareille pureté de cœur et d'esprit dans le mariage, « quoique non une telle pureté de corps, que les vierges hors « le mariage, il n'y a point de doute que celle-là aurait le « mérite des vierges, et qu'elle serait non-seulement aussi « sainte et aussi parfaite, mais même aussi pure et aussi « chaste qu'elles ; et rien n'empêcherait qu'elle ne le pût être « davantage ; » etsi scriptor ille ita matrimonium quam posset optimum delineare voluerit, nihilominus Sacra Facultas Theologica Parisiensis, die 3 maii 1638, prædictam ejus sententiam hac censura confixit (1) : « Hæc doctrina, qua dicit « eos qui utuntur conjugio tanquam non utantur, habere me- « ritum virginum et cœlibem vitam agentium, et esse non so- « lum *æque sanctos* et *æque perfectos*, verum etiam *æque puros* « et *æque castos*, hæresim sapit. » Plura insuper de *voto*, quæ etiam res est consilii, et, si adjiciatur actis de se bonis et honestis, cum sit religionis actus, eorum pretium adauget, male effutierat Seguenotus ; quæ exponuntur simul et repelluntur ab eadem Sacra Facultate, nimiæ erga regulares amicitiæ non suspecta, sequentibus verbis (2) : « Hæc doctrina, quam ad- « struit in præjudicium votorum monasticorum et depressio- « nem status regularium, præsertim qua asserit, *vota nihil* « *addere perfectionis*, esse tantum imperfectorum, sæpe esse « impedimenta alio vocantis Dei, abusive vocari consecratio- « nes, obedientiam non esse opus consilii, et paupertatem « voluntariam *ex voto* excludi a paupertate evangelica, non « tantum est destructiva sancti regularium status et aversiva « a proposito laudabilis vitæ cœnobiticæ, verum etiam falsa, « scandalosa, temeraria et erronea. » Quoniam Hallierus inter Seguenoti judices, qua doctor Sorbonicus, consederit, aliqua ratione censeri potest rejecisse suam ipsius sententiam : ***Consilia non sunt perfectiora præceptis.***

(1) Duplessis d'Argentré, Collect. judiciorum de novis erroribus, t. 3, p. 25.
(2) Id. ibid.

Digitized by Google

Coronidis loco hæc ex Bellarmino subjungimus, quibus sana Theologorum de hoc argumento sententia lucide exponitur : « Melanchton in locis communibus, capite de discri-« mine consiliorum et præceptorum, dicit... deplorandam esse « nostram cæcitatem, quod mendicitatem aut simile opus, non « mandatum, ornemus majoribus titulis quam legem divinam, « cum nullum opus possit cogitari majus quam quod in primo « præcepto flagitatur : *Diliges Dominum Deum tuum*, etc. Ad « hanc calumniam breviter respondemus neminem esse catho-« licorum qui simpliciter præponat consilia præceptis; imo « B. Thomas in 2. 2, q. 184, art. 3, contrarium docet : vult « enim perfectionem Christianam essentialiter consistere in « observatione præceptorum, instrumentaliter in observatione « consiliorum. Possumus tamen anteponere consilia præcep-« tis tribus modis. Primo, comparando singula consilia non « cuicunque præcepto, sed præceptis illis quæ versantur « circa eamdem materiam. Verbi gratia, circa materiam exter-« norum operum versatur præceptum : *Non furaberis ;* circa « eadem versatur consilium : *Vende omnia, et da pauperibus* : « certum est consilium hoc esse perfectius præcepto : *Non fu-« raberis*. Similiter consilium virginitatis perfectius est præ-« cepto : *Non mœchaberis ;* et sic de aliis. Secundo, comparando « non consilia cum præceptis, sed statum hominum servantium « præcepta et consilia cum statu eorum qui solum observant « præcepta. Neque enim dubitari potest quin sit res longe « melior et perfectior status prior posteriore ; quandoquidem « ille istum includit, non contra : unde Dominus ei qui dicebat « servasse se omnia præcepta, dixit : *Si vis perfectus esse, vende « omnia quæ habes*, etc. Tertio, comparando consilia cum quo-« libet præcepto, etiam cum illo : *Diliges Dominum Deum « tuum ;* sed considerando in consiliis non opera externa con-« siliorum, sed charitatem quam præsupponunt et ad quam « ducunt. Illo enim præcepto : *Diliges Dominum Deum tuum,* « non præcipitur charitas infinita, sed certus quidam gradus, « nimirum tanta caritas, ut per eam nihil Deo æques vel ante-

Digitized by Google

« ponas ; at major gradus charitatis requiritur ut propter Deum « renunties omnibus opibus et voluptatibus alioqui licitis : « dicit enim Augustinus, Serm. 18, *de Verbis Apostoli*, de vir- « ginibus loquens : *Major amor majus imposuit onus.* » Hactenus Bellarminus (1), cujus verbis plura a nobis adjici supervacaneum foret.] Hactenus moderni Bollandiani.

PROPOSITIO III^a^. — *Consilia sunt numero quamplurima.* — Nam præter tria præcipua, castitatis, paupertatis et obedientiæ, de quibus modo, datur locus consilio circa materiam cujuslibet præcepti positivi. Potest nempe quis ultra id quod præcipitur peragere. Et ejusmodi supererogatio contingere potest, tum *ratione temporis,* ut si audiatur sacrum, non tantum diebus præceptis, sed etiam aliis; tum *ratione quantitatis,* ut si quis majorem eleemosynam faciat quam tenetur; tum *ratione modi*, ut si quis flexis genibus totam missam audiat. Item datur locus consilio circa quamlibet actionem vel omissionem, quæ apta sit, sive ad magis arcendum peccandi periculum, sive ad magis proficiendum in virtutibus. Sic, verbi gratia, qui ad obtinendum gratiæ Dei augmentum deambulatione aliave honesta recreatione sese privat; qui ad minuendas libidinis tentationes jejunia corporisve flagellationes adhibet; qui ad magis sectandam humilitatem publicum aliquod et honorificum munus dimittit, in his omnibus consilia exsequitur. Item datur locus consilio in qualibet actione vel omissione, quæ, positis circumstantiis, melior est quam ejus oppositum. Prout quando quis orationem relinquit, ut vacet alicui charitatis operi, quod eo tempore et in iis circumstantiis, melius est oratione, vel vice versa. Ex dictis autem patet consilia esse numero quamplurima, et immensam fore eorum recensionem.

PROPOSITIO IV^a^. — *Quando dicitur a doctoribus, tria tantum dari consilia evangelica, id antonomastice intelligendum est.* — Solent equidem auctores multi, cum sancto Thoma, dum agunt de consiliis evangelicis, tria duntaxat commemorare;

(1) *De Monachis,* cap. 6, col. 443 et 444.

Digitized by Google

castitatis nempe, paupertatis et obedientiæ. Ad quæ si voto se quis adstringat, non novum esse consilium quoad materiam, bene autem quoad modum, adnotant. Hic tamen loquendi usus nequaquam evertit quod superiori quæstione dictum est de immensa consiliorum multitudine. Nam præfati auctores de memoratis tribus consiliis loquuntur antonomastice; quatenus scilicet præcipua sunt, et cæteris omnibus longe præstantiora media ad acquirendam perfectionem. Et revera absque illis tribus consiliis obnoxius remanet homo tribus magnis impedimentis, quæ obstare solent ne ad perfectam Dei charitatem perveniat; suntque rerum temporalium sollicitudo, voluptatum illecebræ, et propriæ libertatis exercitium. E contra trium dictorum consiliorum praxis, præfata impedimenta removendo, facilem homini reddit perfectionis prosecutionem. Estque ille dicti triplicis consilii effectus constans et permanens; nec tantum ad aliquem transitorium perfectionis actum juvans, sed hominis vitam universaliter afficiens, eamque permanenter aptam reddens ad perfectionem acquirendam. Unde et in Evangelio peculiariter atque a Christo ipso tria illa consilia commemorantur. Hinc usu receptum est, ut ipsa consiliorum denominatio ad hæc tria, ob dictam eorum præstantiam, restringi soleat. Id tamen non impedit quin simul admittant doctores, dari et alia consilia quamplurima, prout videre est apud Suaresium (*de Religione*, tractatu 7, lib. 1, c. 8).

Solent autem consilia dividere in *generalia* seu universalia, et *particularia*. Et priorum denominatione intelligunt duntaxat tria illa præcipua, paupertatis scilicet, castitatis et obedientiæ. Atque ideo illa vocant universalia seu generalia, quia hominis, qui se iis addixit, totam generaliter vitam afficiunt, et quamdam vivendi conditionem permanenter determinant, acquirendæ perfectioni accommodatissimam. Cætera autem consilia, eo quod universalem ejusmodi effectum non habeant, particularia nuncupant. Quod etiam vide a Suaresio (citato loco) expositum.

Digitized by Google

CAPUT VIII.

AN ET QUÆ CONSILIA AD STATUS PERFECTIONIS ESSENTIAM PERTINEANT.

PROPOSITIO I^a. — *Aliqua consilia sunt de essentia status perfectionis.* — « Concludimus, inquit Suarez, christianam perfe-« ctionem, sine observatione consiliorum præter præcepta, « non acquiri. Assertio est certa et communis; eamque tra-« dit divus Thomas (2-2, q. 184, art. 3); et sumitur ex ver-« bis Christi (Matth. 19) : *Si vis perfectus esse, vade, vende « omnia quæ habes, et veni, sequere me.* Ubi observationem et « executionem consilii paupertatis ad perfectionem assequen-« dam proponit ut medium, seu viam sequendam. Et simili « modo Paulus consulit virginitatem, dicens (1 Cor. 7) : *Volo « vos sine sollicitudine esse. Mulier innupta et virgo cogitat quæ « Domini sunt, ut sit sancta corpore et spiritu.* Et infra : *Porro « hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam, « sed ad id, quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine « impedimento Dominum obsecrandi.* Et inferius de non nubente : « *Melius facit*, et *beatior erit.* Eademque ratio est de consilio « obedientiæ et de aliis, proportione servata. Ratio autem est « quia perfectio christiana requirit præceptorum observatio-« nem, sine qua nemo salvari potest, et ulterius aliquid per-« fectionis addit, ultra id quod simpliciter necessarium est « ad salutem : ergo maxime addit consiliorum observatio-« nem. Tota ratio est fundata in allegatis Christi verbis « (Matth. 19). Nam prius dixit : *Si vis ad vitam ingredi, serva « mandata ;* ubi exigit ea quæ ad salutem sunt simpliciter ne-« cessaria ; et postea addit : *Si vis perfectus esse.* Ergo aperte « docet, perfectionem aliquid addere supra id quod est ne-« cessarium ad salutem, quod in antecedenti supposuimus. « Consequentiam autem indicat Dominus, dum inde subin-« fert, per consilii cujusdam observantiam perfectionem esse

Digitized by Google

« obtinendam. » (*De Religione,* tractatu 7, lib. 1, c. 10, n. 3.)

« Dices : ergo non potest quis esse perfectus sine virginita-« tis aut paupertatis observantia, vel alia simili. Respondetur « negando consequentiam ; quia cum dicimus perfectionem « charitatis non acquiri *sine observantia consiliorum,* non re-« stringimus sermonem ad illa tria principalia consilia ; sed in « universum loquimur de consiliis, includendo etiam omnem « modum meliorem servandi præcepta, quam præceptum in « rigore requirat. Et sic evidentior est assertio ; quia nisi « quis aliquid boni non præcepti faciat, non poterit aliquam « perfectionem charitatis, præter essentialem, obtinere. » (Suarez, ibidem, n. 4.)

Potest autem propositio sic breviter probari : ad quemlibet statum perfectionis requiritur, ut aliquid boni peragendum intendat præter præceptorum observantiam ; sed qui nulla consilia observaret, nil aliud perageret boni, præter præceptorum adimpletionem ; ergo in statu perfectionis non esset : ergo ad statum quemlibet perfectionis alicujus saltem consilii observantia requiritur.

Propositio II^a^. — *Ad statum perfectionis exercendæ non requiritur consilium paupertatis, nec consilium obedientiæ.* — Nam status perfectionis exercendæ supponit jam acquisitam perfectionem, et ad ejus exercitium ordinatur. Ergo status ille non indiget mediis ad acquirendam perfectionem. Porro consilia paupertatis et obedientiæ non sunt consilia, nisi quatenus sunt media ad acquirendam perfectionem. Nam si quis jam sit perfectus, parvi refert eum divitias possidere vel non. Cum enim, ex hypothesi, charitatis perfectionem habeat, divitias absque ullo affectu retinet ; ita ut non minor sit ejus in Deum charitas ex eo quod eas servet, nec major ex eo quod iis sese exuat. Quoad ipsum proinde realis paupertas non est quid necessarium ad perfectionem, sed potius indifferens. Atque idem dicendum de propriæ libertatis exercitio, seu de consilio obedientiæ, ut patet.

Et sic intelligitur quomodo Episcopi merito dicantur esse

Digitized by Google

in statu perfectionis, quamvis paupertatis et obedientiæ consilia non observent. Cum enim eorum status, ut supra dictum fuit, sit status perfectionis *exercendæ*, ac proinde acquisitæ, supponit jam acquisitam perfectionem; ac proinde huic statui necessaria non sunt media ad acquirendam perfectionem : consilia autem paupertatis et obedientiæ non sunt ipsa perfectio, sed media ad perfectionem consequendam quam maxime idonea.

Nota. — Quoad consilium castitatis, moveri posset quæstio num requiratur ad essentiam status perfectionis *exercendæ*. Etenim cœlibatus non tantum est medium ad acquirendam perfectionem, sed nec videtur absque eo completum esse posse statum perfectionis *acquisitæ;* eo quod nempe actus cœlibatui contrarii, seu matrimonio proprii, ex natura sua videantur proprie dictæ perfectionis exercitium excludere. Quam quæstionem hic omnino omittimus, utpote otiosam. Etenim etiamsi ad cœlibatum non tenerentur Episcopi vi status sui, id est, ex eo præcise quod teneantur perfecti esse et perfectionem exercere, certum aliunde omnino est, de jure saltem ecclesiastico, prohibitum ipsis esse matrimonium.

Propositio III[a]. — *Ad completum statum perfectionis acquirendæ requiruntur tria consilia evangelica, paupertatis, castitatis et obedientiæ.* — Completum statum perfectionis acquirendæ illum vocamus, qui hominem liberum facit ab omnibus impedimentis quæ solent perfectionis prosecutioni obstare, et insuper vim habet omnes generaliter ejus actiones dirigendi ad perfectionem. Status nempe perfectionis dupliciter concipitur agere in hominem qui eum amplexus est : *negative,* seu removendo impedimenta : et *positive* seu urgendo et dirigendo ejus actiones seu ejus vitam ad perfectionis prosecutionem. Porro statum illum qui omnia impedimenta removet, et aliunde vim habet omnes hominis actiones, seu totam generaliter ejus vitam ad perfectionem apte dirigendi, *completum* vocamus : et dicimus dari non posse talem statum absque tribus consiliis evangelicis.

Digitized by Google

1° Ad removenda dicta impedimenta necessarium est consilium voluntariæ paupertatis. Nam perfectionem maxime impedire solent concupiscentia divitiarum, necnon sollicitudo in iis acquirendis, asservandis, augendis. « Non solum suffo« cant sementem, et profectum spiritualem maxime impe« diunt, sed etiam innumera peccandi pericula secum affe« runt. » (Suarez, *de Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 2, n. 5.) Probatur insuper verbis Christi : *Si vis perfectus esse, vade, vende,* etc. Quæ verba satis declarant, paupertatem voluntariam esse præcipuum quoddam et utilissimum medium ad perfectionem acquirendam; ex quo sequitur completum non fore statum perfectionis acquirendæ, si eo medio careret.

2° Pariter necessarium est consilium castitatis. Etenim *qui cum uxore est, sollicitus est quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori, et divisus est*, ut ait S. Paulus. Solet nempe conjugium non solum ob actuum ipsi propriorum naturam, sed etiam ob annexa onera, et multiplicem in curanda familia necessariam sollicitudinem, perfectionis assecutionem vehementer præpedire. Præterea qui matrimonium init, voluntariæ paupertatis consilium ordinarie observare non potest; siquidem tenetur filiis suis providere de convenienti bonorum temporalium copia. Sed, ex dictis superiori numero, necessarium est consilium paupertatis; ergo etiam requiritur cœlibatus, sine quo nequit voluntariæ paupertatis consilium ordinarie observari.

3° Requiritur insuper consilium obedientiæ voluntarie susceptæ, id est, quoad ea etiam quæ non sunt de præcepto. Et *primo* quidem requiritur consilium illud ad removendum unum e maximis impedimentis quæ perfectionis prosecutioni obstare solent. Nam quando homo ex proprio judicio et arbitrio dirigitur, instat ordinarie periculum ne a via perfectionis aberret; imo et ne in peccaminosa dilabatur. In quolibet enim homine remanet ex peccato originali fomes ille concupiscentiæ, qui valde propensum eum reddit ad dissimulandos sibi ipsi defectus proprios, et ad indulgendum cupiditatibus suis.

Digitized by Google

Unde si proprium judicium pro norma sibi assumat, sæpe decipietur : obsequendo nempe amoris proprii aliarumve naturalium cupiditatum impulsibus, putabit se perfectionis tramite incedere. Item propositum ejus tendendi ad perfectionem, occurrentibus difficultatibus et tentationibus, facile convelletur et deficiet, si liberum ei sit ex proprio arbitrio agere, et non obligetur ad parendum alicujus superioris voluntati. Tunc scilicet facile derelinquet opera perfectioni acquirendæ idonea, et ad imperfectiones, imo ad peccata venialia sæpe declinabit. E contra si sese consilio obedientiæ addixerit, per voluntatem superioris præcipientem, in peragendis perfectionis operibus, a quibus identidem natura refugeret, constans et firmus retinebitur. Unde *primo* requiritur consilium obedientiæ ad removendum quam maximum perfectionis acquirendæ impedimentum. At *secundo* requiritur etiam idem consilium ex altero capite, ad completum perfectionis acquirendæ statum necessario. Ut nempe completus concipiatur ille status non sufficit removeri obstacula, quæ perfectionem notabiliter impediunt, sed insuper necesse est ut præcipuæ hominis actiones, seu tota generaliter ejus vita, ad perfectionem prosequendam apte dirigatur et constanter urgeatur. Porro ad hoc non sufficiunt consilia paupertatis et castitatis, quibus impedimenta tolluntur; sed insuper requiritur obedientiæ consilium. Nam si in cæteris actionibus, quæ paupertatem et castitatem non respiciunt, liber sit homo facere quod magis ipsi placet, modo peccaminosum non sit, poterit declinare ad id quod imperfectum est, et sic maxima pars ejus actionum, seu ipsius vitæ, vi status ejus, ad perfectionem consequendam non dirigetur. Ergo status ille non erit completus perfectionis acquirendæ status.

Propositio IV^a^. — *Tria consilia, paupertatis, castitatis et obedientiæ, sufficiunt ad constituendum completum perfectionis acquirendæ statum.* — In superiori propositione diximus *requiri* tria illa consilia : nunc ea *sufficere* ad completi dicti status rationem probandum est. Quæ probatio sic institui potest ;

Digitized by Google

completum perfectionis acquirendæ statum diximus illum in quo removentur omnia perfectionis impedimenta, et tota generaliter hominis vita ad perfectionis prosecutionem apte dirigitur. Atqui ad id efficiendum sufficiunt tria consilia evangelica. Nam 1° impedimenta quæ perfectioni acquirendæ obstare solent ad duplicem classem reduci possunt : eorum nempe quæ perfectam Dei charitatem impediunt, occupando ex parte cor hominis ; dividendo nempe amorem ejus, ita ut non solum Deum, sed alia etiam præter Deum bona diligat et prosequatur; et eorum quæ distrahunt et perturbant attentionem seu mentem hominis, ejusque liberam ad perfectionem tendentiam, per varias anxietates et sollicitudines. Atqui tria consilia evangelica utrumque impedimentorum genus removent. Et primo ea removent quæ cor hominis a Deo unice amando avertunt, et ex parte ad bona creata convertunt. Nam ea, quæ amorem hominis sollicitant, sunt bona externa, delectationes sensibiles, et proprii arbitrii exercitium, seu in agendo libertas. Atqui per consilium paupertatis removentur bona externa; per consilium castitatis removentur delectationes sensibiles, et per consilium obedientiæ, tollitur liberi arbitrii exercitium. Ergo primo removent ea omnia impedimenta, quæ cor hominis a perfecta Dei charitate solent avertere. Secundo, liberant etiam ab omnibus sollicitudinibus et anxietatibus, quæ mentem hominis perturbare, ejusque attentionem dividere possunt, et tendentiam ejus ad perfectionem præpedire. « Triplex enim esse solet hæc sollicitudo, videlicet de « acquisitione et administratione externorum bonorum; de « cura familiæ, conjugis et filiorum; et de propriarum actio- « num dispositione et electione. Ex quibus prima anxietas per « paupertatem, secunda per castitatem, tertia per obedientiam « aufertur. » (Suarez, *de Religione*, tract. 7, l. 2, c. 2, n. 14.) Ergo secundo tria consilia removent ea omnia quæ perfectionem impediunt, mentem hominis sollicitudine distrahendo et perturbando; aliunde removent ea quæ præpediunt cor ejus dividendo; ergo 1° tria consilia sufficiunt ad tollenda omnia impe-

Digitized by Google

dimenta, quæ perfectioni acquirendæ obstare solent. 2° Sufficiunt etiam ad positive dirigendam et apte urgendam totam generaliter ejus vitam ad perfectionis acquirendæ scopum. Nam per consilium obedientiæ subjacet homo, quoad omnes suas actiones, seu quoad totam generaliter vitam suam, superioris regimini; nec proprio arbitrio relinquitur, sed tenetur eo modo agere, qui ipsi præcipitur. Aliunde tenetur ipse subditorum suorum actiones et vitam apte dirigere et impellere ad scopum acquirendæ perfectionis. Ergo ex consilio obedientiæ oritur vis quædam seu causa stabilis et permanens, quæ valet totam hominis vitam ad perfectionem acquirendam positive et apte dirigere et urgere. Ergo in tribus solis illis consiliis evangelicis tota reperitur *completi* status perfectionis acquirendæ ratio. In decursu autem probationis omisimus enodare quasdem difficultates, quæ facile menti occurrunt, quasque hic, pro quæstionis gravitate, solvendas duximus.

Objicies 1°. — Delectationes sensibiles, quæ perfectionem impediunt, non omnes tolluntur per castitatis consilium. Nam castitas solummodo reprimit delectationes venereas; quæ licet inter sensibiles maximæ sint, non tamen sunt solæ; siquidem dantur insuper, verbi gratia, delectationes gustus, quarum appetitus et inordinatus usus spiritualem profectum et exercitium perfectionis non parum impediunt; ergo tria consilia non sufficiunt ad completum perfectionis acquirendæ statum. — Respondemus, per consilium castitatis tolli, non solum delectationes venereas, sed alias etiam delectationes sensibiles. Nam quamvis obligatio ad castitatem directe et primario respiciat tantum abstinentiam a venereis delectationibus, indirecte tamen et consequenter postulat generalem sensuum et corporis mortificationem. Non enim in tuto esset castitas, si aliis sensibilibus delectationibus indulgeretur. Unde qui castitatem amplectitur, eo ipso ingreditur statum, qui de se postulat omnium sensuum et sensibilium delectationum convenientem coercitionem. Et sic verum remanet sufficere con-

Digitized by Google

silium castitatis ad removenda impedimenta quæ ex quibuslibet sensibilibus delectationibus oriri possunt.

Objicies 2°. — Sunt bona externa, quorum acquirendorum appetitus et sollicitudo valde a perfectionis prosecutione impediunt, et quæ tamen a nullo ex tribus evangelicis consiliis removentur. Talis est honoris et famæ appetitus et dignitatum ambitio. Ejusmodi scilicet cupiditas et sollicitudo stare potest cum observatione paupertatis, castitatis et obedientiæ; siquidem nullum ex istis consiliis versatur circa famam aut dignitates; nec pro objecto proprio habet abstinentiam a dignitatibus et honoribus. Ergo ad completum statum perfectionis acquirendæ non sufficiunt tria illa consilia; sed alia addenda sunt, atque imprimis renuntiatio honoribus et dignitatibus. — Respondemus cum Suaresio : « Licet per illa « tria vota vel consilia formaliter (ut sic dicam) non amputetur honoris et famæ vel dignitatum appetitus et sollicitudo, « nihilominus virtute, et quasi in radice, quantum ex vi status « abscinduntur. Tum ratione paupertatis; quia illius professio « est status abjectionis et humilitatis : tum ratione obedientiæ; « nam qui propriam voluntatem vel actionem non habere « profitetur, curam et sollicitudinem propriarum actionum « vel munerum sibi arrogare non potest; et consequenter nec « dignitatem ambire, nec humanos honores procurare, si con« venienter suo statui operetur. Atque hoc modo per illa « tria vota, etiam hæc bona honoris, dignitatis et similia Deo « sufficienter offeruntur, saltem virtualiter, et ex parte status « ac modi vivendi. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 2, n. 15.)

Propositio V^a^. — *Ad statum perfectionis acquirendæ incompletum seu inchoatum, non requiruntur tria consilia evangelica; sed sufficit aliquod consilium; sive sit unum ex tribus illis præcipuis, sive aliud.* — Nam status aliquis dicendus est status perfectionis, hoc ipso quod amplectatur consilium aliquod, et non sistat in mera præceptorum observatione. Non enim confundi potest cum statu vitæ communis; siquidem is talis est et di-

Digitized by Google

citur ex eo præcise quod præcepta non prætergrediatur. Et supra ostendimus adæquate dividi statum vitæ christianæ, in statum vitæ communis et statum perfectionis. Hinc ut status aliquis vere sit et dici queat status perfectionis acquirendæ, satis est ut consilio aliquo utatur ad perfectionem acquirendam. Non tamen erit *completus*, nisi tria consilia paupertatis, castitatis et obedientiæ complectatur, ut propositione 3ª probavimus; ergo incompletus seu inchoatus duntaxat erit. Ex qua notione sequitur in statu *incompleto* perfectionis acquirendæ eos esse qui, non tria simul dicta consilia, sed unum duntaxat aut duo observant; verbi gratia, qui solam castitatem voverunt, vel castitatem et paupertatem, non autem obedientiam. Item qui nullum ex tribus illis consiliis servaret, sed aliqua alia diversa, in statu quidem perfectionis esset, at incompleto seu inchoato : prout si quis, verbi gratia, in conjugio vivens, certas corporis afflictationes, ex voto exerceret, vel horas canonicas, aut quotidianam sacri auditionem, vel similia supererogationis opera ex obligatione persolvenda sibi perpetuo imponeret.

CAPUT IX.

STATUS PERFECTIONIS ACQUIRENDÆ NON EXCLUDIT CHARITATIS ERGA PROXIMUM OPERA.

Nam status perfectionis acquirendæ, hoc ipso quod pro fine proprio habeat perfectionis assecutionem, tendit ad perfectam Dei charitatem, siquidem perfectionis essentia, ut supra ostendimus, est ipsamet Dei charitas. Jam vero perfecta Dei charitas, nedum excludat charitatem erga proximum, eam e contra exigit; nec potest stare perfecta Dei charitas absque amore proximi. Et licet possit quis habere charitatem Dei et proximi quin exerceat erga proximum misericordiæ opera, quæ non sunt de præcepto, illa tamen opera sunt medium

Digitized by Google

valde aptum ad augendam utramque hanc charitatem; quia exercitium illud summe Deo placet, utpote ejus gloriam, et animarum salutem, et afflictorum levamen procurans; hincque ejusmodi exercitium magnæ gratiæ consequuntur, quæ plurimum juvant ad proficiendum in virtutibus et acquirendam propriam perfectionem. Ergo charitatis opera erga proximum, quæ sunt de consilio, licet non pertineant ad essentiam status perfectionis acquirendæ, optime tamen possunt in eo statu exerceri, quin desinat esse perfectionis acquirendæ status. Hinc dari possunt status perfectionis acquirendæ, quorum alii consilia misericordiæ erga proximum exercendæ complectantur, alii non complectantur.

CAPUT X.

AD ESSENTIAM COMPLETI STATUS PERFECTIONIS ACQUIRENDÆ REQUIRITUR UT TRIA CONSILIA EVANGELICA VOTO FIRMENTUR.

Nam ad rationem status requiritur aliqua causa permanentiam seu firmitatem inducens. Unde ad essentiam alicujus status particularis, requiritur ut, quatenus talis, firmitatem habeat ex aliqua causa permanentiam inducente. Proinde status completus perfectionis acquirendæ requirit ut firmus sit quoad ea omnia quæ eum talem constituunt, seu quæ ad ejus essentiam pertinent. Cum autem, ex dictis, ad ejus essentiam pertineant tria consilia evangelica, stabilis et firma esse debebit illorum consiliorum observantia : alioquin jam non erit completus perfectionis acquirendæ status.

Jam vero bene intelligitur firmam et stabilem reddi eam observantiam per promissionem Deo factam, seu, quod idem est, per votum. Tunc scilicet vi voti obligatus perpetuo remanebit homo ad observandum consilium paupertatis, castitatis et obedientiæ. Atvero, præter promissionem Deo factam de servandis illis consiliis, nulla assignari potest causa quæ obligationem inducat in eorum observatione permanendi.

Digitized by Google

Nam illa causa foret, vel aliqua auctoritas hanc stabilitatem imperans, vel voluntarius actus hominis qui eam promitteret, non Deo, sed hominibus. Atqui neutrum dici potest :

1° Nequit homo stabilis reddi in observantia consiliorum per auctoritatem id ei ab extrinseco imperantem. Nam illam observantiam non præcipit ei Deus, siquidem Deus non præcipit consilia; alioquin consilia non essent, sed præcepta. Nec a fortiori eam permanentiam ei obligatoriam facere potest ulla alia auctoritas. Quia quod est duntaxat de consilio, a nulla auctoritate humana imponi potest tanquam obligatorium. Unde obligatio stabilitatis, seu permanendi in observantia consiliorum, non potest nisi ex voluntaria et libera hominis promissione oriri.

2° Hæc autem promissio, nisi fiat Deo, id est, nisi sit votum, non inducet perpetuam obligationem permanendi in observantia consiliorum. Nam si fiat alicui homini, verbi gratia, alicui Episcopo, qui eam acceptet, valebit quidem, cum sit pactum de re bona et licita; at cessabit obligatio illa, si is, cui facta est promissio, consentiat in illius cessationem; si nempe promittentem a contracta obligatione liberum declaret : quæ declaratio cum possit quotidie fieri ad arbitrium illius qui promissionem acceptavit, sequitur firmam et stabilem non esse obligationem ex tali promissione ortam. Unde revera ut sit stabilis et de se perpetua obligatio hæc, necesse est eam firmari per votum, seu per promissionem Deo factam. Ergo ad completum perfectionis acquirendæ statum requiritur ut tria evangelica consilia voti vinculo firmentur.

Nota. — Hæc de *status perfectionis natura* in præsenti sectione præmisimus, ut viam sterneremus ad fundamentalem quæstionem, nunc expendendam, de *status religiosi essentia* et recta notione.

Digitized by Google

SECTIO II.

De Essentia Status religiosi.

Quæ sint, vel non sint de status religiosi essentia seu substantia, determinatur sequenti propositionum serie.

PROPOSITIA I^a. — *Ad recte determinandam status religiosi essentiam, voces illæ* STATUS RELIGIOSUS *recipiendæ sunt in sensu communiter recepto.* — Etenim si quis ex mero suo arbitrio voces illas transferat ad significandam aliam rem, quam quæ communiter per eas intelligitur, dum ejus essentiam determinabit, operam omnino perdet; quia non status religiosi, id est, ejus rei quæ hoc nomine vocari solet, sed rei diversæ essentiam assignabit. In hac ergo quæstione de status religiosi substantia, seu essentia, omnino pro norma sumendus est sensus ex communi et recepto usu his vocibus affixus.

PROPOSITIO II^a. — *Juxta receptum communiter usum, distinguitur status religiosus completus seu stricte sumptus, a statu religioso incompleto seu minus stricte sumpto; et ad constituendum statum religiosum late sumptum, sufficere alicujus consilii observantiam voto firmatam ab omnibus pariter admittitur.* — Utraque hujus conclusionis pars est mera facti assertio. Probanda ergo est per testimonia. « Religio, inquit Schmalzgrueber, varias « significationes habet : accipitur enim 1° pro virtute qua Deo « debitus exhibetur cultus; 2° pro communitate seu univer- « sitate verum Deum rite colentium per fidem, vel etiam bona « opera; et sic comprehendit omnes Christianos; unde etiam « *religio christiana* dicitur; 3° pro communitate, quæ per « specialem vivendi modum se Deo ejusque obsequio dedicat :

Digitized by Google

« quod dupliciter fieri potest : *minus stricte* per ordinem sus-
« ceptum, votum castitatis, vel aliud quodcunque vinculum :
« et *strictius* per tria vota substantialia in religione ab Eccle-
« sia approbata. Sic accepta religio, *status religiosus* dicitur...
« Illi autem qui eam profitentur vocantur religiosi et regula-
« res : *religiosi* quidem a religione quam profitentur ; *regulares*
« autem a regula sub qua vivunt. » (In tit. 31, libri 3 decret., n. 1 et 2.)

« Supponendum est, inquit Suarez, juxta communem Ec-
« clesiæ usum, statum religiosum, quasi per antonomasiam et
« stricta significatione, appellari perfectum monachorum seu
« regularium statum, qui se Deo totaliter consecrant et tra-
« dunt, tria vota de tribus principalibus consiliis, paupertatis,
« castitatis et obedientiæ emittendo. Nihilominus tamen la-
« tiori seu generaliori quodam significato, status religionis sub
« se comprehendit alios vivendi modos, in quibus homines
« voluntarie se offerunt divino cultui, et obsequio, ad aliquam
« consiliorum observationem se obligando. Et sic comprehen-
« dit, non tantum proprios et completos religiosos, sed etiam
« continentes, qui per solum votum castitatis se Deo specia-
« liter obligant... Sic enim juris canonici interpretes, in ru-
« brica *de regularibus*, docent nomen *religiosi* vel regularis
« *stricte* sumptum significare eum qui tria substantialia vota
« in religione approbata professus est : *late* vero comprehen-
« dere omnes qui per aliquod votum, et specialem vivendi
« modum Dei servitio consecrantur. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 1, n. 1.)

Si perlegantur doctores cæteri, reperientur quoad rem in conclusione assertam unanimes. Omnes scilicet distinguunt statum religiosum late sumptum ab eodem statu stricte sumpto ; et admittunt ad prioris essentiam non requiri votum de tribus consiliis evangelicis, sed sufficere observantiam cujuslibet consilii voto firmatam. Quando autem absque addito adhibentur voces illæ *status religiosus*, de statu religioso proprie dicto seu completo plerumque intelliguntur.

Digitized by Google

PROPOSITIO III^a.—*Status religiosus late sumptus, idem omnino est cum statu perfectionis acquirendæ inchoato seu incompleto.* — Nam, ex dictis superiori sectione, ad essentiam status perfectionis acquirendæ inchoati, sufficit observantia alicujus consilii, voto firmata. Sed idem, ex usu communiter recepto, intelligitur sufficere ad essentiam status religiosi incompleti; ergo duo illi status quoad essentiam non differunt.

PROPOSITIO IV^a. — *Ad essentiam status religiosi stricte sumpti requiritur, ut sit status tendentium ad perfectionem per tria consilia evangelica voto firmata.* — Ita enim admittendum si, ex usu loquendi communiter recepto, status religiosus non dicatur nec intelligatur adesse, nisi in eo fiat votum de tribus consiliis evangelicis. Atqui revera ille loquendi et intelligendi modus unanimis est. Si nempe in aliquo statu non fiat votum de triplici consilio evangelico, paupertatis, castitatis et obedientiæ, omnes canonistæ et doctores tenent, hunc statum dici non posse in stricto sensu statum religiosum. De quo unanimi consensu satis constat ex supra citatis Suarezio et Schmalzgrueber. Ergo revera, sumendo pro norma sensum unanimiter huic denominationi *status religiosi proprie dicti* alligatum, dicendum est tria dicta vota, in ordine ad acquirendam perfectionem emissa, esse de status religiosi stricte sumpti essentia seu substantia.

PROPOSITIO V^a. — *Est de essentia status religiosi proprie dicti ut sit status perfectionis acquirendæ completus.* — Nam, ex dictis superiori sectione, status completus perfectionis acquirendæ in eo consistit ut tendatur ad perfectionem per tria consilia evangelica voto firmata. Id ipsum autem, ex præcedenti propositione, est affirmandum de essentia status religiosi stricte sumpti; ergo ad essentiam status religiosi stricte sumpti pertinet, ut sit status completus perfectionis acquirendæ. Ex quo sequitur quemlibet statum religiosum stricte sumptum, esse hoc ipso et dici posse statum completum perfectionis acquirendæ. An autem, vice versa, quilibet status completus perfectionis acquirendæ dici possit status religiosus proprie dic-

Digitized by Google

tus, hic non affirmamus, et expenditur ad calcem sequentis propositionis.

PROPOSITIO VI^a. — *Totalis traditio sui Deo facta, et nomine Dei ab aliquo homine, Dei ministro, acceptata, censenda est pertinere ad essentiam status religiosi stricte sumpti.*

Prænotanda. — 1° Aliud est rem promittere, aliud eam tradere. Qui promisit se rem daturum alicui, tenetur quidem, vi hujus promissionis, rem illam de facto tradere illi cui eam promisit. Atvero persona, cui promissio facta est, non acquirit dominium illius rei antequam tradita ipsi fuerit, et donationem ipsa acceptaverit. Unde si promittens renuat promissionem explere, peccabit ob violatam promissionem, non autem peccati injustitiæ seu furti reus erit; quia res promissa, sed non tradita, nondum est aliena seu alterius; ac proinde retinendo illam, non retinet rem alienam, seu non committit furtum. Imo si promittens rem de facto tradat, sed donationem non acceptet persona cui facta est promissio, remanet penes promittentem rei illius dominium, et ipse ab obligatione promissionis explendæ jam solutus est.

2° Etiam quoad Deum aliud est promissio, seu votum, et aliud rei promissæ traditio, seu executio. Prius enim est promissionem facere, quam illam exequi; nec potest quis exequi votum quod nondum emissum est. Supponamus, verbi gratia, vovisse aliquem se omnia bona sua daturum pauperibus : non ideo jam donationem illam fecit, sed tenetur duntaxat, vi voti, illam exequi.

3° Præter essentiale dominium quod Deus habet in omnes homines et in res quaslibet, capax est acquirendi specialis dominii circa aliquem hominem et rem aliquam. Nam essentiale Dei dominium liberam homini in multis reliquit tum sui ipsius, tum multarum rerum dispositionem. Potest nempe homo, tum de seipso, tum de rebus externis pro arbitrio suo disponere, modis omnibus qui ipsi non prohibentur, seu qui non sunt contra Dei et Ecclesiæ mandata. Potest autem homo, si velit, a se abdicare hoc jus suum de se et rebus suis

Digitized by Google

libere disponendi. Potest, verbi gratia, velle fieri servus alterius hominis. Et si iste alter homo acceptet, valebit ista donatio; et tunc qui sese ita donavit erit revera servus; et donatarius dominium in eum acquiret, vi cujus poterit de ipso et ipsius rebus pro arbitrio suo disponere. A fortiori potest homo velle sese hoc modo Deo mancipare, id est, servus Dei effici; ita ut in Deum transferat jus illud quod habebat de se ipso et rebus suis libere disponendi, quoad ea omnia quæ non cadunt sub præcepto. Quam donationem seu mancipationem si Deus acceptet, acquiret in istum hominem dominium illud speciale, a dominio essentiali (quod Deus habet in res omnes) distinctum, vi cujus homo iste jam non poterit sicut antea, de se et rebus suis libere disponere, quin justitiam violet, et furtum faciat; quod furtum sacrilegii rationem habebit, quia erit circa rem Deo donatam. Et quod dicitur de persona ipsa hominis sese hoc modo Deo mancipati, verum etiam est de re etiam materiali, quæ Deo pariter traditur. Si quis, verbi gratia, velit prædium suum, de quo libere disponere poterat, Deo dicare, et Deus donationem acceptet, jam non poterit homo ille absque furto et sacrilegio de ejusmodi prædio disponere.

4° Deus per seipsum acceptat vota, seu promissionem : at vero rei promissæ traditionem non acceptat per seipsum, sed duntaxat per Ecclesiam seu ministrum ab ea deputatum. « Ostendimus (inquit Suarez) Deum per seipsum vota accep- « tare, quæ in promissione consistunt; quod hic negamus de « traditione vel oblatione... Nam promissio ipsi Deo immediate « fieri potest, et illi placere, si sit de re sibi grata : et hoc « satis est ut habeat suum effectum, qui tantum est obligare « promittentem ad faciendum quod promisit. Neque inde ac- « quirit Deus aliquod speciale jus, vel dominium quasi intrin- « secum; sed promittens manet obligatus ad servandum pro- « missum... At vero traditio vel donatio, licet possit immediate « fieri intuitu Dei, non tamen acceptatur ab ipso, nec est illi « grata, nisi fiat alicui homini, a quo acceptari vel repudiari

Digitized by Google

« possit, et qui jus acquirat in rem traditam ad utendum illa, « vel illi imperandum, curamque gerendi ejus. Hujus autem « ratio est, quia Deus, secundum ordinariam providentiam « suam, non suscipit peculiarem curam gubernandi privatam « personam immediate per seipsum, nec indiget his rebus « sensibilibus, ut eis immediate et sine interventu causarum « secundarum utatur. Et ideo donatio sic facta Deo, vel esset « vana et otiosa, vel quasi tentans Deum, ab illo immediatum « regimen exigendo; et propterea illi non placet, nec ab ipso « immediate acceptatur. Potestque hoc exemplis declarari. « Nam si quis secum deliberet ac definite velit a se abdicare « dominium vineæ, verbi gratia, et immediate illam Deo do- « nare, nisi illam voluntatem manifestet Ecclesiæ, id est, mi- « nistris ejus, qui sunt administratores bonorum Dei, et illi « eam acceptent, et sub sua cura et regimine illam recipiant, « nullius momenti erit donatio, et sine injustitia poterit a « priori domino voluntas illa retractari... Idem est in tradi- « tione proprii corporis, personæ, aut voluntatis. » (*De Religione,* tractatu 7, l. 2, c. 4, n. 7 et 8.)

His prænotatis, dicimus ad essentiam status religiosi stricte sumpti pertinere totalem sui ipsius Deo traditionem, per aliquem hominem nomine Dei acceptatam.

Probatur propositio. — Etenim id ita admittendum erit, si juxta receptam communiter acceptionem harum vocum *status religiosus proprie dictus*, non possit dici talis status existere, nisi fiat præfata traditio. Atqui ita est. Communiter nempe intelligitur status religiosus proprie dictus *tanquam traditio Deo facta,* per quam homo sese Deo totaliter mancipet. Et hoc quidem modo intellectum fuisse statum religiosum a S. Thoma, et ab omnibus post ipsum scholæ doctoribus, videri potest apud Suarezium (*de Religione,* tractatu 7, l. 2, c. 4, n. 5). Sed et consonat tota traditio et Patrum loquendi modus. S. Gregorius (homilia 20 in Ezechielem, versus finem) docet, esse religiosum statum holocaustum quoddam, in quo religiosus nihil sibi reservat, sed *sensum, linguam, vitam,* at-

Digitized by Google

que substantiam quam perceperat, omnipotenti Deo immolat. Et antea dixerat : *Cum aliquis omne quod habet, omne quod vivit, omne quod sapit, omnipotenti Deo vovit, holocaustum est.* Magis expresse S. Basilius (sermone 1, *de Instit. monach.*) : *Ubi quis sponte sua ipse professus, hic Deo custodire seipsum debet, veluti eorum aliquid, quæ donata sunt Deo.* Et in Epistola 1, ad monachum lapsum : *Vide ne forte dum vis, quæ quibusdam pactus es, custodire, transgrediare pacta a te inita cum Deo, quæ professus es coram multis testibus.* Et in regulis fusius explicatis, regula 14 declarat, pactum illud esse traditionis cujusdam, et ideo *sacrilegum furtum committi, si res sic Deo dicata subtrahatur.* Item S. Chrysostomus (ad Theodorum monachum, circa medium) : *Si militiæ vincula non tenerent, quis tibi desertionis crimen objiceret? Nunc autem nihil in te penitus tui juris est, quippe qui tanto imperatori militare cœpisti.* Et Cassianus (lib. 2, *de Instit. Renunc.*, c. 3), expresse asserit, *religiosum, ne sui quidem ipsius dominium vel potestatem habere.* Similia habet S. Benedictus in sua regula, capite 58. Unde revera constanter et communiter in Ecclesia intellectus est status religiosus, tanquam traditio seu donatio Deo facta. Et habita est ista totalis religiosi donatio tanquam quid principale in statu religioso, ac proinde tanquam quid ad ejus substantiam seu essentiam pertinens. Ista autem traditio seu donatio nulla foret, nisi acceptaretur; et cum non acceptetur immediate a Deo, necesse est eam acceptari ab aliquo tanquam Dei ministro. Est ergo traditio hæc, quatenus ab homine, nomine Dei, acceptata, unum de essentialibus status religiosi proprie dicti.

Corollarium. — Ergo status religiosus completus, aliquatenus differt a statu completo perfectionis acquirendæ. Nam superiore sectione vidimus dari completum statum perfectionis acquirendæ, per sola tria consilia evangelica, voto firmata. In status autem religiosi conceptu includitur præterea præfata traditio, a Deo acceptata, quæ est quid a tribus votis distinctum, et ipsis superadditum, licet simul cum emissione votorum fieri soleat. Si quis tamen malit statum completum per-

Digitized by Google

fectionis acquirendæ ita intelligere, ut memoratam etiam traditionem includat, is recte inferet res esse synonymas statum religionis completum, et completum perfectionis acquirendæ statum.

PROPOSITIO VII^a. — *Ad essentiam status religiosi non requiritur ut vota sint solemnia (remissive).* — Hujus propositionis rigorosa probatio prærequirit notionem, quam nondum tradidimus, de votorum solemnitate. Quapropter probationem illam remittimus ad sequentem sectionem, in qua de votis religiosis disserendo, exponetur in quo stet eorum solemnitas; ibi nempe simul statuetur, ad religiosi status essentiam, nequaquam requiri, ut solemnia sint religiosa vota. Hic duntaxat præmonemus conclusionem hanc, etsi olim inter doctores disputatam, hodie tamen omnino certam esse : neque enim fas est eam in dubium revocare, post constitutionem Gregorii XIII, quæ incipit *Ascendente;* ubi statuitur eos, qui in Societate Jesu tria vota simplicia emiserunt, vere et proprie religiosos esse.

PROPOSITIO VIII^a. — *Certum est Ecclesiam posse prohibere et irritum facere quemlibet statum religiosum ab ipsa non approbatum.* — Nam religiosus status existere nequit in genere; sed duntaxat cum aliqua forma seu regula determinata; et ejusmodi forma multiplex esse potest. Expedit autem quamplurimum ne fideles sibi ipsis relinquantur in eligenda ejusmodi status religiosi forma; ne forte decipiantur existimando honestum et utile, quod foret pravum et nocivum. Item ad bonum commune expedit ne variarum regularum numerus nimium augeatur, aut pro cujusque arbitrio nova religiosorum instituta inducantur. Cum ergo Ecclesiæ non desit potestas ad ea omnia quæ vel necessaria vel utilia sunt ad bonum fidelium regimen, sequitur posse ab ea ferri legem, qua prohibeatur quodlibet religiosum institutum ab ipsa non approbatum. Et revera legem ejusmodi tulit Innocentius III in concilio Lateranensi, in hunc modum : *Ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter pro-*

Digitized by Google

hibemus, ne quis de cætero novam religionem inveniat; sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat (cap. 9, tit. 36, libri 3 decretalium). Fuitque ea lex a Gregorio X in concilio generali Lugdunensi, anno 1273, confirmata (capite *Religionum*, tituli 17, libri 3, in 6). Hoc ipso autem quod aliquis religiosus status fuerit ab Ecclesia prohibitus, fit simul irritus, seu impeditur ne sit verus status religiosus. Est enim de essentia status religiosi ut sit status perfectionis : statim autem ac fuit prohibitus, jam non est status perfectionis, sed potius rebellionis. Omnino ergo certum est posse ab Ecclesia prohiberi et irritari quamlibet status religiosi formam, ab ipsa non approbatam. Sicut nempe potest Ecclesia quoad matrimonium tum impedientia, tum dirimentia matrimonii impedimenta statuere, ita et quoad statum religiosum; cum eo tamen discrimine quod aliquis status religiosi modus non possit prohiberi quin simul dirimatur seu irritetur; quia, posita prohibitione, jam nequit esse status perfectionis, nec proinde status religiosus.

PROPOSITIO IX^a^. — *Attenta sola natura status religiosi, ad ejus essentiam non pertinet vita communis.* — Sensus propositionis est, posse dari verum statum religiosum extra vitam communem, nisi Ecclesia ejusmodi religiosi status formam prohibeat. Et hodie quidem revera existit illa Ecclesiæ prohibitio. Ecclesia nempe prohibuit quamlibet religiosi status formam ab ipsa non approbatam : et jamdudum non solet vitam solitariam approbare; quo fit ut revera vita hæc sit prohibita : quæ prohibitio impedit ne status religiosus extra vitam communem possit esse status perfectionis, ac proinde verus status religiosus. Sed prohibitio hæc est juris duntaxat ecclesiastici; et expendendum venit, num, seclusa ejusmodi prohibitione, et attenta sola status religiosi natura, possit status ille cum tota sua essentia existere absque vita communi. Quam quæstionem sic expendit Schmalzgrueber (in tit. 31, libri 3 decretalium, n. 20) :

« Quæritur utrum ad substantiam veræ religionis requira-

Digitized by Google

« tur vita communis? Respondeo, spectato jure ecclesiastico « novo et hodierno, affirmative. Ita Suarez (tomo 3 *de Religio-* « *se*, lib. 2, c. 4, n. 1), Pellizzarius (tomo 1, tract. 1, c. 1, « q. 12, n. 18), Pirhing (hic, n. 18). Et patet ex capite fi- « nali *de Religiosis domibus ;* et capite unico, eodem titulo, in « 6 ; ubi statuitur, vota religiosa, seu professionem religiosam « debere fieri in religione approbata a Sede Apostolica. Atqui « secundum præsentem Ecclesiæ consuetudinem Sedes Apo- « stolica non approbat nisi statum cœnobiticum, seu in com- « muni viventium sub uno capite, seu prælato ecclesiastico, « et sub una regula approbata ad christianam perfectionem « tendentium. Igitur ut quis fiat religiosus, necesse est ut « fiat membrum talis communitatis, consequenter in communi « vivat, vel saltem habeat communem prælatum et regulam « sub qua vivat.

« Dixi, *spectato jure ecclesiastico novo et hodierno ;* nam ex « natura sua status religiosus non necessario requirit vitam « communem. Si enim illam requireret, requireret eam vel « ratione status ut sic, vel ratione perfectionis : non ratione « status ut sic ; quia hic solum dicit immobilitatem : non ra- « tione perfectionis ; quia ad hanc tendere etiam vitam solita- « riam degens potest : ergo. Sufficit ergo per se loquendo ad « vitam religiosam, si is, qui eam profitetur, habeat reliqua, « quæ recensui, requisita ; hoc est, ut observet consilia evan- « gelica, ut horum observantiam firmet voto, et quidem per- « petuo, et hæc vota tanquam substantialia religionis Dei no- « mine ab aliquo ad id potestatem habente, acceptentur. Et « tales religiosi (ut Suarez..., Pellizarius.. , Pirhing..., exi- « stimant) erant antiqui illi anachoretæ, et quædam virgines « ac viduæ. »

Item Suaresius tanquam omnino certum docet, posse alsque vita communi totam religiosi status essentiam subsistere : « Neque ex ratione status ut sic (inquit), neque ex ratione « status perfectionis necessaria est illa conditio vitæ commu- « nis ; neque status religiosus ex sua specifica ratione aliquid

Digitized by Google

« habet, unde illam necessario requirat : ergo nulla ratione « necessaria est... Potest quis, privatam vitam agens, perfe- « ctioni acquirendæ insistere, et certam vitæ rationem fir- « mam et stabilem assumere, in qua per observantiam trium « consiliorum ad perfectionem tendat, et ad hunc finem sub « alicujus potestate sit firmiter constitutus. Ergo nihil ei de- « erit quominus vere et proprie sit in statu religionis... Ergo « sine vita communi potest status verus religionis constitui. » (*De Religione*, tract. 7, lib. 2, c. 4.)

Hanc doctrinam reperies apud probatos doctores communiter receptam; cujus ratio fundamentalis est, gratis omnino asseri, statum religiosum absque vita communi non esse verum statum religiosum. Neque id minus gratis asseritur, quam gratis assereretur vitam solitariam ad status religiosi essentiam pertinere. Quod ergo status religiosus vitæ privatæ, vel vitæ communis formam induat, id ei accidentale est; et sive cum una, sive cum altera forma potest tota ejus essentia subsistere; modo tamen, ut diximus, non intervenerit Ecclesiæ prohibitio. Nam posita vitæ solitariæ prohibitione, status religiosus cum illa forma jam non foret status perfectionis, sed rebellionis; et idem dicendum foret de vita communi, si eam Ecclesia prohibuisset.

Neque objicias, non deesse primi subsellii scriptores, qui statum religiosum proprie dictum non agnoverint, nisi cum vita communi conjunctum. Nam nec tot nec tanti sunt auctores illi, ut non liceat eorum opinionem, nulla solida ratione firmatam, rejicere. Ac præterea ex ipsis non pauci toti sunt in obtrudenda mere ecclesiastica status religiosi institutione; idque deducere conantur ex eo quod tertio aut quarto duntaxat sæculo existere cœperint vitæ cœnobiticæ instituta. Quæ eorum illatio prorsus rueret, si pro veris religiosis agnoscerent primi et secundi sæculi ascetas, licet privatam vitam agentes. Unde ad falsum fulciendum systema, falsam de status religiosi essentia notionem fingere et obtrudere coguntur.

PROPOSITIO X^a. — *Probabilius videtur Ecclesiæ approbatio-*

Digitized by Google

nem ad religiosi status essentiam non pertinere. — Sensus quæstionis est, utrum pro vero statu religioso habendus esset ille vivendi modus, quem Ecclesia nec approbasset, nec prohibuisset; quique cæteroquin conditiones alias haberet ad status religiosi substantiam requisitas. Dubium quidem non est, quin a tempore saltem Innocentii III prohibitum sit quodlibet institutum religiosum, hoc ipso quod non sit positive approbatum; cum expresse prohibitionem illam dictus Pontifex edixerit, ut superiori propositione vidimus. Sed disputatur an approbatio requiratur duntaxat de jure ecclesiastico, an vero etiam de jure divino, et ex ipsa status religiosi natura. Controversia nempe versatur circa institutum aliquod religiosum, absque ulla Ecclesiæ approbatione inductum, antequam prodiisset ulla lex ecclesiastica, approbationem obtinendam præcipiens, et statum religiosum hac approbatione destitutum prohibens et irritans. Et plures quidem gravissimique doctores in ejusmodi instituto veri status religiosi substantiam seu essentiam agnoscunt : alii vero minime. Quam utramque sententiam expositam reperies apud Suaresium (*de Religione,* tractatu 7, l. 2, c. 15). Nobis prior meliori fundamento niti visa est. Eam tamen ut probabiliorem duntaxat defendimus. Ostendemus autem 1° non valere rationes sententiæ oppositæ; 2° concipi et dari posse totam religiosi status substantiam absque Ecclesiæ approbatione.

I. *Robore carent rationes sententiæ oppositæ.* — 1° Robore caret ratio desumpta ex eo quod ad essentiam status religiosi requirantur vota solemnia : vota autem solemnia existere nequeant, quin ab Ecclesia ut talia approbentur. Etenim falsum est requiri ad essentiam status religiosi votorum solemnitatem, ut supra vidimus; nec jam potest opinio hæc a scriptoribus catholicis sustineri, post bullam *Ascendente* Gregorii XIII, qua contrarium expresse declaratum est quoad vota simplicia scholasticorum societatis Jesu. Unde quamvis olim doctores non pauci necessitatem approbationis Ecclesiæ ex necessitate votorum solemnium concludi posse existimaverint, hodie ta-

Digitized by Google

men ea ratio prorsus rejicienda est, cum jam omnino certum sit votorum solemnitatem ad religiosi status substantiam non pertinere.

2° Nec valet ratio, quam oppositæ sententiæ patroni deducunt ex traditione illa, qua se totum religiosus Deo mancipat et donat, quamque de religiosi status substantia esse nos ipsi supra admisimus. Necesse est, inquiunt, traditionem hanc a Deo acceptari; alioquin nulla et nullius effectus foret : Deus autem illam non acceptat immediate per seipsum : ergo necesse est ut acceptetur ab aliquo homine nomine Dei : nullus autem homo potest sic valide acceptare nomine Dei, nisi specialem commissionem seu potestatem quoad hoc a Deo ipso acceperit : quam quidem potestatem acceptandi donationes nomine Dei accepit a Deo Ecclesia, non autem ullus homo privatus : « Nullus autem (sunt verba Suaresii hanc sententiam exponentis, *de Religione*, tract. 7, l. 2, c. 15, n. 6) illam (potestatem) accipit immediate a Deo nisi Summus Pontifex; et ideo necesse est ut modus contrahendi et constituendi hunc statum, saltem quoad personam acceptantem, in cujus manibus vota fiant, sit ab Ecclesia institutus, et aliquo modo approbatus. »

Non valet, inquam, hoc ratiocinium. Etenim quod nequeat dicta traditio ab aliquo privato homine acceptari nomine Dei, nequaquam certum est, et contrarium sustineri potest. Supponamus, verbi gratia, Titium velle sese religioso statui addicere, triplex consilium evangelicum vovendo, et determinata quadam norma vivendo, quam recta ratio dictat esse honestissimam et valde proficuam. Adit Sempronium, privatum quidem virum et laicum, ast prudentia et morum sanctitate valde commendabilem. Tria vota in ejus manibus emittit, totalemque sui ipsius traditionem seu donationem Deo facit. Sempronius autem, nomine Dei, traditionem illam acceptat, necnon regendi Titii, tanquam per votum obedientiæ sibi jam subditi, curam assumit et spondet. Cur, quæso Deus hoc modo factam a Titio traditionem non acceptaret? In his enim

Digitized by Google

omnibus nihil pravum est, sed honesta singula et Deo grata. Honestum profecto triplex votum : honesta, ex hypothesi, peculiaris in observandis votis proposita forma : honesta de se et Deo grata traditio hæc totalis, qua se Titius totum Deo mancipat : honestum pactum quo se Titius ad obediendum Sempronio obligavit. Cum ergo hæc omnia honesta sint et Deo accepta, ex hoc ipso merito concluditur Deum ratam habere Sempronii acceptationem. « Ad acceptandum hujusmodi vo« tum vel promissionem, non est necessaria specialis potestas « a Deo commissa; sed sufficit ut secundum rectam et pru« dentem æstimationem judicetur id esse honestum et Deo « gratum : nam per hoc sufficienter intelligitur Deum acce« ptare quod ad suum obsequium aliquis, electus tanquam « minister ejus, acceptat. Nec enim oportet ut ille sit publi« cus minister, ad illud munus ab Ecclesia deputatus; sed « satis est quod ab altero voluntarie et prudenter sit ele« ctus... Concluditur... : illa omnia possunt valide fieri sine « positiva Ecclesiæ approbatione; et illa sufficiunt ad homi« nem verum religiosum constituendum; quia sufficiunt ad « perfectam abrenuntiationem et abnegationem, ablationem« que omnium impedimentorum, cum sufficienti stabilitate; « quæ satis sunt ad constituendum illum in completo statu « perfectionis acquirendæ. Ergo ex natura rei potest ita con« stitui sine peculiari Ecclesiæ approbatione (1). »

Quod autem dictum est de Titio et Sempronio, dici potest de pluribus vitam in communi degentibus, et superiorem sibi libere eligentibus, regulamque huic vitæ communi accommodatam sequentibus. Si nempe juxta rectam et prudentem æstimationem regula hæc honesta sit, poterit quis tria consilia juxta hanc regulam observanda vovere, et superiori hujus communitatis obedientiam promittere, et sui ipsius donationem seu traditionem Deo facere. Et superior hujus communitatis, licet nequaquam ab Ecclesia deputatus, sed duntaxat a

(1) Sunt verba Suaresii, secundam sententiam exponentis (*loco citato*, n° 8).

Digitized by Google

suis confratribus libere electus, poterit traditionem illam nomine Dei acceptare. Quod autem Deus traditionem hoc modo factam ratam habeat, merito concludi potest, ex eo quod nihil sit in his omnibus nisi de se honestissimum et Deo gratum. Unde in ejusmodi communitate tota reperietur status religiosi substantia, licet ejus regulam nondum Ecclesia approbaverit.

3° Nec tandem valet ratio deducta ex eo quod instituta religiosa, nisi ab Ecclesia approbentur, sint periculosa; ac proinde nequaquam apta ad constituendum perfectionis acquirendæ statum. Equidem fatemur triplex consilium evangelicum non posse observari in genere, ut ita dicam; sed necessario in praxi observari juxta hunc vel illum determinatum modum, id est, juxta hanc vel illam peculiarem regulam. Atque item fatemur contingere posse ut, quoad ejusmodi regulam, fideles decipiantur, honestam et utilem existimando quæ talis revera non esset. Atvero, quamvis Ecclesiæ approbatio sit tutissimum medium ad vitandam ejusmodi deceptionem, non tamen est unicum. Etenim multoties sufficere potest recta ratio et prudentium virorum æstimatio ad satis perspiciendam alicujus peculiaris instituti honestatem et utilitatem. Et sic sufficienter arcebitur dictum periculum, præsertim cum perpetuo invigilet Ecclesia, et regulam nocivam, quæ forte induceretur, posset statim prohibere et irritam facere.

Tres autem recensitæ rationes solæ sunt, quas viderim in gratiam oppositæ sententiæ adductas. Quæ cum robore careant, jam merito concludi potest sententiam illam solido fundamento nequaquam inniti. Sed et directe probabilior altera sententia probari potest. Nempe :

II. *Concipi et dari potest tota religiosi status essentia absque Ecclesiæ approbatione.* — Etenim illud ad rei substantiam non pertinet, quod potest adesse vel non adesse, quin res intrinsece mutetur. Atqui status religiosus intrinsece idem remanet, sive accedat sive non accedat Ecclesiæ approbatio. Nam

Digitized by Google

observatio triplicis consilii evangelici, voto firmata, cum traditione sui Deo facta et a Deo acceptata, est id quod statum religiosum intrinsece constituit. Approbatio autem Ecclesiæ est actus superiorum ecclesiasticorum, quo talem hujus status formam seu regulam bonam declarant, et ad praxim licite deduci posse decernunt. Qui actus declarandi et decernendi est quid extrinsecum huic status religiosi formæ, ut patet. Non enim mutatur ille status per talem peculiarem regulam determinatus, quando declaratur bonus; nec fit bonus per illam declarationem; sed quia est in se bonus, talis ab Ecclesia declaratur. Item quando Ecclesia decernit aliquod institutum religiosum posse licite ad praxim deduci, non constituit substantiam hujus instituti, sed institutum illud, quale est intrinsece et substantialiter, iniri posse a fidelibus decernit. Unde status religiosus quatenus talis, per approbationem non mutatur intrinsece; sed idem remanet substantialiter, sive ante, sive post approbationem. Atque id illustrari commode potest exemplo canonizationis sanctorum. Canonizatio nempe alicujus sancti non est de essentia sanctitatis ejus. Declarat quidem virum illum esse sanctum, et decernit posse licite ut talem coli; sed nil addit ejus sanctitati; et sanctitas hæc in se et intrinsece eadem omnino est ante ac post canonizationem.

Objicies. — Prohibitio alicujus instituti religiosi impedit ne habere possit essentiam status religiosi: ergo a pari approbatio facit ut in essentia status religiosi constituatur. — Respondeo : nego paritatem. Nam prohibitio attingit essentiam ipsam status religiosi, et eam aufert; si quidem de essentia est status religiosi ut sit status perfectionis acquirendæ : statim autem ac fuit ab Ecclesia prohibitus, jam hoc ipso non est status perfectionis, sed *rebellionis*, ut aiunt doctores. E contra approbatio non ponit essentiam status religiosi qui approbatur, quod necessarium foret ut adesset paritas; sed declarat eam essentiam adesse in tali instituto; et illud institutum tuto et laudabiliter iniri posse.

Digitized by Google

Hinc sequitur prohibitionem quoad statum religiosum intelligendam esse sicut impedimentum dirimens quoad matrimonium. Nisi Ecclesia edixisset impedimentum dirimens clandestinitatis, verum et validum foret matrimonium clandestinum. Pariter nisi Ecclesia prohibuisset status religiosos non approbatos, veri et validi forent illi status religiosi absque ulla approbatione, modo haberent alias conditiones ad essentiam status religiosi necessarias. Et sicut in hypothesi non existentis impedimenti clandestinitatis, verum adest matrimonium, quin Ecclesia illud positive approbet; ita in hypothesi quod non existat dicta prohibitio quoad statum religiosum, verus est status religiosus absque ulla positiva Ecclesiæ approbatione.

Unde tandem dicendum videtur ad status religiosi essentiam requiri quidem ut illum Ecclesia non prohibeat; sed nullatenus requiri ut illum positive approbet.

Hodie autem illa quæstio, an approbatio ad religiosi status substantiam pertineat, mere theorica est : siquidem certum est, jamdudum prohibita fuisse omnia instituta religiosa, hoc ipso quod approbationem non obtinuerint. Ita ut de facto hodie nequeat adesse religiosi status essentia, nisi adsit approbatio. Sed hoc provenit ex jure mere ecclesiastico; non autem ex jure divino, seu ex ipsa religiosi status natura. Unde si Ecclesia hanc suam legem prohibentem revocaret, denuo posset existere verus status religiosus absque dicta approbatione : sicut validum denuo foret matrimonium clandestinum, si Ecclesia clandestinitatis impedimentum dirimens tolleret.

Nota 1. — Conclusionem nostram defendit, inter alios, venerabilis Bellarminus (*de Monachis*, c. 4, col. 431, edit. Ingolstad.) : « Oritur hoc loco, inquit, brevis quædam dubitatio, « an religionum institutio libera sit, an vero egeat Summi « Pontificis confirmatione; sed facilis est solutio. Duo siqui- « dem in omni religione inveniuntur : essentia ipsa religionis, « quæ in tribus votis sita est; et determinatio illius essentiæ « ad certum modum vivendi. Et quidem essentia religionum

Digitized by Google

« in Evangelio fundamentum habet... : proinde ex hac parte « non egent religiones Pontificum approbatione. Modus au- « tem ille varius quo tria vota suscipi possunt, non ita perspi- « cue in Evangelio elucet, et non parum ex prudentia et di- « rectione humana pendet. Quare Pontificis confirmatione « *indigere potest*, et *nunc* reipsa, propter *jus positivum* novas « religiones prohibens, *omnino indiget*. Itaque Antonius, Basi- « lius, Augustinus, Benedictus auctores religionum fuerunt, « nec ullam leguntur a Pontifice approbationem quæsivisse : « propterea quod nondum exstaret jus ecclesiasticum id præ- « cipiens. »

Nota 2. — Suaresius in hac quæstione mediam quamdam viam secutus est. Admittit nempe approbationis Ecclesiæ necessitatem (1), quoad religionem *cum forma communitatis instituendam, et toti Ecclesiæ proponendam ;* ea ductus ratione, quod absque hac approbatione talis religio satis tuta in praxi esse nequeat. Sed, ut supra diximus, ratio hæc omnino rigorosa non videtur. Potest siquidem ex prudenti æstimatione satis constare aliquam religionem (etsi de se aptam ut in totum orbem diffundatur) honestam esse et utilem, præsertim si Episcopi, ejus institutionem et diffusionem intuentes, non tantum eam non prohibeant, sed fidelibus eam ingrediendam suadeant. Qua stante prudentium virorum, et præsertim Episcoporum æstimatione, tuta conscientia poterunt fideles ejusmodi religionem ingredi, licet nondum intervenerit Sedis Apostolicæ, aut ullius etiam Episcopi positiva approbatio. Dictam autem Suaresii sententiam clare exprimunt hæc ipsius verba : « Notanda est differentia inter hanc necessitatem « (approbationis) seu obligationem, ante vel post ecclesia- « sticam prohibitionem : nam ante prohibitionem non pecca- « ret, qui suo prudenti judicio et arbitrio modum religiose « vivendi inveniret, et honestum et ad perfectionem uti-

(1) Intellige *de jure etiam divino ;* nam quod requiratur de jure ecclesiastico extra controversiam est.

Digitized by Google

« lem eum judicando, erigeret, et socios reciperet, qui secum illum profiterentur... Nihilominus tamen ad prælato-
« rum Ecclesiæ curam pertinuisset tunc talem introductionem,
« præsertim cum extensione et propagatione non admittere,
« donec ab eis examinaretur et probaretur ; quia hoc sine
« dubio per se necessarium est ad bonum Ecclesiæ regimen ;
« et ideo in prælatos Ecclesiæ non deest potestas ad proh-
« bendos hos vivendi modos non examinatos, nec per Eccle-
« siam, id est Ecclesiæ pastores, approbatos. » (*De Religione*, tractatus septimus, l. 2, c. 15, n. 15.) Nos non negamus, semper potuisse Ecclesiæ pastores novi ordinis nondum approbati introductionem prohibere. Sed casum expendendo introducti de facto novi ordinis absque illorum prohibitione, dicimus agnoscendam in eo esse totam religiosi status essentiam, ita ut nempe approbationis expressæ defectus illam essentiam non auferat, modo alias non desint cæteræ requisitæ conditiones.

PROPOSITIO XI^a. — *Obligatio reciproca religiosum inter et communitatem, qua nempe non tantum religiosus teneatur permanere in ordine, sed ordo vicissim illum non ejicere, ad religiosi status substantiam non pertinet.* — « Dicendum, ad hoc ut aliquis sit
« vere ac proprie religiosus, sufficere si saltem ex parte vo-
« ventis detur obligatio perpetuo manendi in religione, licet
« religio non habeat vicissim obligationem absolutam eum
« perpetuo retinendi. Ita Suarez (tomo 3 *de Religione*, l. 2, c.
« 14, n. 12), Sanchez (l. 5 *Moral.*, c. 1, n. 26), Lessius (l. 2,
« *de Justitia et Jure*, c. 41, n. 8), Pirhing (hic, n. 6). Ratio
« est, quia ad statum religiosum non requiritur major immo-
« bilitas, quam quæ requiritur ad statum in genere. Atqui ad
« statum in genere sufficit ut quis seipsum non possit ab ea
« vitæ conditione liberare, nec propria sponte recedere;
« quamvis possit potestate superioris (præsertim supremi) ab
« ea eximi. Patet in servo, qui in immobili statu servitutis
« esse dicitur, licet dominus illum manumittere possit, ideo
« solum quia eo se statu propria sponte liberare non potest:

Digitized by Google

« ergo etiam ad statum religiosum sufficiet : alias ne professi « quidem veri religiosi essent, cum liberari a vinculo profes- « sionis saltem Pontificis authoritate possint. » (Schmalzgrueber, in tit. 31, libri 3 decret., n. 18.)

Est autem doctrina hæc omnino certa et tenenda, si quidem ita expresse declararunt quoad societatem Jesu Summi Pontifices Julius III (in confirmatione instituti hujus societatis, anno 1550), et Gregorius XIV (in bulla edita anno 1591). In dicta nempe societate scholastici votis se adstringunt ad perpetuo manendum in ordine : societas autem sibi potestatem servat eos dimittendi si ita magis ipsi expedire videatur. Et nihilominus a præfatis Pontificibus declaratum est ejusmodi scholasticos pro veris et proprie dictis religiosis esse habendos.

Objicies. — Quando quis vota religiosa emittit, fit contractus ipsum inter et religionem : ipse nempe se tradit religioni; quæ traditionem hanc acceptans vicissim se obligat ad præbenda alimenta aliaque necessaria. Contractus autem debent esse utrinque æqualiter onerosi; alioquin claudicarent, et naturali justitiæ contrarii essent. Si ergo vovens habeat onus perpetuo manendi in religione, religio habere debet onus perpetuo eum retinendi, seu nunquam eum ejiciendi.—Respondetur contractum initum, cum ea conditione, ut sit onerosus ex una parte, et non ex altera, nequaquam esse justitiæ contrarium, modo in eam conditionem libere et sciens utraque pars consenserit.

Digitized by Google

SECTIO III.

De votorum solemnitate.

In superioribus sectionibus dictum est, ad essentiam religiosi status requiri votum perpetuum de triplici consilio evangelico, paupertatis nempe, castitatis et obedientiæ. Cum autem ejusmodi vota in simplicia et solemnia distinguantur, expendendum remanet in quo stet utriusque speciei discrimen; et num status religiosus cum solis votis simplicibus stare possit, an vero ad ejus essentiam requirantur solemnia. Quam magni momenti disceptationem expediemus hoc ordine : 1° exponemus communiter receptam distinctionem simplicium et solemnium votorum, necnon solemnitatis accidentalis et substantialis : 2° exquiremus in quo stet voti castitatis solemnitas : 3° in quo solemnitas voti paupertatis : 4° in quo solemnitas voti obedientiæ : 5° generali formula determinabimus in quo stet trium substantialium religionis votorum solemnitas : 6° tandem probabimus ad essentiam religiosi status nullatenus requiri votorum solemnitatem.

CAPUT I.

DE COMMUNITER RECEPTA DISTINCTIONE, TUM INTER SIMPLICIA ET SOLEMNIA VOTA, TUM INTER ACCIDENTALEM ET SUBSTANTIALEM SOLEMNITATEM.

I. *Certum est, et a doctoribus unanimiter admissum, dari distinctionem simplicia inter et solemnia vota.* — Distinctio hæc

Digitized by Google

constat juris textibus quam plurimis; verbi gratia, decretali *quod votum* (tituli 15, libri 3, in 6), qua Bonifacius VIII determinat quænam vota debeant haberi pro solemnibus, et quænam pro simplicibus. Item capite *rursus* (6, tituli *qui clerici* 6, libri 4 decretalium), ubi memoratur utraque voti species, et declaratur matrimonium subsecutum dirimi quidem per votum solemne, non autem per votum simplex. Hi et similes juris textus vota solemnia expresse distinguunt a simplicibus. Atque illam distinctionem insuper supponunt, varios unicuique speciei effectus tribuendo. Si enim nulla omnino intercederet simplex inter et solemne votum distinctio, seu diversitas, non possent diversos effectus producere. Ergo omnino admittendum est illa vota differre ab invicem, vel ex natura sua, vel saltem per aliquid uni accidentaliter additum, quod non addatur alteri. Quod autem diversitas non sit in votis ipsis, sed proveniat ex actu ipsorum essentiæ extrinseco, et certos effectus uni alligante, non alteri, dicetur infra; hic tantum adnotamus admittendam esse in aliquo saltem sensu distinctionem seu diversitatem. Quæ cæteroquin distinctio constat insuper ex unanimi doctorum sententia. Nullum enim reperies qui eam tanquam omnino certam non affirmet, vel præsupponat.

II. *Quo sensu distingui soleat voti solemnitas, in substantialem et accidentalem.* — Per solemnitatem *accidentalem*, intelligunt doctores communiter externas eas cæremonias atque formalitates, voti emissionem concomitantes, sine quibus potest votum esse solemne, et quibus stantibus potest non esse solemne. E contra per solemnitatem *substantialem* intelligunt id, sine quo votum solemne esse nequit, et quo stante est semper et necessario solemne. Quarum vocum sic determinato sensu, patet solemnitatem proprie dictam, seu stricte sumptam, consistere in substantiali, non in accidentali. Item patet votum proprie et stricte solemne differre a simplici, per solemnitatem *substantialem*, non autem per accidentalem; siquidem hæc posterior reperiri etiam potest in voto simplici.

Digitized by Google

Cæterum ubi sermo est simpliciter de votorum solemnitate, intelligi solet de solemnitate proprie dicta, seu de substantiali.

CAPUT II.

VOTI CASTITATIS SOLEMNITAS QUID SIT, SEU IN QUO PROPRIE CONSISTAT.

« In quo consistat voti solemnitas (ait Schmalzgrueber, in « tit. 34, libri 3 decret., n. 8) magna est apud doctores con- « tentio. » Qua stante opinionum varietate, aptior ad dignoscendam veritatem visa est methodus, difficultatem primum expendere in particulari quoad unumquodque trium votorum, atque ad generalem postea conclusionem gressum facere. In præsenti ergo capite de voti castitatis duntaxat solemnitate quæstionem instituimus; quam paragraphis distinguemus in hunc modum : 1° exponemus triplicem hac de re doctorum sententiam : 2° confutabimus primam sententiam, quæ solemnitatem reponit in aliqua benedictione seu consecratione, aliove externo ritu : 3° secundam item confutabimus sententiam, quæ solemnitatem vult esse positam in traditione, quam sui ipsius vovens facit Deo, ac religioso, in quo recipitur, ordini : 4° veram ostendemus tertiam et multo communiorem sententiam, quæ solemnitatem reponit in decreto Ecclesiæ, quo statuitur votum illud fore in perpetuum subsecuti matrimonii dirimens : 5° tandem nonnulla deducemus corollaria, ad magis patefaciendam de solemnitate voti castitatis notionem idonea.

§ I.

Exponitur triplex doctorum sententia.

« *Prima* sententia ponit hanc solemnitatem in quadam con- « secratione spirituali, benedictione, vel alio simili sacro ritu.

Digitized by Google

« Hæc videtur fuisse sententia divi Thomæ, 2-2, q. 88, a. 7.» (Suarez, *de Religione*, tractatu 7, libro 2, c. 6, n. 2.)

« *Secunda* principalis opinio in hac materia est, solemnitatem voti castitatis formaliter consistere in dicta (1) traditione : ita docent graves theologi... Est autem in modo loquendi aliqua diversitas inter hos auctores. Nam quidam asserunt, ipsam sui traditionem, quam religiosus facit religioni, esse essentialiter ipsum votum solemne castitatis, quod nobis non placet... Alii ergo distinguendo illa duo, prout nos illa distinximus, dicunt ab ipsa traditione habere votum vim inhabilitandi personam ad matrimonium ; et ideo illam esse veluti moralem formam solemnizantem ejusmodi votum. Et in hoc sensu dicunt votum solemne castitatis includere promissionem *cum traditione et translatione dominii* in Deum, mediante homine, seu in hominem vice Dei. » (Suarez, loco citato, c. 7, n. 2.).

Tertiam sententiam describit Schmalzgrueber in hunc modum : « Communis apud jurisperitos doctrina eam (*voti solemnitatem*) refundit in *dispositionem Ecclesiæ*, ita acceptantes illud, ut, seclusa dispensatione Apostolica, sit perpetuum, et voventem inhabilem reddat ad actus voto repugnantes. Tale votum de facto est duplex duntaxat, videlicet votum annexum susceptioni sacri ordinis, et professio religiosa. » (In tit. 34, libri 3 decretalium, n. 8.)

Licet autem prædicto modo dissentiant auctores, unanimiter tamen admittunt solemnitatem voti castitatis semper pro effectu habere, ut dirimat præcedens matrimonium non consummatum, et inhabilem reddat voventem ad aliud valide contrahendum, ita ut effectus ille signum certum et infallibile sit solemnitatis.

(1) Antea nempe fuse dixerat Suaresius, quid per illam traditionem intelligatur. Sed et satis id intelligitur per cætera ipsius verba, hic a nobis transcripta.

Digitized by Google

§ II.

Rejicitur prima sententia, quæ solemnitatem voti reponit in aliqua benedictione seu consecratione, aliove externo ritu.

PROPOSITIO I. — *Solemnitas substantialis voti castitatis non consistit in aliqua benedictione, vel consecratione.* — Ita admittendum est, si possit dari votum castitatis substantialiter solemne, quin adsit illa benedictio, consecratiove; et si vicissim possit adesse benedictio et consecratio, quin votum castitatis sit substantialiter solemne : atqui utrumque certum est.

I. *Absque ulla benedictione, vel consecratione, dari potest votum castitatis substantialiter solemne.* — Probatur 1° ex professione tacita. Illa enim professio fit absque ulla consecratione aut sacra cæremonia; et tamen certum est ei annexum esse votum castitatis substantialiter solemne. Probatur 2° ex praxi multarum religionum, in quibus fiunt vota substantialiter solemnia, quamvis nulla interveniat ejusmodi benedictio aut consecratio. Talis est societas Jesu, in qua professio fit absque ulla ejusmodi personæ aut habitus benedictione vel consecratione. Item religio sancti Dominici, in qua primum emittuntur vota solemnia, et postea benedicuntur vestes; ita ut ante benedictionem illam jam adsit votum solemne. Item religiones omnes mendicantium, et etiam nonnullæ monachales, ejusmodi benedictione in professo carent. (Vide Suarezium, *de Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 6, n. 4.)

II. *Potest adesse benedictio vel consecratio, quin votum castitatis sit solemne.* — Patet ex voto castitatis sacris ordinibus annexo. Ibi enim adest consecratio; et tamen, fatentibus omnibus, votum castitatis, quod per sacrorum ordinum susceptionem emitti censetur, non est solemne nisi *de jure ecclesiastico;* ac proinde posset, si Ecclesia ita statuisset, esse tantum simplex; ita ut nempe matrimonium subsecutum non dirimeret. « Potuisset (ait Suarez) Ecclesia instituere ut sacer-

Digitized by Google

« dotes voverent castitatem, et non manerent inhabiles ad « matrimonium : nam hæc duo distincta sunt; et qui potuit « utrumque simul introducere, potuisset etiam unum sine « altero ordinare. Tunc autem eadem esset consecratio et be- « nedictio personæ; et consequenter votum esset annexum « eidem consecrationi, et nihilominus non esset solemne. Ergo « solemnitas non consistit formaliter et per se in illa consecra- « tione. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 6, n. 5.)

Objicies. — Doctrina hæc contrarium sibi habet sanctum Thomam, qui sic docet (2-2, q. 88, a. 7) : *Solemnitas voti attenditur secundum aliquid spirituale, quod ad Deum pertineat, id est, secundum aliquam benedictionem vel consecrationem, quæ ex institutione Apostolorum adhibetur in professione certæ regulæ.* Atque infra, articulo 9 : *Solemnitas voti in quadam spirituali benedictione et consecratione consistit.* — Ad illos Angelici doctoris textus respondet Suarez : « Hæc sententia intellecta « prout verba sonant... aliis theologis fere omnibus displicuit : « præsertim Scoto..., Durando...: et ex Thomistis illam re- « fellit Cajetanus...: et mihi etiam improbanda videtur. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 6, n. 3.) Ibidem autem, n. 18, ostendit Suaresius quomodo possit sancti Thomæ allegatus textus intelligi.

Propositio IIª. — *Etsi votum nequeat esse solemne absque aliqua externa manifestatione, substantia tamen solemnitatis non consistit in ullo ejusmodi externo modo aut ritu, in emissione votorum adhibito.* — Probatur *prima pars* propositionis, id est, ad votum solemne requiri aliquam externam manifestationem. Etenim nisi votum aliquomodo externe manifestum fiat, erit duntaxat mentale, seu mere internum; nec poterit de eo hominibus constare. Ergo traditio sui ipsius, quam quis Deo faceret per ejusmodi vota, non posset ab aliquo, nomine Dei, acceptari. Ergo deesset traditio illa, ab aliquo homine, vice Dei, acceptata, quam supra probavimus necessariam ad constituendum statum religiosum proprie dictum. Ergo vota illa

Digitized by Google

non essent proprie religiosa. Ergo a fortiori non essent solemnia. Et revera in jure non habetur ullum votum ut solemne, nisi sit externum. Idem tradit Suaresius (*de Religione*, tractatu 7, lib. 2, c. 5, n. 5), adnotans, sive ad votum substantialiter solemne, sive etiam ad votum accidentaliter solemne, « *necessarium* esse ut, non solum mentale, sed etiam externum « et visibile sit. Tum quia nullum potest simplicius votum « esse, quam pure mentale; ergo, ut votum sit aliquo modo « solemne, debet saltem addere aliquam externam manifestationem. Tum etiam quia votum non dicitur solemne, nisi « in ordine ad Ecclesiam, cui debet de tali voto constare. Et « ideo in jure nullum votum solemne appellatur, quod exter- « num non sit; quia internum, per se et natura sua, occultum « est hominibus. »

Probatur *secunda pars* propositionis, id est, solemnitatem substantialem non consistere in ullo externo modo aut ritu vota emittendi. Etenim quicunque sit ille ritus seu modus externus in emissione voti adhibitus, potest Ecclesia decernere ut votum cum ipso emissum sit solummodo simplex. Sic, verbi gratia, si Romanus Pontifex decerneret ut in aliquo religioso ordine jam emitti non possent nisi vota simplicia, ex tunc revera simplicia duntaxat forent emissa in illa religione vota, licet pergerent emitti cum eodem omnino ritu externo, qui antea in votis solemnibus adhibebatur. Item si decerneret Summus Pontifex votum castitatis, quod susceptioni sacrorum ordinum annectitur, jam non fore impedimentum dirimens quoad subsecutum matrimonium, ex tunc votum illud foret simplex, quamvis solitus in conferendis sacris ordinibus ritus nulla ex parte immutaretur. Unde nullus excogitari potest externus vota emittendi modus, qui per se solum et ex natura sua solemnitatem substantialem importet; sed votum cum ipso emissum, attenta sola hujus externi ritus natura, tam potest esse simplex quam solemne. Proinde quod sit solemne potius quam simplex, id non provenit ex natura ipsa

Digitized by Google

externi ritus adhibiti, sed aliunde. Ergo solemnitas substantialis non consistit in ullo externo ritu seu modo vota emittendi.

§ III.

Rejicitur secunda sententia, solemnitatem reponens in *traditione*, qua vovens Deo et religioso (quem ingreditur) ordini sese donat et mancipat.

Superiori paragrapho illam aliquot doctorum opinionem impugnavimus, qui solemnitatem reponunt in certa quadam *benedictione aut consecratione, aliove externo ritu*. Nunc impugnandam suscipimus opinionem aliam : eorum nempe, qui dictam voti castitatis solemnitatem reponunt in *traditione* sui ipsius, quam vovens facit Deo, et quæ nomine Dei a Prælato religionis acceptatur. Quæ posterior opinio, quomodo intelligatur et ab aliquibus sustineatur, etsi jam supra breviter dictum sit, adhuc tamen tantisper evolvendum duximus. Distinguunt nempe hujus opinionis patroni votum, seu promissionem Deo factam, a traditione. Qui promisit, verbi gratia, agrum suum alicui Ecclesiæ donare, non ideo jam illum tradidit. Nimirum vi solius voti seu solius promissionis Deo factæ, tenetur agrum tradere : at donec tradiderit, et traditio nomine Dei acceptata fuerit, dominium ipsius retinet. Unde si agrum hunc donet postea alicui amico suo, valebit illa donatio, quamvis illam faciendo peccet graviter, ob voti sui violationem. Pariter, inquiunt, qui vovet castitatem absque actuali traditione sui corporis Deo facta, et nomine Dei a Prælato religioso acceptata, si postea corporis sui dominium conjugi tradat, id est, matrimonium contrahat, peccabit quidem contra votum castitatis; sed valebit matrimonium contractum. E contra si vovens castitatem, simul sui corporis dominium Deo traddierit, eamque traditionem nomine Dei Prælatus religiosus acceptaverit, jam non poterit corporis sui (ut pote rei jam non suæ) dominium tradere conjugi; ac

Digitized by Google

proinde erit ad matrimonium valide contrahendum inhabilis. Cumque hæc inhabilitas signum certum sit solemnitatis voti castitatis, concludendum existimant, dicti voti solemnitatem nihil aliud esse quam illam ipsam traditionem; quæ nempe si votum castitatis comitetur, votum illud ex hoc ipso solemne erit; si vero non adjungatur voto castitatis, votum illud remanebit simplex. Idque continget ex jure divino; siquidem ex natura ipsa voti castitatis, cum vel sine præfata traditione facti, necessario sequitur, adesse vel non adesse ad contrahendum matrimonium inhabilitatem, ac proinde votum solemne esse vel simplex. Hanc porro expositam opinionem veram non esse,

PROBATUR I. — *Ex votis scholasticorum societatis Jesu.* — Nam, prout adnotavit Suaresius, « in religione societatis Jesu « post biennium fit votum castitatis cum reliquis, simul *cum* « *traditione*, qua vovens se tradit religioni per Ecclesiam ap- « probatæ, et acceptatur a superiore, in cujus manibus pu- « blice et cum sacris cæremoniis fit. Et nihilominus illud est « votum simplex, ut ex instituto societatis ejusque approba- « tione per bullas Pontificias constat. Imo ante Gregorium XIII « votum illud adeo erat simplex, ut subsequens matrimonium « non irritaret. Et quamvis postea Gregorius XIII, in bulla « *Ascendente Domino*, illud impedimentum introduxerit, et « personam sic voventem inhabilem ad matrimonium reddi- « derit durante voto, nihilominus declaravit etiam nunc esse « simplex, et non solemne. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 7, n. 15.) Ex quo sic argumentari licet. Si voti castitatis solemnitas consisteret in traditione, non posset votum illud esse simplex quando intervenit traditio : atqui in votis scholasticorum societatis Jesu intervenit traditio, et tamen votum remanet simplex : ergo solemnitas in traditione non consistit.

Objicies. — Ut valeret probatio deberet talis esse dictorum scholasticorum traditio, ut non tantum ipsi sese obligarent religioni, sed religio vicissim se quoad ipsos obstringeret:

Digitized by Google

atqui societas Jesu sese non ligat quoad ejusmodi scholasticos, sed libertatem sibi reservat eos dimittendi, si opportunum existimaverit : ergo non valet probatio ex hoc exemplo deducta. — *Respondeo*, negando majorem; id est, negando infirmari probationem per illam circumstantiam, quod dicta societas non sese obliget quoad scholasticum. Nam opinio quæ solemnitatem reponit in traditione, tota fundatur in hac ratione : quod per traditionem, vovens amittat dominium sui corporis; ita ut nequeat illud postea conjugi tradere, ac proinde inhabilis ad matrimonium efficiatur. Sed scholasticus societatis Jesu, licet possit a superioribus dimitti, eo tamen tempore quo non dimittitur, non minus dominio sui corporis caret, et est ad matrimonium inhabilis, quam si professionem emisisset ; siquidem Gregorius XIII voluit per scholasticorum ejusmodi vota matrimonium subsecutum irritari. Unde si traditio constitueret solemnitatem voti, illam constitueret etiam quoad scholasticum societatis Jesu, pro toto illo tempore quo non dimittitur : atqui e contra certum est ejus votum esse simplex et non solemne ; ergo merito inde concluditur solemnitatem voti non consistere in traditione.

Probatur II. — *Ex juris textibus*. — Hæc secunda probatio sic contrahi potest : si essentia solemnitatis voti consisteret in traditione, solemnitas esset juris naturalis seu divini; siquidem foret necessario alligata traditioni; nec posset ulla humana aut ecclesiastica potestas facere ut, posita traditione, votum non foret solemne, vel solemne esset absque traditione : atqui tamen juris textus probant voti castitatis solemnitatem esse institutionis mere ecclesiasticæ; ergo dicta solemnitas non consistit in traditione.

Remanet ut probemus minorem; id est, ut afferamus juris textus, qui plene evincant voti castitatis solemnitatem esse revera institutionis mere ecclesiasticæ.

Primus textus probans substantialem solemnitatem votorum esse institutionis ecclesiasticæ. — Sic habet decretalis *Quod votum* Bonifacii VIII (tituli 15, libri 3, in 6) : « Quod votum de-

Digitized by Google

« beat dici solemne, ac ad dirimendum matrimonium efficax,
« Nos consulere voluisti : Nos igitur attendentes, quod voti
« solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa ; matri-
« monii vero vinculum ab ipso Ecclesiæ Capite, rerum
« omnium Conditore..., unionem et indissolubilitatem acce-
« perit ; præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis,
« illud solum votum debere dici solemne, quantum ad post
« contractum matrimonium dirimendum, quod solemnizatum
« fuerit per susceptionem sacri ordinis, aut per professionem
« expressam vel tacitam, factam alicui de religionibus per
« sedem Apostolicam approbatis. Reliqua vero, etsi quandoque
« matrimonium impediant contrahendum..., non tamen re-
« scindere possunt matrimonia post contracta. »

Ex hoc textu sic argui potest : verba illa, *voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa,* evincunt substantialem solemnitatem ad jus mere ecclesiasticum esse referendam, si ibi Pontifex loquatur revera de solemnitate proprie dicta seu substantiali. Atqui in hoc sensu locutum fuisse Bonifacium VIII omnino admittendum est.

Nam, *primo,* talis est naturalis et obvius verborum ipsius sensus, prout satis per se patet.

Secundo, in hoc sensu decretalem illam intellexerunt *communiter* doctores ; quod sic testatur Suarez : « Vera et com-
« munis jurisperitorum intelligentia est, Pontificem in dicto
« capite loqui de solemnitate *substantiali* voti, id est, de vir-
« tute et efficacia quam habet ad irritandum subsequens ma-
« trimonium. Unde Glossa (ibi, *notabis primo*) ex eo quod
« dicitur in illo capite solemnitatem voti inductam esse con-
« stitutione Ecclesiæ, colligit, non votum ipsum, sed constitu-
« tionem Ecclesiæ esse quæ dirimit matrimonium. » (*De Religione,* tractatu 7, l. 2, c. 8, n. 3.)

Tertio, si Pontifex loqueretur duntaxat de solemnitate *accidentali,* absona forent verba hæc, *Nos attendentes quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa.* Nam verba illa præmittit tanquam fundamentum et motivum decisionis

Digitized by Google

quam prolaturus est; quasi diceret : « Cum voti solemnitas « sola Ecclesiæ constitutione inducta sit, ad solvendam propo- « sitam difficultatem sufficit declarare, quibus in casibus, ex « *constitutione ecclesiastica,* votum solemne sit et subsecutum « matrimonium dirimat : declaro autem ejusmodi casus esse « duos duntaxat, susceptionis nempe sacrorum ordinum, et « professionis in aliqua religione a sede Apostolica approbata. » Atvero si loqueretur duntaxat de solemnitate *accidentali,* ab- sone decisionem suam fundaret hoc principio, quod voti so- emnitas sit institutionis ecclesiasticæ. Nulla enim est connexio inter hæc duo : solemnitatem *accidentalem* esse institutionis ecclesiasticæ; et votum dici debere solemne, ac matrimonium dirimere, in duobus declaratis casibus. E contra rigorosa adest connexio inter hæc duo : solemnitatem quamlibet, atque adeo ipsam etiam *substantialem*, esse juris ecclesiastici; et vo- tum non dici debere proprie solemne, nec habere vim diri- mendi matrimonii, nisi in duobus dictis casibus. Nam in jure ecclesiastico non alii reperiuntur casus in quibus votum ha- beatur pro tali, et talis effectus productivo. Unde ex hoc principio, quod solemnitas hæc substantialis non aliunde esset desumenda quam *ex jure ecclesiastico,* logice inferebat Boni- facius VIII, in duobus duntaxat illis casibus esse admit- tendam.

Secundus textus probans substantialem voti solemnitatem esse institutionis ecclesiasticæ. — Gregorius XIII, in bulla *Quanto fructuosius* anni 1583, institutum societatis Jesu confirmando, inter alia declaraverat, contra nonnullos hujus temporis theo- logos id negantes, *omnes et quoscunque, qui in ipsa societate admissi... tria vota prædicta, tametsi simplicia emiserint..., vere et proprie religiosos fuisse et esse, et ab omnibus censeri et nomi- nari debere;* simulque prohibitionem addiderat : *ne quisquam... illud in controversiam... ponere audeat quoquo modo.* Cum vero Pontificiæ huic injunctioni nonnulla capita heteroclyta per- tinaciter adhuc contradicerent, eorum temeritatem, in sub- secuta bulla *Ascendente Domino* anni 1584, perstrinxit in hunc

Digitized by Google

modum : *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse; triaque hujusmodi societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu religionis vere constitui, quippe qui per ea ipsa se societati dedicant atque actu tradunt seque divino servitio mancipant.* Ibi pariter expresse declaratur solemnitatem voti *sola Ecclesiæ constitutione esse inventam;* quod idem est ac dicere illam esse institutionis mere ecclesiasticæ. Nec dubitari potest quin id pronuntiet Pontifex de solemnitate *substantiali*. Nam loquitur de ea solemnitate, ob cujus defectum contendebant illi theologi, societatis Jesu scholasticos non esse vere religiosos : porro sustinebant eos non esse pro veris religiosis habendos, eo quod vota corum forent *simplicia;* ac proinde ex eo quod ea vota carerent solemnitate *substantiali*. Præterea illos theologos reprehendit Pontifex, quod *non considerarent*, seu (quod idem est) quod non admitterent, voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione fuisse inventam. Sed omnes admittebant solemnitatem *accidentalem* esse juris ecclesiastici; et id negabant duntaxat de solemnitate *substantiali*. Dum ergo errorem eis exprobrat Pontifex, loquitur utique de solemnitate substantiali. Insuper idem constat ex modo ratiocinandi Pontificis. Nam ut ostendat dictos scholasticos posse cum solis votis simplicibus esse vere religiosos, hoc principio nititur, *voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione fuisse inventam;* quasi diceret : cum solemnitas voti per legem mere ecclesiasticam fuerit statui religioso adjecta, ad essentiam hujus status non pertinet; ac proinde potest status religiosus cum votis simplicibus subsistere, si Apostolica sedes ita statuat quoad aliquem particularem religiosorum ordinem. Porro illud Pontificis ratiocinium absonum foret, si loqueretur de solemnitate accidentali. Et tandem aperte ibi loquitur Pontifex de solemnitate quam excludunt vota simplicia. Sed vota simplicia non excludunt solemnitatem accidentalem, bene vero substantialem.

Cum ergo Gregorius XIII expresse dixerit, voti solemni-

Digitized by Google

tatem fuisse sola Ecclesiæ constitutione inventam, et certum omnino sit id eum intellexisse de solemnitate substantiali, deserenda prorsus est veterum aliquot theologorum opinio illa, qua substantialem voti solemnitatem ad jus divinum, non ad ecclesiasticum referebant.

Semel autem admisso, substantialem solemnitatem esse institutionis mere ecclesiasticæ, invicte sequitur (prout initio hujus secundæ probationis diximus) solemnitatem illam non consistere in traditione quam sui ipsius facit vovens.

PROBATUR III. — *Ratione theologica.* — Qui sustinent solemnitatem substantialem consistere in traditione, ratiocinantur in hunc modum : « Traditio ex natura sua et necessario « excludit possibilitatem contrahendi matrimonii. Etenim « non potest quis matrimonium contrahere nisi corporis sui « dominium tradat conjugi. Sed quando quis, non tantum « promisit seu vovit castitatem, sed insuper personam suam « actu tradidit in obsequium Dei, et ista traditio fuit nomine « Dei acceptata a religioso ordine quem ingreditur, jam non « habet dominium corporis sui. Ergo jam nequit dominium « illud conjugi tradere. Ergo inhabilis est ad contrahendum « matrimonium. Substantialis autem solemnitas voti castitatis « est ipsamet vis quam habet inhabilitandi ad matrimonium : « cum ergo vis illa voto accedat per traditionem, dicendum « est solemnitatem illam in traditione consistere. »

Fatendum quidem est, hocce systemate primo intuitu videri posse sat bene explanatum, quid sit voti solemnitas. Atvero diligentius illud rimanti, facile patebit defectus. Ruit nempe ex ipso suo fundamento. Supponit quippe posse hominem ita se suamque personam Deo et religioni tradere, ut jam nequeat dominium sui corporis in ordine ad actus matrimoniales in alterum transferre. Sed hoc ipsum negat Suaresius (*de Religione*, tractatu 7, l, 2, c. 9). Contendit nempe hominem per se solum, et secluso interventu publicæ authoritatis, non posse vi ullius traditionis, etiam Deo et alicui religioni factæ, sese inhabilem reddere ad valide contrahendum ma-

Digitized by Google

trimonium. Nititurque hac ratione, quod potestas ineundi matrimonii adeo sit naturalis, et ad commune bonum totius naturæ data, ut non admittenda sit in privato homine potestas sese illa omnino privandi. Quia nempe jus ineundi matrimonii magis ordinatur ad publicum totius naturæ humanæ bonum, quam ad bonum individui. Proinde traditio quæ fit in emissione votorum religionis, per se solam, et nisi accederet Ecclesiæ auctoritas, non posset impedire quin adhuc possibilis foret traditio conjugi, seu contractus matrimonialis. « Sunt enim (inquit) hæ traditiones seu vincula diversarum « rationum, et ad distinctos fines; non tamen sunt formaliter « repugnantia, nec ad fines contrarios tendunt. Et ideo, sine « adminiculo juris, unum non impedit et irritat aliud. Eo vel « maxime quod potestas matrimonii ineundi tam est naturalis, « et ad commune bonum totius naturæ data, ut licet possit « homo sola voluntate sua se obligare Deo ad non utendum « illa, non tamen videatur posse se privare illa omnino, et « inhabilem se ad matrimonium reddere sola sua privata « auctoritate, nisi auctoritas publica intercedat. » (Loco citato, n. 9.) Quod traditio sui ipsius, quam religiosus facit Deo et religioni, per se solam non excludat traditionem alteram, matrimonii constitutivam, ostendit ibidem Suarez exemplo conjugati. Is nempe, consentiente conjuge, ad professionem religiosam admitti potest; nec tamen per vota ipsius solemnia solvitur vinculum matrimoniale. Hinc, secluso Ecclesiæ decreto, professos ad matrimonium contrahendum inhabilitante, ipsi professi non possent per sui ipsius traditionem, quantumvis absolutam et a Prælato religionis nomine Dei acceptatam, sese inhabiles reddere.

Digitized by Google

§ IV.

Vera ostenditur sententia solemnitatem voti reponens in dispositione Ecclesiæ, qua statuitur ut per quædam vota castitatis, et non per alia, dirimatur matrimonium antecedens non consummatum, et vovens in perpetuum sit inhabilis ad matrimonium valide contrahendum.

PROBATUR 1°. *Ex falsitate duarum aliarum sententiarum.*— « Aliorum opinionibus repudiatis (inquit Suarez, *de Religione*, « tractatu 7, l. 2, c. 10, n. 1), superest ut tertiam, quæ com- « munior est, et quæ nobis omnino vera videtur, proponа- « mus. » Postquam autem asseruit, qualitatem solemnitatis nihil addere voto, nisi quod vim habeat irritandi præcedens matrimonium non consummatum, et perpetuo inhabilitandi ad matrimonium subsequens, id probat in hunc modum: « Sequitur ex impugnatione aliarum opinionum; quia sine « efficacia ad irritandum perpetuo sequens matrimonium, « votum castitatis non est solemne: sed votum simplex casti- « tatis habere potest omnia alia quæ habet solemne, præter « hanc efficaciam (scilicet quamcunque externam solemni- « tatem seu ritum emittendi votum, et adjunctam traditionem, « et quidquid aliud cogitetur) : ergo primaria differentia inter « votum simplex et solemne, in dicta efficacitate posita est: « ergo illa est voti solemnitas substantialis; quia sine illa non « erit solemne, et cum illa non potest non esse solemne. » Jam vero, quod ejusmodi efficacia matrimonium subsequens irritandi voto superveniat ex sola Ecclesiæ dispositione, osten- dit laudatus auctor hoc ratiocinio: « In quocunque voto ca- « stitatis irritante matrimonium subsequens, præter constitu- « tionem Ecclesiæ, tria tantum spectari possunt; scilicet, vel « traditio; vel promissio perpetuo servandi castitatem ab illo « momento; vel consecratio, sub qua omnem externam bene- « dictionem, aut cæremoniam, aut testium multitudinem (si « exigatur), aut quamcunque aliam similem solemnitatem

Digitized by Google

« comprehendimus. Sed nihil horum, per se et ex natura sua, « irritat matrimonium subsequens. Nam de traditione, et « consecratione seu exteriori forma profitendi, jam ostensum « est. Idemque est de promissione, ut certum supponimus, « quia tota vis talis promissionis, in voto simplici castitatis « invenitur; et tamen per se non reddit personam ad matri- « monium inhabilem. Neque etiam id faciunt ex jure divino « positivo...; quia tale jus divinum nec scriptum est cano- « nice, nec aliqua patrum et Ecclesiæ traditione ostendi « potest. Relinquitur ergo ut ex solo jure ecclesiastico id « proveniat. » (Loco citato, n. 7.)

Contrahi potest tota hæc probatio in hunc modum : reponenda est solemnitas substantialis in Ecclesiæ statuto seu dispositione, si dicta solemnitas nihil aliud sit, quam vis seu efficacia voti perpetuo inhabilitandi ad matrimonium subsequens, et vis illa non superveniat voto, nisi ex statuto ecclesiastico : atqui hæc duo certa sunt, et sequuntur ex duarum priorum opinionum confutatione :

Et 1° quidem substantialem voti solemnitatem nihil aliud esse quam vim perpetuo inhabilitandi ad matrimonium subsequens, omnino evincitur ex eo quod, si votum vim illam habeat, certo solemne sit, nec possit non esse solemne; si vero non habeat, nequaquam solemne sit, sed simplex. Et revera quocunque modo fiat castitatis votum, et quidquid excogitetur ipsi superadditum, nisi dictam vim subsequens matrimonium irritandi habeat, nullatenus erit aut dici poterit substantialiter solemne, juxta sensum in jure receptum. Ergo erit solummodo simplex. Ergo votum castitatis substantialiter solemne non differt a simplici, nisi per illam vim matrimonium subsequens irritandi; possuntque cætera omnia in voto simplici reperiri, quin desinat esse simplex.

2° Vis illa non supervenit voto nisi ex statuto Ecclesiæ. Nam si aliunde vis illa repetenda foret, dicendum esset eam voto accedere, vel per formam ipsam in emissione voti adhibitam, vel per traditionem ipsi adjunctam. Non enim potest

Digitized by Google

quidquam aliud cum aliqua verisimilitudine excogitari, in quo vis illa reposita dicatur. Atqui duas illas hypotheses non esse admittendas, in superioribus paragraphis probatum est. Ergo dicenda est vis illa voto supervenire ex Ecclesiæ voluntate et statuto.

PROBATUR 2°. — *Ex eo quod solemnitas substantialis sit institutionis mere ecclesiasticæ.* — Etenim superiori paragrapho adduximus decretalem Bonifacii VIII, et Gregorii XIII constitutionem, in quibus expresse declaratur, voti solemnitatem *ex sola constitutione Ecclesiæ fuisse inventam;* atque ibidem probavimus verba hæc de solemnitate *substantiali* seu proprie dicta esse intelligenda. Jam vero si solemnitas sit institutionis ecclesiasticæ, ex statuto Ecclesiæ provenit quod sit solemnitas; ac proinde in statuto Ecclesiæ consistere dicenda est.

Objicies 1°. — Vis irritandi subsequens matrimonium non est; solemnitas ipsa voti, sed effectus hujus solemnitatis. — Respondeo vim illam esse ipsammet solemnitatem, si præter illam nihil aliud sit quod dici valeat voti solemnitas: atqui ita est, ex probatis. Ergo.

Objicies 2°. — Si dicta vis voti sit ipsamet solemnitas, non reponenda est solemnitas hæc in statuto Ecclesiæ. — Respondeo: reponimus solemnitatem in *statuto Ecclesiæ quatenus dante voto vim illam, et in dicta vi voti quatenus ex mero Ecclesiæ statuto proveniente.*

Objicies 3°. — Ex dictis sequeretur votum solemne castitatis non differre a simplici per aliquid sibi intrinsecum, sed duntaxat per actum Ecclesiæ ipsi extrinsecum, licet circa ipsum versantem. — Respondeo, concedi sequelam; atque ejus veritas patebit ex sequenti paragrapho.

§ V.

Nonnulla deducuntur corollaria, ad magis patefaciendam doctrinam expositam idonea.

COROLLARIUM I. — *Potest votum fieri ex solemni simplex.* —

Digitized by Google

Sequitur ex stabilito a nobis principio, quod solemnitas pendeat solummodo a lege Ecclesiæ, quam legem Ecclesia auferre potest. Quod sic exponit Suarez (*de Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 11, n. 1) : « Infertur primo, idem votum, in se immutatum manens, fieri posse ex solemni simplex... Nam votum « castitatis militum sancti Joannis nunc est solemne ; et si « Pontifex nunc ferret legem, ut talis professio, sive jam « facta, sive in posterum facienda non irritaret matrimonium « subsequens, votum illud desineret esse solemne, quia non « redderet personam ad matrimonium inhabilem ; sine qua « conditione seu virtute, nullum est votum continentiæ pro- « prie solemne, ut dictum est. Et ratio est, quia hæc solem- « nitas pendet ex lege Ecclesiæ ; quæ lex, licet quoad indu- « cendam inhabilitatem supponat voluntatem vel assumendi « sacrum ordinem, vel vivendi in tali religioso instituto ab « Ecclesia approbato, nihilominus in sua duratione, vel in « ablatione legis et effectus ejus, non pendet ex voluntate vel « intentione voventis. Et ideo solemnitas voti, seu virtus ad « inhabilitandam personam, præcipue est in lege. Et licet di- « catur esse in voto morali modo, revera non addit illi nisi « denominationem extrinsecam. Et ideo sine mutatione in- « trinseca voti vel voventis, per ablationem legis auferri po- « test. »

COROLLARIUM II. — *Potest votum ex simplici fieri solemne, quin necessaria sit nova intentio voventis.* — Sequitur etiam ex præfato principio, quod solemnitas non sit aliquid in voto ipso inclusum, et ad ipsius substantiam pertinens, sed aliquid ipsi extrinsecum et ex solo Ecclesiæ statuto proveniens : « Eadem ratione (inquit Suarez, loco citato, n. 2) fieri po- « test votum ex simplici solemne, sine nova voluntate aut « intentione voventis. Quod explicare possumus in votis sim- « plicibus societatis Jesu ; nam a principio ex duplici capite « fuerunt simplicia. Unum est, quia non reddebant personam « inhabilem ad matrimonium : aliud est, quia non erant an- « nexa traditioni omnino perpetuæ et indissolubili ex utraque

Digitized by Google

« parte, religionis videlicet et religiosi ; sed tantum ex parte « religiosi, manente potestate in religione ad dissolvendum « vinculum, et dimittendi religiosum ex justis causis. Quoad « priorem autem partem diminuta est (ut ita dicam) simpli- « citas voti castitatis talis instituti ; quia jam illud votum red- « dit personam inhabilem ad matrimonium, quandiu votum « permanet, per bullam Gregori XIII, *Ascendente Domino;* quæ « statim ac lata est habuit effectum, non solum in his qui post « illam votum illud castitatis emiserunt, sed etiam in illis qui « absque illo impedimento religiosi erant ; ut ex tenore ipsius « bullæ manifestum est. Quoad alteram vero partem, posset « etiam nunc illa conditio compleri per legem Pontificis aufe- « rentis a societate potestatem dimittendi eos, qui post « biennii probationem vota in ea legitime emisissent, si Apo- « stolicæ sedi ita expedire videretur. Non est enim dubium, « quin hanc habeat potestatem ; quia vota illa ex parte materiæ « et ex genere suo perpetua sunt ; et similiter ex parte reli- « giosi ut perpetua emittuntur ; et traditio cui annectuntur, « ex parte ejusdem irrevocabilis est. Ergo Pontifex potest « illam facere irrevocabilem ex parte religionis, tanquam su- « premus ejus pastor et legislator. Ergo tunc in illo voto ca- « stitatis compleretur ratio voti solemnis : nam haberet « omnes conditiones necessarias, quas tale votum solemne po- « stulat. Sicut e contrario, si nunc Papa mutaret in hac parte « jus aliarum religionum, et statueret ut omnes possent reli- « giosos, etiam antea professos, propter crimina incorrigibilia « liberos dimittere a vinculo professionis, et ab omnibus votis, « vota prius solemnia desinerent esse solemnia ; quia ex tunc « non essent absolute perpetua, sed sub illa conditione, nisi « juste dimittantur, vel quandiu in eo statu retenti fuerint. »

COROLLARIUM III.—*Votum simplex et votum solemne castitatis proprie non differunt specie, id est ab intrinseco, per aliquam proprietatem essentialem ; sed duntaxat ab extrinseco, seu per aliquid accidentale.* — « Fundamentum... corollarii est, quia « votum simplex et solemne castitatis, intrinsece est tantum

Digitized by Google

« promissio, cujus naturam non immutat constitutio inducens « vim irritandi matrimonium subsequens. Item ostensum est, « idem numero votum posse fieri ex simplici solemne, et e « contrario, sine mutatione ex parte actus voluntatis vo- « ventis; ergo evidens signum est, illa vota non differre « specie. Ex quo etiam facile intelligitur qualis sit divisio « voti in simplex et solemne. Non est enim generis in species : « erit ergo solum subjecti in accidentia. » (Suarez, *de Religione*; tractatu 7, l. 2, c. 11, n. 8.)

COROLLARIUM IV. — *Ratio cur in societate Jesu votum castitatis scolasticorum non sit solemne, quamvis inhabilitatem inducat ad matrimonium subsequens, est quia non inducit hanc inhabilitatem absolute in perpetuum.* — Etenim, ex dictis, votum solemne castitatis non differt a simplici, nisi per vim quam ei confert lex Ecclesiæ, matrimonium subsequens irritandi. Ergo si votum ejusmodi scholasticorum plene et *absolute* inhabilitaret ad subsequens matrimonium, esset solemne. Ergo ideo duntaxat esse simul potest simplex et matrimonii subsequentis irritativum, quia hanc vim irritandi non habet *absolute* seu in perpetuum, sed solummodo cum hac restrictione, *quandiu votum durabit*, id est, quandiu votum illud non solvet societas scholasticum dimittendo.

CAPUT III.

DE VOTI PAUPERTATIS SOLEMNITATE.

Ut apprime intelligantur quæ de solemnitate hujus voti statuenda sunt, præmittenda est notio de materia ipsius, et de variis paupertatis gradibus : tum expendendum in quo consistat ejusdem voti solemnitas. Hinc præsentis capitis disceptationem distribuemus in sequentes paragraphos : 1° quænam sit materia, tum remota, tum proxima, voti paupertatis ; 2° de variis gradibus paupertatis, et quinam ad constituendum sta-

Digitized by Google

tum religiosum sufficiant; 3° in quo consistat voti paupertatis solemnitas.

§ I.

Quænam sit materia hujus voti, tum remota, tum proxima.

Paupertas opponitur divitiis, et nihil aliud est quam carentia earum rerum, quæ sub divitiarum nomine comprehendi solent. Est nempe is sensus ubique terrarum unanimiter receptus, et huic vocabulo annexus. Hoc ipso autem quod paupertate excludantur divitiæ, excluditur etiam jus in eas, id est, jus eas habendi tanquam proprias, et iis tanquam propriis utendi, nequaquam enim pauper dici potest qui jus illud sibi retinet.

Solent auctores *materiam remotam* paupertatis vocare ipsasmet divitias, seu res illas, quarum carentia paupertatem constituit : *materiam* autem *proximam*, varia jura et varios actus circa divitias. « Potest hæc materia, inquit Suarez, duplex in « voto distingui : remota scilicet et proxima. *Remotam* voco « res illas, seu divitias, in quarum carentia paupertas consi- « stit : *proximam* autem, habitudinem illam vel actionem ho- « minis circa talem rem paupertati repugnantem ; cujusmodi « est dominium rei, vel jus aut usus illi æquivalens vel illud « participans. » (*De Religione*, tractatu 7, lib. 8, c. 4.)

Licet autem ex unanimiter recepto vocabuli *paupertatis* sensu extra controversiam sit, eam consistere in quadam carentia divitiarum, et juris in eas, non ita facile liquet quænam præcise res pro divitiis paupertati repugnantibus habendæ sint, seu quænam res materiam paupertatis *remotam* constituant. Item non statim perspicitur quænam jura et quinam actus circa divitias paupertati repugnent, seu in quo præcise consistere censenda sit materia paupertatis *proxima*. Hinc solet utraque hæc quæstio ab auctoribus diligenter expendi : quod et nos sub præsenti paragrapho præstandum suscipimus.

Digitized by Google

I.

Quænam sit materia paupertatis remota.

« Non omnia bona, quorum homo habet dominium, usum-« fructum, aut jus utendi illis, sunt materia paupertatis. » (Suarez, *de Religione*, tractatu 7, l. 8, c.4, n. 2.) Id probat citatus auctor varia enumerando ejusmodi bona, quæ nullatenus censenda sunt sub votum paupertatis cadere; cujusmodi sunt : 1° vita hominis : jus nempe vitam conservandi nullo paupertatis voto abdicari potest; quia tale votum pravum foret, ac proinde nullum ; 2° item membra corporis, et facultates sive corporis sive mentis, ad materiam paupertatis non pertinent; 3° idem dicendum de gratiis et virtutibus, ut patet. Unde generatim bona, quæ sunt ipsimet personæ hominis intrinseca, nequaquam ad materiam paupertatis pertinere censenda sunt.

Sed neque honor et fama, etsi sint quid homini extrinsecum; quod pariter vide probatum ala udato Suaresio (*de Religione* tract. 7, l. 8, n. 3). Id autem minime impedit quin laudabiliter emitti possit votum non ambiendi et non acceptandi dignitates et honorifica munia. Sed votum illud a voto paupertatis diversum omnino est. Neque objiciatur, falsum fore quod supra stabilivimus (sufficere nempe triplex religionis votum ad constituendum hominem in statu perfectionis) nisi honores et fama essent materia voti paupertatis, et per tale votum præcaveretur, quoad ejusmodi bona, nimia sollicitudo, quæ non minus perfectioni repugnat quam sollicitudo quoad divitias. Respondetur enim ad statum perfectionis non requiri vota de singulis, quæ ad refrænandos pravos affectus juvare possunt : alioquin voveri deberet exercitium humilitatis, patientiæ et aliarum virtutum. Porro ejusmodi vota, nedum acquirendæ perfectioni juvarent, ei e contra plurimum obessent. Quando enim agitur de internis actibus et affectibus,

Digitized by Google

difficillimum est discernere an et qua gravitate erratum sit. Hinc si vota emitterentur, de rejiciendis ejusmodi affectibus, adesset frequens dubitatio et formido. Perpetuus nempe mentem occuparet timor, tum ne violaretur, tum ne violatum fuisset aliquod ejusmodi votum. Quæ anxietates, nedum in assequenda perfectione juvarent, multum e contra officerent. Et ideo ad constituendum statum perfectionis necesse non est ut honor et fama in materia alicujus e tribus votis substantialibus comprehendatur. At votum quod attinet de non ambiendis et acceptandis dignitatibus, etsi obnoxium non sit præfatis anxietatibus, quia de ejus violatione facile constare potest, non tamen ad statum perfectionis necessarium est. Etenim dignitatum ejusmodi acceptatio per se mala non est, sed tantum propter inordinatum circa eas affectum et nimiam sollicitudinem. Hunc vero periculosum affectum sufficienter præcavet obligatio tendendi ad perfectionem, quæ ex ipso religioso statu exoritur, et cui aperte repugnat dignitatum prosecutio et acceptatio, ex pravo honoris mundani affectu. Fatendum tamen ejusmodi votum dignitates non ambiendi et non acceptandi, nisi ex obedientia, etsi ad status religiosi essentiam non pertinens, plurimum tamen ejus fini quadrare et perfectioni ipsius accidentali addere.

Difficultas est circa beneficia, an nempe ad materiam paupertatis pertinere censenda sint. Quam difficultatem resolvit Suarez, distinguendo inter jura et officia beneficii, et bona temporalia ipsi annexa. Et priora quidem non esse materiam paupertatis, bene vero posteriora respondet (*de Religione*, tractatu 7, l. 8, c. 4, n. 11).

His in antecessum præmissis, jam facile perspici potest, quænam bona materiam paupertatis remotam proprie constituant. Nam præter bona homini intrinseca, necnon famam et honorem, nulla alia sunt, quam quæ nomine *divitiarum* designari solent; et comprehendunt tum pecunias, tum alia [quælibet quæ pecunia æstimari ac comparari possunt, aut pecuniæ moraliter æquivalere. Horum nempe bonorum copia hominem

Digitized by Google

divitem, in proprio hujus vocabuli sensu, efficit; et ex eorumdem carentia vere et proprie *pauper* constituitur. Unde *materia* paupertatis *remota* sunt ipsæ divitiæ, præfato sensu intellectæ.

II.

Quænam sit materia paupertatis proxima, seu quænam jura et quinam actus paupertatis voto repugnent.

Dictum est supra, vocari materiam paupertatis proximam certos actus et certa quædam jura, quæ versantur circa materiam remotam, id est, circa divitias seu bona temporalia.

Quænam sint ea jura iique actus, hic venit expendendum. Cum autem non unus sed multiplex dari possit paupertatis gradus (prout sequenti paragrapho ostendemus), et stare possit tota religiosi status essentia, non tantum cum paupertate absoluta, seu in summo gradu, sed etiam cum aliis gradibus inferioribus (ut infra etiam probabitur), materia proxima paupertatis non potest determinari absolute, sed relative duntaxat ad unamquamque ipsius speciem seu gradum; siquidem dantur actus et jura quæ repugnant paupertati superioris gradus, non autem inferioris. Et hic quidem materiam proximam determinabimus tantum quoad paupertatem *completam* seu in summo gradu. Quomodo vero materia hæc proxima diversa sit in aliis inferioribus gradibus, pandetur sub sequenti paragrapho, ubi de gradibus illis disseremus. Quibus prænotatis, sit

PROPOSITIO I^a. — *Paupertati completæ contraria sunt, dominium seu proprietas bonorum temporalium, jus fruendi, jus utendi, et jus retinendi seu possidendi.* — 1° Contrarium est dominium. Nam dives ille præcipue dicitur et est, qui bonis temporalibus abundat, quorum est proprietarius seu dominus. Unde ut quis sit omnino pauper, necesse est ut ejusmodi dominio omnino careat. Pertinet ergo dominium, et quidem principaliter,

Digitized by Google

ad materiam proximam completæ paupertatis; ac proinde si fiat votum completæ paupertatis, certo violabitur votum illud per acquisitionem aut conservationem dominii. (Vide id fuse probatum a Suaresio, *de Religione*, tractatu 7, l. 8, c. 5, n. 13.) 2° Paupertati completæ insuper repugnat jus fruendi, utendi et retinendi. In hac autem assertione, vocem *jus* intelligimus, non de jure improprie dicto quod provenit ex accepta licentia; sed jus strictum, quo nempe quis fraudari nequit, quin ei fiat injuria. Porro hoc sensu intellectum jus utendi, fruendive aut retenendi, est aliquod genus divitiarum, siquidem pretio est æstimabile; imo et *dominium utile* nuncupatur. Ergo a paupertate absoluta excludi censendum est. (Vide Suaresium, loco cit., n. 24.)

PROPOSITIO II^a. — *Usus et retentio facti, id est, ex licentia, non autem ex proprio jure et nomine, necnon mera administratio, nequaquam paupertati, etiam completæ, repugnant.* — « Usus « facti, inquit Suarez, et omnis rei apprehensio aut detentio « vel administratio, quæ non proprio jure et nomine fit, sed « in facto tantum consistit, et ex jure et concessione alterius « pendet, non ita est per se materia paupertatis, ut omnino « ex vi illius voti excludantur aut excludi possint; quamvis « aliqua moderatio in his omnibus possit esse materia pauper- « tatis juxta intentionem voventis. Doctrina hujus conclu- « sionis communis est. » (*De Religione*, tractatu 7, l. 8, c. 5, n. 23.) Votum nempe paupertatis, quo excluderetur quilibet bonorum temporalium usus, nedum validum foret, pro peccaminoso esset habendum. Nequit enim vita sustentari absque aliquo ejusmodi bonorum usu. Nisi cibis, verbi gratia, homo utatur, certo mors subsequetur. Unde votum exequi, quo usus etiam ciborum excluderetur, idem esset ac necem sibi inferre. Pariter nulla omnino veste uti, inhonestum est atque illicitum. Ac consequenter pravum foret votum paupertatis nullis omnino vestibus utendi. Unde paupertas evangelica, etiam absoluta et in perfectissimo gradu, nunquam censenda est simplicem usum bonorum temporalium omnino excludere;

Digitized by Google

quia si excluderet, jam non esset evangelica, sed diabolica. Atque idem dicendum est de simplici detentione; ut patet in vestibus; quibus uti debet homo eas secum detinendo, id est, iis sese tegendo. Pariter simplex factum administrationis bonorum temporalium, nequaquam repugnat paupertati etiam perfectissimæ. Nam per nudum administrationis factum, nihil acquirit administrator ex quo dives aut minus pauper efficiatur; siquidem, ex hypothesi, nullum temporale commodum inde sibi comparat. Secus foret de administratione cum stipendio; quia per illam acquireretur alicujus pecuniæ dominium, quod paupertati repugnat.

PROPOSITIO III[a] — *Seclusa auctoritate Ecclesiæ aliter statuentis, votum simplex paupertatis, etiam completæ, non impedit quin valide retineri et acquiri possit dominium.* — Diximus supra, stare non posse dominium cum paupertate completa. Hic autem probare intendimus, dominium stare posse cum voto simplici paupertatis, etiam completæ : non quidem eo sensu quod, post emissum ejusmodi votum, possit quis *licite* dominium retinere aut acquirere, sed eo sensu quod id possit *valide*, attenta solius voti efficacia, et seclusa Ecclesiæ lege aliter disponente. Notetur autem nos hic agere duntaxat de voto *simplici*, non autem de *solemni ;* nam certum est, per votum solemne paupertatis ipso facto amitti dominium, si quod hic et nunc habeatur, et voventem inhabilem omnino fieri ad dominium aliud acquirendum in posterum : qui effectus solemnitatis, non ex ipsa voti substantia, sed ex positiva Ecclesiæ lege profluere, infra paragrapho 3 probabitur. Item notetur, conclusionem nostram poni cum hac restrictione, *seclusa auctoritate Ecclesiæ aliter disponentis :* nam potest Ecclesia statuere, ut simplex etiam paupertatis votum incapacitatem dominii inducat. Et de facto ita disposuit Gregorius XIII, bulla *Ascendente Domino*, quoad vota coadjutorum approbatorum societatis Jesu, quæ simplicia sunt. Dicimus ergo votum paupertatis, modo sit simplex, et Ecclesia aliter non statuerit, nequaquam adimere habilitatem ad dominium,

Digitized by Google

sive conservandum, sive acquirendum. Quod sic probatur :

1° Votum simplex paupertatis non adimit dominium quod habetur; sed obligat solummodo ad illud dimittendum. Nam votum illud nihil aliud est quam promissio Deo facta. « Ratio « voti, nude et pure sumpta, in hac promissione consumma- « tur. » (Suarez, *de Religione*, tractatu 7, l. 8, c. 5, n. 14.) Promittit se dominia sua dimissurum. Sed aliud est illam dominii abdicationem promittere, aliud illam exequi. Qui promittit seu vovet dare aliquas pecunias in eleemosynam, hoc solo actu promittendi seu vovendi eas non dat; sed ut de facto dentur necessarius est novus actus, a promissione diversus, nempe actus donationis. Et donec vovens eas pecunias de facto dederit, earum dominus remanet. Et quamvis peccet, si votum intra tempus debitum non exequatur, tamen quandiu pecunias illas non donavit, earum dominium retinet. Pariter qui vovet ingredi religionem, hoc solo actu non ingreditur, nec fit religiosus ; sed tenetur tantum religionem ingredi. Sic ergo, qui vovet a se auferre dominium bonorum suorum temporalium, hac sola promissione dominium illud non aufert : ergo dominium illud ipsi remanet, non obstante voto absolutæ paupertatis, donec per actum a voto diversum, per actum nempe alienationis, dominium illud a se abdicaverit. Unde votum paupertatis, etiam absolutissimæ, non tantum non adimit præsens dominium, sed nec potest per se solum adimere; quia tandem votum nihil aliud est quam promissio; et promissio, ex essentia sua, est de aliquo actu faciendo; ac proinde non est ille ipse actus faciendus. Consequenter votum dimittendi dominii, non est, nec esse potest per se solum, ipsa dominii dimissio. (Eamdem probationem etsi aliis terminis evolutam, reperies apud Suaresium, *de Religione*, tractatu 7, l. 8, c. 5, n. 14.)

2° Præfatum votum non inducit inhabilitatem ad novum postea acquirendum dominium. Equidem qui absolutam vovit paupertatem, hoc ipso Deo promisit nullum sibi unquam dominium acquirere, ac proinde si deinceps alicujus rei do-

Digitized by Google

minium (aliquam, verbi gratia, donationem) acceptet, certe peccat. At vero mera promissio aliquid non faciendi, non reddit incapacem ad illud valide faciendum, modo aliunde non desit illa capacitas. Promissio (verbi gratia) seu votum non nubendi, non reddit incapacem ad nuptias. Promissio nempe non faciendi quod valide quis facere potest, est duntaxat promissio illud non faciendi; non autem est inhabilitas ad illud valide faciendum. Imo nequit homo per seipsum solum sese reddere incapacem dominii, et ad hanc inhabilitatem inducendam necessaria est causa ipsi extrinseca. Nam ut quis acquirat, verbi gratia, dominium rei quæ nullius est, satis est ut primus illam occupet, cum voluntate suam faciendi. Et quamvis illam voluntatem hodie non habeat, potest illam postea habere; quia semper liberum ei est voluntatem mutare, nec potest ea libertate sese exuere. Idem dic de acquisitione dominii per acceptationem alicujus donationis. Potest quidem homo donationem non acceptare; sed non potest auferre a se potestatem mutandi hanc suam præsentem voluntatem, seu potestatem deinceps acceptandi. Neque hanc potestatem aufert promissio seu votum non acceptandi; quia adhuc post illam promissionem potest ejus voluntas in contrariam mutari et donationi consentire. (Vide Suarezium, citato loco, n. 17.) Unde revera solum votum paupertatis, etiam absolutissimæ, nec præsens dominium adimere potest, nec inhabilem reddere ad futurum acquirendum.

Nota 1°. — Si quis dives, antequam disponat de bonis suis, votum privatum paupertatis emittat, ex tunc quidem obligatur ad relinquendum dominium; at non statim incipit esse pauper; siquidem, ex dictis, rerum suarum dominium retinet, non obstante voto, donec de eis disposuerit.

Nota 2°. — Quamvis statim incipiat obligatio disponendi de rebus suis, non tamen tenetur statim disponere; sed ei permittitur tempus moraliter necessarium ad prudentem et commodam ejusmodi alienationem. Id sequitur ex generali doctrina de obligatione vota exequendi. Quando nempe votum

Digitized by Google

est *negativum* (prout est, verbi gratia, votum non mutandi), obligatoria est ejus executio ab ipso emissi voti momento. Quando autem votum est *affirmativum* (prout est votum dandi aliquam eleemosynam), vovens non tenetur statim illud exequi; sed tunc solummodo incipit violatio voti, quando elapsum est tempus moraliter et ex prudenti æstimatione necessarium, ad illud commode et opportune exequendum. Porro votum paupertatis, in quantum obligat ad alienandum dominium, affirmativum est; quia alienatio fit per actum positivum, non autem per meram omissionem.

Nota 3°. — Etiam si quis voveret paupertatem, cum intentione sese reddendi incapacem cujuslibet dominii, non ideo, vi sola hujus voti simplici, incapacitatem illam incurreret. Ut enim posset homo sese dominii incapacem reddere, deberet posse *impossibilem* in se ipso reddere voluntatem dominium acquirendi, ut supra diximus. Porro id nullus homo efficere potest; quia libertatem voluntatis suæ non potest abjicere.

Nota 4°. — Inhabilitatem ad dominium acquirendum non posse induci per ullum hominis privati votum aut actum; sed ad hunc inhabilitatis effectum requiri supervenientem dispositionem auctoritatis extrinsecæ sequitur ex præmissis, ut patet. (De his vide Suaresium, *de Religione*, tractatu 7, l. 8, c. 5, n. 13 et seq.) Nec dicatur, posse religiosum vi pacti cum religione initi, ad ipsam transferre, non tantum bona sua præsentia, sed etiam adventitia; et sic sese reddere incapacem dominii. Nam ex tali pacto non sequitur absoluta dominii incapacitas, siquidem potest communitas renuntiare juri suo, et tunc iterum habilis erit ad dominium acquirendum.

§ II.

De variis gradibus paupertatis, et quisnam ad constituendum statum religiosum sufficiat.

PROPOSITIO I^a. — *Possibiles concipiuntur varii paupertatis gradus.* — Distingui nempe possunt quatuor gradus seu qua-

Digitized by Google

tuor modi paupertatis, quos sic describit Suarez : « *Primus* « modus seu gradus est ejus, qui nec licite, nec valide habere « potest dominium alicujus rei, neque illa tanquam propria « uti ; quem gradum paupertatis nunc servant omnes, qui « emittunt votum solemne paupertatis. *Secundus* gradus erit « ejus, qui non possit licite habere proprium dominium ali- « cujus rei; neque etiam ulla re tanquam propria uti, quam- « vis non sit incapax dominii, qualis esset paupertas per vo- « tum omnino absolutum et integrum paupertatis, si non « esset per Ecclesiam solemnizatum, ut constat ex dictis supra « de voto simplici paupertatis. *Tertius* gradus est, si quis, nec « sit incapax dominii, nec ex voto teneatur statim illo pri- « vari, sed solum nulla re ut propria uti. Qui gradus pauper- « tatis invenitur in religiosis scholaribus approbatis societatis « Jesu. *Quartus* gradus erit, si quis ex voto non obligatur ad « carentiam dominii, vel omnis usus rei ut propriæ ; sed solum « ad non habendum nec quærendum temporalia bona ultra « certam mensuram sufficientem ad sustentationem vitæ, juxta « aliquem honestum vel perfectum finem sibi præscriptum : « hoc enim votum et honestum et possibile esse, per se notum « videtur. » (*De Religione*, tractatu, 7, l. 8, c. 6, n. 7.)

PROPOSITIO II^a.— *An quartus modo descriptus paupertatis gradus ad status religiosi rationem sufficiat, controverti potest.* — Agimus nempe de eo qui a se non abdicaret omne bonorum suorum dominium, nec omne jus eis utendi tanquam propriis ; sed voveret duntaxat, vel dominium illud et jus utendi restringere ad modicam aliquam quantitatem, vel in proprios usus convertere solummodo pauca quædam determinata, cæteros autem reditus in pia opera erogare. Et quæritur, an vere religiosi censendi forent, qui hoc modo paupertatem cum castitate et obedientia voverent. Porro in utramque partem afferri solent a doctoribus rationes non spernendæ.

I. *Rationes affirmandi.* — Non requiritur ad statum religiosum paupertas, nisi ut removeantur obstacula quædam, quæ perfectionis prosecutionem impedirent. Sollicitudo

Digitized by Google

nempe et animi distractio divitiarum possessionem comitari solent; unde ad statum religiosum ea requiritur paupertas, quæ distractiones illas et anxietates submoveat. At vero effectum hunc sufficienter producere videtur præfatus paupertatis gradus. Nam qui ex suis divitiis pauca duntaxat ad vitæ sustentationem necessaria sibi reservat, vel vovet redditus suos in pios usus erogare, præter modica quædam ad seipsum sustentandum necessaria, is nec nimis anxius erit in conservandis et administrandis bonis suis, nec ex ea sollicitudine a perfectionis prosecutione distrahetur. Ergo votum paupertatis, in hoc gradu infimo intellectæ, ad religiosi status essentiam sufficere censenda est.

Insuper sufficiens reputandus est ille paupertatis gradus, si prioribus Ecclesiæ sæculis veri exstiterint religiosi cum hoc solo gradu paupertatis. Porro ejusmodi revera olim veros exstitisse religiosos probabile sustinet Suarez, his verbis thesim enuntians : *Aliquando statum religiosum substantialiter constitisse in aliquibus cum paupertate, quæ nec dominium nec usum independentem excluderet, sed tantum usum rerum vitæ superfluum, probabile est* (*de Religione*, tractatu 7, l. 8, c. 7, n. 10). In probationem adducit laudatus auctor facta quædam historica; ex quibus innuitur antiquos anachoretas possessiunculas habuisse (verbi gratia, apes, hortulosque), et rerum *sibi* ad sustentationem vitæ donatarum liberam dispositionem.

Uberiorem ejusmodi factorum exhibent moderniores eruditi; prout videre est, verbi gratia, in collectione cui titulus : *Diplomata, chartæ et alia monumenta ad res Franciscas spectantia*, a Brequigny et du Theil edita (Parisiis, 1791). Ibi nempe (proleg., pag. 196) memorantur varia exempla, quibus evincitur fas fuisse olim monachis et monialibus, tum hæreditates recipere, et possessiones habere, tum de rebus suis per testamenta et donationes disponere. Atque idem Mabillonius passim asserit. (Vide inter alia paginam 610, tomi 1, *Annalium Benedict.*)

Digitized by Google

II. *Rationes negandi.*—Ad tollenda in perfectionis prosecutione impedimenta, non solum arcendæ sunt, quoad bona temporalia, sollicitudo et distractio, sed etiam amor. Porro dum quis potest rebus illis uti independenter et *ut propriis*, vehementer impellitur ad eas amandas ut proprias. Et sic affectus irretitur, et a pura Dei summi boni prosecutione deficit. Unde ad statum perfectionis, ac proinde ad statum religiosum necessaria est paupertas, quæ saltem usum bonorum temporalium independentem auferat.

Facta autem historica supra memorata, rigorose non evincunt religiosos illos independentem hunc usum habuisse. Dici enim potest ipsos de bonis suis per donationes et testamenta disposuisse, non pro arbitrio et independenter, sed cum superiorum facultate. Hanc siquidem hypothesim adducta exempla non videntur excludere. Unde potius dicendum, eos etiam monachos, qui leguntur donationes et testamenta fecisse, independenti bonorum temporalium usu caruisse. Et forte id tantum peculiare fuit nonnullis temporibus et regionibus, ut soleret ejusmodi licentia testandi et donationes faciendi monachis ac monialibus facile concedi.

Exposita autem controversia (cui enodandæ immorandum non duximus) respicit duntaxat antiqua tempora. Jamdudum enim omnino certum est non esse veros religiosos, nisi qui tria vota in aliquo ordine ab Ecclesia approbato, et juxta hujus ordinis regulam seu constitutionem, emittunt. Porro nullus jam exstat religiosus ordo ab Ecclesia approbatus, in quo votum paupertatis non adimat liberum saltem bonorum temporalium usum. Omnium scilicet ejusmodi ordinum nunc existentium constitutiones paupertatis votum ita intelligunt et emittendum proponunt, ut auferat, sin minus bonorum temporalium dominium, at saltem independentem usum.

PROPOSITIO III^a^. — *Paupertas quæ non excludit dominium, modo excludat usum liberum et independentem, certo sufficit ad statum religiosum proprie dictum.* — Id definitum fuit quoad scholasticos societatis Jesu. Nam juxta hujus instituti consti-

Digitized by Google

tationes, scholastici illi, quamvis post emissa tria vota simplicia, nulla re tanquam propria uti possint, bonorum suorum dominium servant; et nihilominus expresse a sede Apostolica declaratum est, eos veros esse religiosos, et ut tales habendos. Unde tenendum omnino est, nequaquam impediri statum religiosum per retentionem dominii, quando religiosus, etsi dominium retinens, nulla tamen re licite uti valet tanquam propria, sed duntaxat ex licentia superioris. Neque posset id hodie absque temeritate negari aut in dubium revocari.

De quo et facile patet ratio. Nam dominium nudum, seu quatenus a jure et facultate libere disponendi et utendi separatum, vere et proprie hominem divitem non reddit. Qui enim dominium in bona omnia mundi haberet, at nihil sibi usurpare posset et in proprios usus convertere, non minus pauper reapse foret, quam qui nihil omnino possideret. Quia tandem possidere rem, et non habere jus illa utendi et de illa disponendi, perinde est ac illam non possidere.

Idem sequitur ex ipsa status religiosi essentia. Nam requirit quidem ille status paupertatis votum. Ast ideo duntaxat illud requirit, ut arceantur curæ, sollicitudines et inordinati affectus, quibus implicari solent bonorum temporalium possessores; quo stante impedimento non satis liber et expeditus foret religiosus ad prosequendam perfectionem. Porro efficaciter arcentur ejusmodi impedimenta per votum paupertatis, quo spoliatur religiosus facultate utendi rebus pro arbitrio et tanquam suis. Quamvis enim dominium in res illas retinere pergat, cum earum administratio et quælibet de illis dispositio, non jam penes ipsum sit, sed penes ejus superiorem, non magis tentatione impellitur ad habendam circa res illas sollicitudinem et nimium affectum, quam erga cæteras communitatis possessiones, in quas nullum dominium habet. Unde revera plene sufficit ad statum religiosum constituendum tertius ille paupertatis gradus.

Expositæ cæteroquin doctrinæ adhærent doctores unanimiter. Inter quos præclarus Schmalzgrueber, postquam adno-

Digitized by Google

tavit veros religiosos esse societatis Jesu scholasticos, quamvis bonorum suorum dominium retineant, sic infert : « Ex « quo sequitur, non esse de essentia paupertatis religiosæ, ut « dominio rerum temporalium privet, sed tantum ut privet « potestate utendi, ita ut absque superioris consensu non « possit ulla re uti, vel de re ulla disponere, et illo volente « tenearis etiam ejus dominium abdicare, ut bene advertit « Lessius... Rationem dat, quia talis, etsi dominium rerum « suarum retineat, idem tamen est ac si non haberet ; cum « dominium rerum non æstimetur nisi propter usum et po- « testatem disponendi, quæ eidem per paupertatis votum adi- « mitur : consequenter nihil eidem deest, quominus censen- « dus sit paupertatis religiosæ cultor. » (In titulum 25, libri 3 decretalium, n. 4.)

Nota. — A fortiori autem ad status religiosi rationem sufficiens erit secundus, supra descriptus, paupertatis gradus ; id est, votum paupertatis quo, non tantum spolietur religiosus facultate utendi rebus independenter et pro arbitrio, sed insuper teneatur dominia sua abdicare, et in futurum non acquirere.

Atque adhuc a fortiori sufficiens erit primus ex supra descriptis paupertatis gradibus, id est, votum paupertatis, quo non tantum aufertur facultas rebus independenter utendi, sed et præsens dominium, si quod habetur, ipso facto adimitur, et inducitur aliud in posterum acquirendi incapacitas.

Objicies.—Veri religiosi non sunt nisi professi, id est, qui vota solemnia emiserunt : sed ad votum solemne paupertatis requiritur paupertas primi gradus ; ergo non sufficit ullus ex tribus aliis gradibus. — *Respondeo :* Nego majorem. Nam potest quis per tria simplicia vota verus in stricto sensu religiosus existere. Neque licet id jam negare aut in dubium revocare, postquam expresse a sede Apostolica, quoad societatis Jesu scholasticos, fuit definitum. Unde, etsi olim aliqua exstiterit hac de re controversia, omnino tamen per præfatam sedis Apostolicæ decisionem sublata est ;

Digitized by Google

ita ut ex tunc in admittenda tanquam certa doctrina illa unanimes fuerint doctores catholici. Unde, rigorose loquendo, votorum solemnitas non complet status religiosi essentiam, cum essentia illa tota stare possit cum tribus votis simplicibus; sed quosdam duntaxat inducit effectus, qui ex solis simplicibus votis non sequerentur. Et sic tam vere religiosus est, et dicendus est, qui tria vota simplicia emisit (modo tamen non desint aliæ ad statum religiosum requisitæ conditiones), quam qui emisit solemnia.

§ III.

Determinatur in quo consistat voti paupertatis solemnitas.

PRÆNOTANDUM, *de triplici doctorum sententia.* — Dum supra egimus de voti castitatis solemnitate, vidimus triplicem esse doctorum sententiam. Porro unaquæque ex istis opinionibus non tantum voto castitatis, sed et voto paupertatis a suis patronis applicatur. Alii nempe volunt voti paupertatis solemnitatem consistere in certa aliqua benedictione seu consecratione; ita ut votum illud ex hujusmodi sacro ritu suam solemnitatis qualitatem accipiat. Alii solemnitatem illam reponunt in traditione omnimoda sui ipsius, quam vovens facit Deo per professionem suam, et quæ nomine Dei auctoritate Ecclesiæ acceptatur. Alii tandem illam repetunt a dispositione Ecclesiæ, incapacitatem dominii alligantis paupertatis voto, et sic illud votum solemnizantis. Sed bene notandum est, evanescere omnem opinandi varietatem, ubi agitur de effectu proprio voti solemnis paupertatis. Sicut enim omnes admittunt per votum solemne castitatis dirimi matrimonium ratum non consummatum, et induci inhabilitatem ad aliud valide contrahendum, ita apud omnes extra controversiam est, per solemne votum paupertatis induci incapacitatem dominii, ita ut nempe non possit quis votum solemne paupertatis emittere, quin hoc ipso et bonorum suorum, si quæ hic et nunc possideat,

Digitized by Google

dominium amittat, et inhabilis in perpetuum fiat ad acquirendam ullius rei proprietatem. Omnes, inquam, consentiunt in admittendo illum effectum tanquam voti solemnis paupertatis proprium et ipsi inhærentem. Unde certa apud omnes regula est, solemne esse votum paupertatis, si hanc dominii incapacitatem inducat; solemne non esse, si eam non inducat: sicut et certa est regula, solemne esse votum castitatis, si, tum subsequens matrimonium quodlibet, tum præcedens non consummatum, irritet. Quibus prænotatis, sit,

PROPOSITIO I^a. — *Voti paupertatis solemnitas non consistit in aliqua benedictione seu consecratione, aliove sacro ritu.* — Huc redeunt rationes, quibus supra idem probatum est quoad voti castitatis solemnitatem. Nam 1° in professione *tacita* fit votum solemne paupertatis; et tamen in ejusmodi professione nulla intervenit benedictio aut consecratio. 2° In multis ordinibus religiosis nullus adhibetur in profitendo benedictionis aut consecrationis ritus, et tamen dubium non est in iis emitti solemne paupertatis votum. (Vide Suaresium, *de Religione*, tractatu 7, l. 2, c. 6, n. 4.) 3° Quicunque sit ritus in aliqua religiosorum familia adhiberi solitus, potest Ecclesia decernere, ut in posterum vota illius ordinis religiosi, cum illo eodem ritu emissa, sint duntaxat simplicia. Et nullus est qui neget, vota, post hujusmodi decretum, certo simplicia fore: et tamen, ex hypothesi, adhuc in eorum emissione adhiberetur ille ritus, quocum antea solemnia erant. Ergo solemnitas, quæ antea aderat, non proveniebat ex illo ritu: alioquin perseverante ritu, perseveraret solemnitas.

PROPOSITIO II^a. — *Solemnitas voti paupertatis non consistit in traditione sui ac suorum bonorum et jurium, Deo et religioso ordini facta, et nomini Dei acceptata.* — Opinionem eorum, qui voti paupertatis solemnitatem in ejusmodi traditione reponunt, exponit Suaresius (*de Religione*, tractatu 7, libro 2, c. 12, n. 9) in hunc modum: « Est ergo eorum opinio, hujus voti « solemnitatem consistere in traditione, quæ, vel est de es- « sentia ejus, vel illud formaliter solemnizat (ut sic dicam);

Digitized by Google

« quia non ex constitutione Ecclesiæ, sed ex se et ex jure « divino naturali habet illa traditio excludere omne domi- « nium a persona, et reddere illam inhabilem ad illud acqui- « rendum. Fundatur, quia ex vi traditionis fit homo tanquam « mancipium, et se ac omnia sua transfert in Deum et reli- « gionem. Ergo cum illa traditione repugnat omnis pro- « prietas seu dominium, vel præsens vel futurum, in tali « persona ; et consequenter omnes etiam actiones, quæ a do- « minio proficiscuntur, et illud necessario supponunt in tali « persona, ex natura rei irritæ sunt. Et confirmatur exemplo « servi : nam eo ipso quod in alterius dominium transit, om- « nia ejus bona et jura fiunt domini, et ipse incapax fit ad « aliquid acquirendum, vel ut proprium possidendum... Et « declaratur amplius ; nam si quis donaret alteri omnia bona « sua, non tantum præsentia, sed etiam futura (ita ut quid- « quid ad ipsum ullo tempore pervenire posset, ipso facto in « alium transferretur), fieret inhabilis ad aliquid sibi acqui- « rendum ex vi talis donationis, sine ullius juris positivi « adminiculo ; sufficeretque ut humanum jus tali donationi « non resisteret : sed ita se habet religiosus in professione « sua respectu religionis. Ergo contrahit dictam inhabilitatem « ex vi professionis suæ. » Admittendam non esse opinionem hanc evincere videntur sequentes rationes :

1° Non concordat cum textibus juris, id est, cum Summorum Pontificum declarationibus. Nam Bonifacius VIII (cap. *Quod votum*, tit. 15, libri 3, in 6) expressis verbis dixit, solemnitatem voti ex sola constitutione Ecclesiæ fuisse inductam : *Nos igitur attendentes*, inquit, *quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa*, etc. Item Gregorius XIII, bulla, *Ascendente Domino*, anni 1584, expresse declaravit, *voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse*. Supra autem (capite 2) ostendimus ibi agi de solemnitate *substantiali* seu proprie dicta. Jam vero si voti solemnitas in traditione consisteret, dici non posset ex sola Ecclesiæ institutione inventa ; sed dici deberet de jure divino. Sequeretur enim ne-

Digitized by Google

cessario ex ipsa traditione; et traditio, quam in professione sua facit religiosus, eam voti solemnitatem ex natura sua produceret; nec penderet ab Ecclesiæ voluntate, ut, posita traditione, non adesset voti solemnitas. Nec dicatur ab Ecclesia pendere ut acceptet traditionem quatenus plenam, id est, omnium omnino bonorum et jurium; et hoc sensu fuisse solemnitatem voti constitutione Ecclesiastica inventam; quod Ecclesia cum possit acceptare vel non acceptare donationem ejusmodi, eam de facto acceptet quando fit professio in ordinibus ab ipsa approbatis. Non valet, inquam illa explicatio : nam ex eo quod Ecclesia acceptet donationem bonorum et jurium omnium religiosi, non potest recte dici *invenire* voti solemnitatem. Qui dicit aliquid *inventum*, seu inductum esse *per solam constitutionem Ecclesiæ*, dicit hoc *vi sola decreti ecclesiastici* fuisse introductum. Porro in dicta hypothesi solemnitas voti paupertatis, seu (quod idem est) incapacitas dominii, non flueret ex solo decreto Ecclesiæ, sed ex ipsa natura et vi traditionis a religioso factæ. Unde revera opinio, quæ solemnitatem in traditione reponit, per citatos juris textus excluditur.

2° Falsum est fundamentum quo dicta opinio nititur. Fundamentum illud est, quod traditio, ex natura sua et vi sibi intrinseca, transferat ad communitatem, non solum bona præsentia religiosi, sed etiam jus ipsius ad bona, quæ ipsi in posterum obvenire possent. Inde sequitur, inquiunt hujus opinionis patroni, religiosum reddi ipso facto incapacem dominii; seu, quod idem est, solemnizari votum paupertatis cum hacce traditione emissum. Porro fundamentum illud ex duplici capite falsum est : primo, quia stare potest traditio sufficiens ad statum religiosum et ad vota solemnia, quin transferat ad communitatem bona et jura religiosi, professionem emittentis : secundo, quia, etiam quando traditio transfert ad communitatem bona et jura omnia religiosi, non sufficit ad producendam absolutam incapacitatem dominii, seu voti solemnitatem. Utrumque hoc assertum paucis stabiliamus :

Primo stare potest verus status religiosus et votorum so-

Digitized by Google

lemnitas, quin traditio transferat in communitatem bona præsentia religiosi, et jus ipsius ad bona adventitia. Etenim ab actu ad posse valet consecutio : atqui in scholasticis societatis Jesu datur verus status religiosus, quamvis post emissa vota simplicia servent bonorum suorum dominium ; et in professis ejusdem societatis dantur vota vere solemnia, quamvis eorum communitas non succedat membris suis quoad jus in bona ipsorum, sive præsentia, sive quæ ipsis post professionem obvenire possunt. Quod dicimus de scholasticis, certum faciunt verba Gregorii XIII, quibus id negantes severe perstrinxit : *non considerantes,* inquit, *voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse ; triaque hujusmodi societatis vota, tametsi simplicia, ut substantialia religionis vota ab hac Sede fuisse admissa, illaque emittentes in statu religionis vere constitui, quippe qui per ea ipsa se societati dedicant atque actu tradunt, seque divino servitio mancipant* (bulla *Ascendente*). Quod autem conventus seu communitates societatis Jesu, quando ipsius religiosi professionem emittunt, non acquirant ipsorum bona præsentia, nec jus ad hæreditates, quæ in posterum ipsis obvenire possunt, constat ex dictæ societatis instituto, et testatur Suaresius (*de Religione*, tractatu 7, libro 2, c. 12, n. 12); et tamen illi religiosi professi evadunt omnino incapaces dominii, et eorum vota certo solemnia sunt. Ergo dari potest traditio sufficiens ad verum statum religiosum et ad veram votorum solemnitatem, quin transferat ad communitatem bona et jura omnia religiosi professionem emittentis.

Secundo, etiam quando traditio transfert in communitatem bona et jura omnia religiosi professionem emittentis, translatio hæc non producit absolutam incapacitatem dominii, nec proinde voti paupertatis solemnitatem ; ac proinde incapacitas illa repetenda est aliunde quam ex traditione a religioso facta. Equidem in multis ordinibus religiosis monasterium seu conventus succedit religioso professo quoad omnia ipsius bona et jura. Sed in quantum hoc provenit ex traditione, seu ex donatione quam facit religiosus profitendo, et quam acceptat

Digitized by Google

religiosa communitas, non est de se perpetuum et immutabile. Nam contractus donationis ex utriusque partis consensu rescindi potest, etiam postquam res donatario jam tradita fuit. Unde, attenta sola traditione (qua religiosus omnia bona sua præsentia, et jus in futura in communitatem transtulit), posset religiosus ille bona hæc et jus illud recuperare ; si nempe in id consentiret communitas. Sed hoc ipso religiosus ille non esset *absolute* incapax dominii, sed relative duntaxat : nimirum relative ad tempus quo non consentiet communitas donationi sibi factæ renuntiare. Ergo ex sola traditione non oritur absoluta dominii incapacitas, nec proinde voti paupertatis solemnitas. Ergo solemnitas hæc aliunde quam ex traditione repetenda est. Confirmari potest conclusio, ex adnotatis a Suaresio, quoad religiosos in perpetuum ejectos : « Reli« giosus ejectus omnino a religione in perpetuum, juxta pro« babilem sententiam jam non acquirit religioni ; quia dimit« tendo eum, quoad hanc partem cessit juri suo : et « nihilominus non acquirit sibi dominium, neque potest de « bonis acquisitis testari ; sed illi solet Camera Apostolica « succedere... : ergo signum est, illam incapacitatem non fun« dari in jure religionis, sed in positivo jure inhabilitante per« sonam et acquisitionem irritante. » (*De Religione*, tractatu 7, libro 12, c. 12, n. 13.)

Propositio III^a^. — *Voti paupertatis solemnitas est ipsamet vis inducendi incapacitatem dominii, quæ huic voto alligatur per statutum Ecclesiæ.* — Probatur 1°, ex supra citatis constitutionibus Bonifacii VIII et Gregorii XIII, in quibus expresse dicitur *voti solemnitatem Ecclesiæ constitutione fuisse inventam.* Quæ verba satis indicant, vota in solemni professione a religiosis emissa, non aliunde habere vim inducendi incapacitatem dominii, seu (quod idem est) non aliunde habere qualitatem solemnitatis, quam ex jure positivo, ex mera nempe Ecclesiæ id statuentis voluntate.

Probatur 2°, ex aliarum opinionem falsitate. Nisi enim dominii incapacitas inducatur per statutum Ecclesiæ, quo

Digitized by Google

nempe decrevit ut religiosi, paupertatem in certis religionibus voventes, fiant hoc ipso dominii incapaces, dicendum erit illam incapacitatem induci, vel vi ipsius voti, vel ritu sacro votum seu professionem concomitante, vel traditione quam religiosus facit sui ipsius suorumque bonorum et jurium religiosæ communitati in qua professionem emittit : nullus quippe alius excogitatus fuit modus explicandi, in quo stet voti paupertatis solemnitas. Atqui *primo* admitti nequit hypothesis quæ incapacitatem dominii repeteret ex vi sola voti paupertatis : nam certum est dari posse votum paupertatis simplex, seu quo non auferatur dominium et capacitas dominii ; ac proinde votum paupertatis, per se solum, seu ex eo solo quod sit votum paupertatis, non necessario secum trahit incapacitatem dominii seu solemnitatem. Præterea votum paupertatis quam maxime perfectum, per se solum, et abstrahendo ab ejus executione, nihil aliud est quam *promissio* abdicandi bonorum omnium temporalium proprietatem. Sed *promittere* bonorum suorum abdicationem non est ea abdicare. Qui Deo promisit, verbi gratia, dare pauperibus pecuniam suam, hoc solo actu *promittendi* seu vovendi, pecuniam suam non alienat ; sed dominium et proprietatem ipsius retinet, usque dum pecuniam de facto pauperibus tradiderit. Unde solemnitas ex nudo ipso voto paupertatis desumi nequit.

Secundo, nec repeti potest solemnitas ex consecratione aut benedictione aliove sacro ritu, votorum emissionem et professionem religiosam concomitante. Id supra probavimus.

Tertio, nec tandem reponenda est solemnitas in traditione omnimoda, qua religiosus se ac bona et jura sua omnia donat communitati religiosæ in qua profitetur. Etsi enim illa hypothesis aliquam veri speciem præ se ferat, et non paucis doctoribus arriserit, eam tamen solido destitui fundamento supra etiam ostendimus.

Remanet ergo ut dominii incapacitas, seu voti paupertatis solemnitas, ex decreto Ecclesiæ provenire dicatur, juxta communiorem doctorum sententiam.

Digitized by Google

PROPOSITIO IV^a. — *Voti paupertatis solemnitas est vis inducendi incapacitatem dominii absolutam.* — *Absolutam* vocamus incapacitatem dominii, quæ perpetua et immutabilis est, tum ex parte religiosi, tum ex parte religionis quam ingreditur. Etenim possibilis est incapacitas dominii, quæ sit perpetua et immutabilis ex parte religiosi duntaxat, non autem ex parte religionis. Quando nempe religio sibi jus reservat religiosum dimittendi liberum a votis, si ita expedire sibi videbitur, incapacitas dominii, votis hujus religiosi alligata, non est perfecta seu absoluta; siquidem dato casu dimissionis, religiosus ille iterum capax dominii evadit; ac proinde incapacitas quæ præcesserat, non fuerat absoluta, sed relativa ad tempus quo religiosus non dimitteretur. Et ita res se habet in societate Jesu, quoad religiosos, qui *coadjutores formati* vocantur. Alligatur quidem incapacitas dominii eorum votis, ut constat ex constitutionibus Apostolicis, dictæ societatis institutum confirmantibus; sed ita ut possit societas eos dimittere a votis liberos, et sic eam incapacitatem tollere. Porro dicimus, ejusmodi incapacitatem dominii ad voti paupertatis solemnitatem non sufficere. Et patet eorumdem coadjutorum formatorum exemplo. Etenim ipsorum vota, quamvis præfatam incapacitatem dominii inducentia, simplicia declarantur in memoratis Apostolicis constitutionibus. Ergo incapacitas dominii sic restricta ad tempus quo religiosus non dimittetur, non est sufficiens ad voti solemnitatem : ergo ut solemne sit paupertatis votum, necesse est incapacitatem dominii, ipsi alligatam, esse absolutam, id est, perpetuam et immutabilem, tam ex parte religionis, quam ex parte religiosi.

CAPUT IV.

DE SOLEMNITATE VOTI OBEDIENTIÆ.

Vidimus supra, difficultate haud vacare quæstionem in quo consistat voti paupertatis et castitatis solemnitas. At longe

Digitized by Google

difficilior evadit hæc eadem quæstio, ubi agitur de voto obedientiæ. Nam quoad duo alia vota, extra controversiam saltem est proprius solemnitatis effectus. Per votum nempe paupertatis, si solemne sit, induci incapacitatem dominii, unanimi consensu tenent doctores. Item voti solemnis castitatis effectus certus et indubium signum est, inhabilitas ad valide contrahendum matrimonium, et matrimonii jam contracti, sed nondum consummati, dissolutio. Ast quoad votum obedientiæ, non item concordant doctores in assignando aliquo ejusmodi effectu, qui solemnitatem ejus necessario consequatur, et quo careat idem votum quando simplex remanet. Hinc plana res non est discrimen assignare simplex inter et solemne obedientiæ votum, et determinare in quo præcise reponenda sit ejusdem voti solemnitas. Nos in hac excutienda difficultate Suaresii sententiam, quæ communior evasit, sequemur. Quo prænotato, sit,

PROPOSITIO I^a. — *Nisi obstaret positiva Ecclesiæ dispositio, posset religiosus, non obstante voto obedientiæ, valide et independenter a superiore suo, sese obligare variis promissionibus, tum erga Deum, tum erga homines.* — Imprimis accurate determinandum est de quibus promissionibus agamus. Supponimus rem promissam esse de se honestam : alioquin de jure naturali invalida foret promissio, ut patet. Item supponimus rem promissam non adversari voto paupertatis : si religiosus promitteret donationem alicujus agri se accepturum, irrita foret promissio, utpote de re, quæ ipsi ob votum paupertatis facta est illicita. Item supponimus rem promissam non adversari voto castitatis : si religiosus promitteret matrimonium, irrita foret promissio, ut patet. Item supponimus id quod promittitur, non fuisse a regula aut superioribus legitime prohibitum; quia secus promissio foret de re illicita. Et tandem supponimus per promissionem nullum lædi jus monasterii, aut cujuslibet alterius personæ; cum dubium minime sit talem promissionem, utpote injustam, fore ipso facto invalidam.

Digitized by Google

At præter promissiones, ex prædictis rationibus illicitas, ac proinde ipso facto invalidas, seu nullam obligationem inducentes, innumera sunt quæ religiosus promittere potest, sive Deo, sive hominibus. Potest, verbi gratia, Deo promittere, seu (quod idem est) vovere, certarum precum recitationem, vel aliquod aliud pium exercitium, aut abnegationis actum, et alia hujusmodi. Item potest erga homines ad multa sese promissione obligare : verbi gratia, ad servandum secretum, ad offerendum sacrificium pro amico, ad reddendam aliquam cartam quæ ipsi legenda tradita est, ad expendendam aliquam quæstionem et dicendam sententiam suam , etc. Porro de hisce promissionibus in præsentiarum quæstio est; et de iis conclusionem hanc ponimus : *Nisi obstaret statutum Ecclesiæ, posset religiosus ejusmodi promissionibus sese valide obligare, independenter a sui superioris voluntate.* Probatur autem, ex eo quod, abstrahendo a dispositione Ecclesiæ contrarium statuentis, nihil allegari possit, quo religiosus censeri debeat privatus facultate ejusmodi obligationes contrahendi. Etenim non privatus fuit hac facultate per votum paupertatis; siquidem hujus voti materia non includit præfatas promissiones. Nec privatus fuit per votum castitatis, ob eamdem rationem. Nec privatus fuit per traditionem, quam in professione fecit sui ipsius Deo et religioni. Nam traditio hæc non alia est quam quæ requiritur ad status religiosi essentiam; sed traditio ad religiosi status substantiam requisita, non invalidat omnes contractus religiosorum : quod patet in scholasticis societatis Jesu, qui licet veri religiosi sint, ac proinde traditionem sui fecerint, quæ ad status religiosi essentiam sufficiat, valide tamen possunt bona sua vendere, aliosque contractus inire. Quando nempe dicitur religiosum in professione sua facere omnimodam sui ipsius traditionem, traditio hæc intelligenda est prout eam requirit finis status religiosi et instituti quod amplectitur; non autem intelligenda est traditio, qua voluntas religiosi omnino inhabilis reddatur ad quamlibet obligationem valide contrahendam. Ejusmodi quippe voluntatis in-

Digitized by Google

habilitas non requiritur ad finem status religiosi, id est, ad perfectionem acquirendam. Etenim acquirendæ perfectioni obstaculum per se non est, quod possit religiosus valide nonnulla vota emittere, et promissionibus erga homines sese obligare, modo ejusmodi votorum et promissionum materia cæteris status religiosi obligationibus non sit contraria. Ergo revera, traditio quam sui ipsius facit religiosus in professione sua, per se solam non spoliat illum facultate sese variis promissionibus obligandi. Tandem neque hac facultate spoliatur per votum obedientiæ, in quo major difficultas videri posset. Hic autem consideramus votum obedientiæ quoad essentiam suam, non autem quatenus aliqua vis particularis ei ex positivo Ecclesiæ jure superaddita fuisset. Porro votum obedientiæ, sic in seipso consideratum, unicam imponit religioso obligationem, parendi nempe superiorum mandatis : id enim, et non aliud per votum obedientiæ vovetur. Sed ex eo quod religiosus teneatur superiorum mandata exequi, non sequitur eum non posse variis promissionibus sese ligare, tum erga Deum, tum erga homines. Nam obligatio ex istis promissionibus exsurgens, et obligatio parendi superioribus non sese mutuo excludunt, sed simul stare posse concipiuntur. Supponamus, verbi gratia, religiosum sese voto obligasse ad effundendam aliquam precem, eo diei tempore, quo nihil aliud faciendum ipsi ex regula aut ex superiorum mandato injungitur : item supponamus religiosum, cui liberæ sunt missarum intentiones, promisisse sanctissimi sacrificii pro amico celebrationem : evidens est, per harum et similium promissionum impletionem nullum violari superiorum aut regulæ præceptum. Ergo cum essentiali obligatione, ex obedientiæ voto exurgente, stare potest facultas religiosi sese variis promissionibus obligandi. Ergo quod præfatæ promissiones a religioso factæ, sint ipso facto irritæ, vel a superiore irritari possint, non provenit ex vi intrinseca votorum ab ipso emissorum, aut traditionis quam sui ipsius fecit in pro-

Digitized by Google

fessione sua; sed effectus ille, si existat, a positiva Ecclesiæ dispositione repetendus est.

PROPOSITIO II^a^. — *Est doctrina communiter recepta, religiosi promissiones, sive Deo, sive hominibus, post professionem factas, irritari posse ab ipsius prælatis.* — Quod ita communiter teneatur, satis constat ex his Suaresii verbis : « Potest a prælato ejus « obligatio irritari : sicut de votis religiosorum docuit divus « Thomas... et nos cum illo... Quam doctrinam merito ex- « tendit Navarrus ad promissionem et obligationem naturalem « religiosi factam homini : et sane merito. Nam si tanta est « potestas Prælati religionis in voluntatem subditorum, ut « etiam obligationem Deo factam pro suo arbitrio possit au- « ferre, profecto eamdem vel majorem habet ad irritandum « omnem aliam obligationem, quam quovis modo religiosus « sua voluntate contraxit. » (*De Religione*, tomo 3, libro 2, cap. 13, n. 8.) Ad firmandam illam doctrinam solent auctores adducere varios juris textus, et ecclesiastica priscorum temporum documenta, in quibus dicitur, religiosum post factam professionem jam non habere *velle* aut *nolle* (1). Non tamen inde concludunt irritas ipso facto esse religiosi professi promissiones, sive Deo, sive homini factas; sed duntaxat posse illas a superiore irritari.

PROPOSITIO III^a^. — *Voti obedientiæ solemnitas est vis, huic voto ex Ecclesiæ dispositione alligata, reddendi irritabiles per superiorem, promissiones religiosi omnes, sive Deo, sive hominibus post emissam professionem factas.* — Etenim, ex secunda propositione, ejusmodi professiones sunt revera per superiorem irritabiles. Aliunde, ex prima propositione, tales non essent attenta sola natura et intrinseca efficacia trium votorum, et traditionis in promissione factæ. Ergo quod votum obedientiæ hunc effectum producat, non provenit nisi ex jure positivo, ex Ecclesiæ nempe ita disponentis voluntate. Sed vis hoc

(1) Capite 2, *De testamentis*, in 6; capite ultimo, *De sepulturis*, in 6; capitibus *Quorumdam*, et *Si religiosus*, de electione, in 6; canone *Non dicatis*, 12, q. 1.

Digitized by Google

modo voto obedientiæ addita, censenda est constituere ipsammet hujus voti solemnitatem. Nam certum est, adesse discrimen solemne inter et simplex votum obedientiæ; et votum solemne aliquid amplius habere quam votum simplex. Jam vero præter hanc vim reddendi per superiorem irritabiles præfatas religiosi promissiones, nihil assignari potest in voto solemni obedientiæ, quod non reperiatur in voto simplici. Ergo revera solemnitas hujus voti consistit in dicta vi, et vis illa non ei aliunde accedit, quam ex positiva Ecclesiæ dispositione.

CAPUT V.

Generali formula determinatur in quo stet trium substantialium religionis votorum solemnitas.

Cum superioribus capitibus sigillatim de unoquoque voto exploratum sit, in quo stet ipsius solemnitas, remanet ut tota hac de re exposita doctrina unico veluti intuitu lectori conspicienda exhibeatur. Et primo quidem voti castitatis solemnitatem repetendam esse diximus ex peculiari effectu, ipsi per Ecclesiæ statutum alligato; ex eo nempe quod et subsequens quodlibet matrimonium, et etiam antecedens non consummatum irritet. Item solemne esse paupertatis votum ex eo quod religiosum dominii incapacem reddat; et vim producendi hujusce effectus, pariter ex positiva Ecclesiæ dispositione defluere. Pariter ipsummet solemne obedientiæ votum a simplici non differre, nisi ex eo quod irritabiles per superiorem reddat promissiones, quas sive Deo, sive hominibus facit religiosus post emissam professionem suam; quem effectum positivo etiam juri, Ecclesiæ nempe ita disponentis statuto, adscripsimus (1).

(1) Fatemur theoriam expositam de voti obedientiæ solemnitate, haud spernendis objectionibus esse obnoxiam. Ejusmodi objectiones, quas brevitatis causa prætermisimus, videri possunt apud Suaresium (*de Religione*, tomo 3, lib. 2, c. 13). At vero

Digitized by Google

Qua doctrina circa unumquodque votum semel admissa, de tribus in communi votis hæc asserenda veniunt :

1° Solemnitas trium votorum substantialium est de jure duntaxat ecclesiastico. Sequitur ex eo quod probatum id fuerit sigillatim quoad unumquodque.

2° Solemnitas trium votorum substantialium consistit in vi, per Ecclesiæ dispositionem ipsis addita, certos quosdam effectus producendi; id etiam evincunt superius dicta de singulis votis.

3° Trium votorum solemnitas consistit in vi, per Ecclesiæ dispositionem ipsis addita, irritos, vel saltem irritabiles faciendi certos quosdam actus religiosi, accidentali votorum perfectioni contrarios. Etenim solemnitas voti castitatis irritat contractum matrimonialem subsequentem, et etiam antecedentem si matrimonium non fuerit consummatum. Item voti paupertatis solemnitas irritat quemlibet actum dominii, sive quoad bona jam possessa, quibus spoliatur religiosus ipso facto emissi solemniter paupertatis voti, sive quoad bona adventitia, quorum acquirendorum incapax efficitur. Tandem voti obedientiæ solemnitas non quidem irritas, sed superiorum arbitrio irritabiles reddit promissiones, quas religiosus post emissam professionem, facit Deo, vel hominibus. Hæc nempe superioribus capitibus probata sunt. Addimus autem actus, qui sic per votorum solemnitatem irriti vel irritabiles reddantur, esse actus contrarios *accidentali* votorum perfectioni. Nam si effectus ille requireretur ad *essentialem* etiam votorum perfectionem, produceretur, non ex jure positivo, sed necessario ex ipsa votorum essentia. Cum ergo probatum sit solemnitatem ex jure duntaxat positivo dimanare, merito infertur, effectus ex illa solemnitate provenientes, non esse necessarios ad *essentialem* votorum perfectionem, sed solummodo ad accidentalem.

explicatio illa, etsi non omnino invicte stabilita, qualibet alia (meo quidem judicio) multo probabilior est. Nec parvam ei auctoritatem Suaresius, suam faciendo, addidit.

Digitized by Google

4° Vis votorum præfatos actus respective reddendi irritos et irritabiles (1), non constituit solemnitatem, nisi sit *absoluta*. Etenim vis illa votorum posset esse duntaxat *relativa* ad tempus, quo religiosus liber a votis non dimittatur. Et ita de facto existit vis illa votorum in societate Jesu, quoad quædam ipsius membra. Nam *scholasticorum* vota revera irritant matrimonium subsequens; vota autem *coadjutorum formatorum*, et irritant matrimonium subsequens, et inducunt incapacitatem dominii, seu irritant actus quoslibet proprietatis. Sed religiosi isti possunt a societate, soluto votorum vinculo, dimitti; unde, contingente hac dimissione, cessat prædictus votorum ab ipsis emissorum effectus; ac proinde vis producendi præfatos effectus, ejusmodi religiosorum votis alligata, non est *absoluta*, sed *relativa* ad tempus quo non dimittentur. Dicimus autem vim illam votorum, sic restrictam et non absolutam, minime sufficere ad votorum solemnitatem. Et probatur ex eo quod præfatorum religiosorum vota, licet vim illam relativam habentia, declarentur simplicia in Apostolicis bullis, quæ dictæ societatis institutum approbant et confirmant. Unde ad votorum solemnitatem non sufficit vis quælibet præfatos effectus producendi; sed vis illa debet esse *absoluta*, id est, ita perpetua et immutabilis, ut neque religiosus, neque ipsa etiam religio vim illam suspendere aut tollere possit. Quod autem vis illa votorum tolli possit a Romano Pontifice, id non impedit eorum solemnitatem, ut suo loco dicetur. Nec, dum vim illam vocamus absolutam, seu absolute perpetuam et immutabilem, excludere intendimus præfatam Romani Pontificis potestatem, religiosum a votorum (etiam solemnium) vinculo solvendi.

Cæterum totam hanc, de votorum solemnitate, doctrinam (ne cui forte nova videatur), monemus hausisse nos ex Suaresio; qui et summariam illius veluti formulam expressit his

(1) *Irritos* dicimus relative ad vota paupertatis et castitatis, *irritabiles* relative ad votum obedientiæ.

Digitized by Google

verbis : « Voti religiosi solemnitas in duobus consistit : unum « est, ut traditioni seu oblationi personæ religiosæ omnino « *absolutæ*, et ex utraque parte (scilicet religionis et religiosi) « *immutabili*, conjunctum sit : alterum est, ut habeat *vim in-* « *habilitandi* personam ad effectus morales supra declaratos. « Hæc enim duo conjunctim necessaria sunt, et alterum sine « altero non sufficit, ut in superioribus declaratum est, et in « votis scholarium et coadjutorum societatis (1) est manife- « stum. » (*De Religione*, tom. 3, lib. 2, c. 14, n. 10.)

CAPUT VI.

AD ESSENTIAM RELIGIOSI STATUS NON REQUIRITUR VOTORUM SOLEMNITAS.

Prænotanda. — 1° Certum est exstitisse olim hac de re controversiam. « Usque ad tempora nostra et Gregorii XIII Pon- « tificis maximi, inquit Suarez, multorum opinio fuit, sine illis « tribus votis *solemnibus*, proprie et substantialiter statum re- « ligiosum subsistere non posse ; ac subinde illam solemnita- « tem esse de essentia religiosi status. » (*De Religione*, tomo 3, libro 2, cap. 14, n. 1.) 2° Atvero a tempore laudati Gregorii XIII omnino sublata est opinandi varietas : ab omnibus nempe admitti debuit, et revera unanimiter admissum est, stare posse religiosum statum absque votorum solemnitate. Quod sic inter alios adnotat Schmalzgrueber (in titulum *de Regularibus*, n. 14 et 15) : « An de essentia religionis sit, ut « vota quæ in illa emittuntur, sint solemnia? Non defuerunt « doctores qui affirmativam defenderent... Sed tenenda est « negativa sententia, videlicet, ad constituendam vere et pro- « prie dictam religionem satis esse emittere in illa vota sim- « plicia. Est *indubitatum hodie* post constitutionem Grego-

(1) Nempe societatis Jesu, quam unico societatis vocabulo designare Suaresio frequens est.

Digitized by Google

« rii XIII, quæ incipit *Ascendente.* » His prænotatis, probatur propositio argumentis sequentibus :

ARGUMENTUM I. — *Ex bullis Gregorii XIII.* — In constitutione *Quanto fructuosius*, anni 1583, sic pronuntiatur : « Sta« tuimus ac etiam decernimus, non modo eos qui in coadju« torum formatorum, sive spiritualium, sive temporalium « gradus et ministeria admittuntur, sed etiam alios omnes et « quoscunque, qui in ipsa societate admissi, biennio proba« tionis a quocunque peracto, tria vota prædicta, tametsi « simplicia, emiserint, emittentque in futurum, vere et pro« prie religiosos fuisse et esse, et ubique semper ab omnibus « censeri et nominari debere, ac si in professorum prædicto« rum numerum adscripti fuissent. Præcipimusque et interdi« cimus, ne quisquam... illud in controversiam... ponere au« deat quoquomodo. » In bulla autem *Ascendente*, anni 1584 : « Statuimus ac decernimus tria vota hujusmodi, etsi simplicia, « ex hujus Sedis institutione ac nostra etiam declaratione, esse « vere substantialia religionis vota. » Ex iis textibus sic arguitur : vota scholasticorum societatis Jesu sunt simplicia, et tamen ii scholastici sunt vere et proprie religiosi; ergo verus et proprie dictus status religiosus stare potest absque votorum solemnitate. Est autem argumentum ejusmodi omnino peremptorium, atque omnem cavillationibus aditum præcludit. Ut adeo hodie temeraria dici posse assertio contraria videatur. Et sic, occasione scholasticorum societatis Jesu, auctoritate Apostolica finita est, hac de re antea existens, opinandi varietas.

ARGUMENTUM II. — *Ex unanimi recentiorum doctorum consensu.* — Argumentum illud evolutione non indiget. Post citatas nempe Gregorii XIII constitutiones, quotquot dictam quæstionem scriptis attigerunt canonistæ ac theologi catholici, tanquam certum concludunt dari posse statum religiosum absque votis solemnibus. Quam communem recentiorum doctrinam sic, inter alios testatur sanctus Franciscus Salesius : « Bien que plusieurs anciens et graves scholastiques pensèrent

Digitized by Google

« jadis que cette solemnité estoit une propriété naturelle et « essentielle des vœux de religion, si est-ce que le pape Bo- « niface VIII ayant dû depuis déterminer le contraire, il n'y « a plus lieu quelconque d'en disputer ; ains faut avouer ingé- « nuement que cette propriété n'est nullement inséparable « des vœux de religion. » (*Règles et constitutions pour les religieuses de la Visitation,* préface, œuvres complètes, tome 4, p. 473 et 474, édit. Guyot, 1853.)

ARGUMENTUM III. — *Ex eo quod votorum solemnitas sit institutionis ecclesiasticæ.* — Esse revera ad jus mere ecclesiasticum referendam votorum solemnitatem, declaravit Bonifacius VIII his verbis : *Nos igitur attendentes, quod voti solemnitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa* (capite *Quod votum*, tituli 15, libri 3, in 6). Item Gregorius XIII (constitutione *Ascendente,* anni 1584), eos qui negabant scholasticos societatis Jesu, utpote simplicibus duntaxat votis constrictos, vere religiosos esse, perstrinxit in hunc modum : *Non considerantes voti solemnitatem sola Ecclesiæ constitutione inventam esse.* Et quidem in his textibus agi de solemnitate *substantiali* seu proprie dicta, non autem de accidentali, supra probavimus (capite 2, § 3 præsentis sectionis). Jam vero ex eo quod votorum solemnitas institutionis sit ecclesiasticæ, merito infertur eam ad status religiosi essentiam non requiri. Nam status religiosus est institutionis divinæ, prout certum hic supponimus, et sequenti sectione probabitur. Habet proinde essentiam suam ex jure divino. Quidquid ergo ei supervenit ex dispositione ecclesiastica ipsi accidentale est et non essentiale : sed, ex citatis Bonifacii VIII et Gregorii XIII declarationibus, solemnitas sola Ecclesiæ constitutione inventa est ; ergo solemnitas hæc ad essentiam status religiosi non pertinet ; seu potest status religiosus absque illa solemnitate subsistere.

ARGUMENTUM IV. — *Ex ipsa status religiosi natura.* — Nam status religiosi conceptus hæc duntaxat includit : 1° ut sit status, id est, modus vivendi ex alicujus causæ efficacia stabilis ; 2° ut sit status tendentium ad perfectionem ; 3° ut sit

Digitized by Google

status tendentium ad perfectionem per praxim triplicis consilii evangelici perpetuo voti vinculo firmatam; 4° ut conjungatur cum traditione totius personæ, Deo facta, et nomine Dei acceptata. His stantibus, nulla est ratio cur adesse statum religiosum negetur. Porro hæc omnia stare possunt, quamvis vota sint duntaxat simplicia. Nam hoc ipso quod tria vota in perpetuum emittantur, exsurgit ratio status, seu stabilis quidam vivendi modus. Status autem ille est revera et dici debet status tendentium ad perfectionem : nam ut quis sit in statu tendentium ad perfectionem, sufficit eum stabiliter obligari ad servanda tria consilia evangelica : porro sic obligatur ex triplici voto, licet simplici : quamvis enim ipsius votum castitatis non eum inhabilitet ad matrimonium, reddit tamen ei matrimonium illicitum; et hoc sufficit ut in perpetuum obligetur ad servandum consilium evangelicum castitatis. Item quamvis votum simplex paupertatis non ipsum inhabilitet ad actus dominii, hos actus tamen facit ei illicitos; et sic eum obstringit in perpetuum ad servandum consilium evangelicum paupertatis, in quantum id requirit tendentia ad perfectionem : etenim perfectionis prosecutionem non impedit præcise nudum dominium, sed liber et independens usus bonorum temporalium. Qui nullis bonis suis uti potest, nec de iis unquam disponere, perinde est ac si nulla possideret; id est, tam expeditus est ad perfectionis prosecutionem, ac si revera bona illa abdicasset. Tandem cum solis simplicibus votis fieri potest et acceptari traditio illa, qua religiosus se totum Dei servitio mancipat : in hoc enim nulla est repugnantia. Et fieri hanc traditionem a scholasticis societatis Jesu, quamvis simplicia duntaxat vota emittant, declaravit Gregorius XIII, prout supra retulimus. Ergo omnia quæ in status religiosi conceptu continentur stare possunt cum solis votis simplicibus. Ergo votorum solemnitas ad hujus status essentiam non requiritur.

ARGUMENTUM V. — *Ex eo quod per multa Ecclesiæ sæcula verus status religiosus cum solis votis simplicibus exstiterit.* —

Digitized by Google

Argumentum illud potius indigitare, quam evolvere intendimus. Est enim historicum, et nonnisi pleno documentorum volumine peremptorie urgeri posse mihi videtur. Quare id eruditis expediendum relinquo. Mihi enim haud satis explorata est hac de re antiquitas : ut adeo nec asserere audeam posse rigorosam inde repeti probationem. Non pauca priscorum temporum documenta in medium adducit Suaresius (*de Religione,* tomo 3, libro 2, cap. 14, n. 15), quibus hinc inde libratis, concludit quidem absque votorum solemnitate olim exstitisse statum religiosum; ast simul innuit probationem ex hoc capite deductam non sibi videri omnino peremptoriam.

Apud recentiores eruditos uberiorem et quoad authenticitatem tutiorem existimo reperiri posse documentorum ejusmodi segetem. Ad rem facit, verbi gratia, quod refert Mabillonius de sanctimoniali Aldegunda, ipsi nempe copiosam obtigisse hæreditatem; cujus facti occasione affirmat Mabillonius in hunc modum : *Tum enim propinquorum hæreditates inibant monachi et sanctimoniales.* Et in opere cui titulus : *Diplomata, chartæ... ad res Franciscas spectantia* (compilatoribus Brequigny et du Theil, tom. 1, prolegom., page 196) sic reperio adnotatum :

« On trouve dans notre collection quantité de testaments et « de legs faits par des abbés et des abbesses. On y peut voir « le testament de sainte Fare, qui, en 652, légua au monas- « tère d'Eboriac, dont elle était abbesse, et qui depuis porta « son nom (Faremoutier), quantité de biens dont elle avait « hérité de son père, postérieurement au temps où elle était « devenue abbesse... Mabillon dit que c'était l'usage, non- « seulement en France, mais dans les autres États, et que cet « usage n'était point condamné par les plus saints personnages, « surtout lorsqu'il s'agissait de legs pieux. Mais on donnait « aussi à des parents, comme on le voit par le testament de « sainte Fare, où elle fait des legs à ses frères et à sa sœur. « Le droit de faire des donations n'appartenait pas seulement

Digitized by Google

« aux abbés et aux abbesses, il appartenait aussi aux moines « et aux religieuses, comme le prouvent plusieurs exemples « qu'on trouvera dans ce volume. C'était l'usage au septième « siècle, dit Mabillon, que les moines et les religieuses héri- « tassent de leurs parents. Il le prouve par l'exemple de « sainte Aldegonde, qui donna aux pauvres et consacra à la « décoration des églises les biens qu'elle avait hérités de sa « famille...

« Il était donc permis aux religieuses de posséder en pro- « pre des biens, et de les employer du moins en usages pieux. « Mais il faut avouer que ce n'était pas le droit commun. « Cette permission avait d'abord été accordée par des motifs « particuliers, comme le remarque Mabillon, mais par la suite « il devint d'usage parmi les moines et les religieuses, même « parmi ceux qui étaient célèbres par leur piété, de faire des « dons et des legs pieux. »

Quidquid autem sit de quinto illo argumento, ex ejusmodi factis historicis deprompto, certum est minime ipsum requiri ad stabiliendum præsentis capitis assertum, videlicet stare posse status religiosi substantiam absque votorum solemnitate. Id siquidem abunde evincunt quatuor aliæ deductæ probationes.

Objicies 1°. — Non fiunt religiosi nisi per professionem; et professio non fit nisi per vota solemnia. Id evincunt caput *Porrectum* (13, *de Regularibus*), et caput *Religioso* (21, *de Sentent. excomm.*, in 6). — Respondeo : « Textibus citatis ad « constituendum religiosum requiritur professio, quia eo tem- « pore quo editi sunt, Ecclesia non acceptavit religionem, « nisi cum votis solemnibus. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Regularibus*, n. 16.)

Objicies 2°. — Ut fiat quis religiosus, opus est ut seipsum Deo et religioni tradat per vota religiosa : atqui per vota simplicia non fit hujusmodi traditio sui, sed tantum promissio; ergo. — Respondeo : « Etiam per vota simplicia potest « quis se perpetuo et irrevocabiliter tradere religioni; et tra-

Digitized by Google

« ditio sic facta a superiore religioso acceptari ; ita ut vovens, « vi talis traditionis teneatur per media in tali religione præ- « scripta ad perfectionem christianam tendere : hoc autem, « et non plus, ad statum religiosum, ex natura institutionis « suæ requiritur. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Regularibus*, n. 15.)

Objicies 3°. — Si sufficerent vota simplicia, religiosus dici posset etiam ille, qui emisso voto paupertatis et castitatis, obedientiam voveret alicui Episcopo, vel confessario ; quod falsum est. — Respondeo : « Subjectio, quæ per votum obedien- « tiæ fit Episcopo, vel confessario, non acceptatur ab Eccle- « sia, nec approbatur ; sicut tamen acceptari et approbari « debet subjectio per votum obedientiæ, qua quis religiosus « efficitur. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Regularibus*, n. 16.)

Objicies 4°. — Saltem vota solemnia constituunt statum longe perfectiorem et firmiorem, quam simplicia : per illa enim vovens magis perpetuo et stabiliter se tradit religioni, eique adstringitur arctius ; ergo vota simplicia non sufficiunt ad statum religiosum perfectum et completum. — Respondeo ; « Major firmitas religiosi status, quæ ex solemnitate vo- « torum provenit, religioso statui essentialis non est, cum « sine illa perstiterit, et in societate Jesu adhuc persistat ra- « tio vera religionis. » (Schmalzgrueber, in titulum *de Regularibus*, n. 16.)

Digitized by Google

SECTIO IV.

De status religiosi origine, seu quisnam ejus institutor et quænam ipsius exordia fuerint.

Patefacta religiosi status natura, ad investigandam ejus originem convertimur. Quam quidem investigationem duobus capitibus absolvemus: 1° nempe exquiremus quis status religiosi auctor seu institutor fuerit: 2° quandonam et quibus formis status ille existere cœperit.

CAPUT I.

DE STATUS RELIGIOSI AUCTORE SEU INSTITUTORE.

Hic expendenda venit magni momenti quæstio: utrum nempe status religiosus juris divini sit, id est, a Christo ipso institutus; an vero juris humani, id est, Ecclesiæ institutionibus adscribendus. Esse illum institutionis mere ecclesiasticæ sustinuerunt nonnulli. Sed deserenda omnino est opinio hæc, utpote periculosa et sanæ doctrinæ haud consona. Tenendum scilicet fuisse revera a Christo ipso institutum religiosum statum. *Hæc est* (ut verbis Suaresii utamur) *sententia omnium catholicorum recte sentientium* (*de Religione*, tractatu 7, l. 3, c. 2, n. 4). Quod ut pateat, sequentem instituimus propositionum seriem.

PROPOSITIO I^a^. — *Formæ accidentales quibuscum status religiosus existere potest, non debent vocari status religiosus, nec*

Digitized by Google

cum ipsomet statu religioso confundi. — Nam id sine quo res esse potest non constituit rem ipsam, seu non est ejus essentia, nec proinde dici debet res ipsa. Statura, verbi gratia, alicujus hominis non potest dici esse hominem ipsum; et idem est de ejus doctrina, sanctitate aliisque proprietatibus accidentalibus. Et ridiculum foret hominem cum ejusmodi accidentalibus confundere. Pariter status religiosus innumeras formas induere potest. Possunt scilicet homines qui triplex consilium evangelicum voverunt, seseque Deo totaliter manciparunt, ac proinde vere religiosi sunt, variis modis vota sua explere : alii nempe vitæ contemplativæ duntaxat vacando, alii charitatis operibus : alii mitiorem, alii rigidiorem, quoad somnum, cibum, laborem manualem, sibi imponendo normam. Et innumeræ esse possunt status religiosi accidentales ejusmodi varietates. Quæ profecto formæ accidentales, absone, cum ipsomet religioso statu confunderentur. Nec objiciatur non posse dari statum religiosum in *abstracto*, sed duntaxat *in concreto*, seu cum aliqua determinata forma. Hoc quidem verum est; sicut verum est non posse existere hominem sine aliqua statura determinata. Sed quemadmodum statura hæc absone diceretur esse hominem, ita quælibet forma accidentalis status religiosi perperam cum statu ipso religioso confunderetur.

Propositio II^a^, — *Status religiosus non est idem ac ordo religiosus.* — Nam ordines religiosi, seu (ut vocari solent) *religiones* variæ, nihil aliud sunt quam variæ status religiosi formæ seu determinationes accidentales. Substantia nempe status religiosi non alia est in monasteriis Benedictinorum, quam in Franciscanorum conventibus. Sed Benedictini statum religiosum degunt cum tali vivendi norma seu regula; Franciscani autem cum alia : et ex hac diversitate oritur ordinum religiosorum varietas. Sed, ex præcedenti propositione, accidentales illæ status religiosi formæ ipsummet statum religiosum non constituunt, nec cum illo sunt confundendæ; ergo nec ordo religiosus idem est ac status religiosus. Unde perperam hæc

Digitized by Google

duo a nonnullis auctoribus confunduntur, et pro synonymis habentur.

PROPOSITIO III^a^.—*Verus institutor religiosi status non ille est qui accidentalem hujus status formam induxit; sed ille qui ipsius-met status, id est, substantiæ ejus auctor fuit.* — Nam alicujus rei institutor non dicitur nisi ille, qui rem ipsam quoad substantiam instituit. Si enim induxit duntaxat novam aliquam ejusdem rei formam, nequaquam rei institutor nuncupatur. Si hodie, verbi gratia, Galliarum imperator decreto præciperet erigi hospitia, quo sese opifices, expleto sexagesimo ætatis anno, recipere possent, hujus institutionis auctor diceretur, etiamsi provinciarum præfectis liberum relinqueret peculiarem modum et formam ejusmodi hospitiorum determinare. Præfectis autem provinciarum absone tribueretur ea institutio, ex eo quod certas quasdam leges seu regulas ad determinandum dictorum hospitiorum regimen edixissent.

PROPOSITIO IV^a^. — *Potuit Christus statum religiosum instituere quoad substantiam duntaxat, id est, liberum relinquendo statum hunc cum hac vel illa peculiari forma seu regula ad praxim deducere.* — Potuit nempe Christus hominibus suadere triplicis evangelici consilii observantiam, simulque ut voto sese ad id adstringerent, et se Dei obsequio integre manciparent. Varios autem modos, quibus id peragi potest, potuit vel religiosis ipsis, vel Ecclesiæ determinandos relinquere. In hoc enim nulla est repugnantia, ut patet. Porro in hac hypothesi dicendum foret, institutum a Christo fuisse statum religiosum quoad substantiam, non quoad accidentales formas.

PROPOSTIO V^a^. — *Certum omnino est statum religiosum a Christo Domino fuisse institutum.* — Nam institutus a Christo fuit, si Christus eum instituit quoad substantiam; siquidem ex propositione tertia, ille verus institutor est, qui rem quoad substantiam instituit. Atqui revera Christus statum religiosum instituit quoad substantiam. De quo sic Suaresius (*de Religione*, tractatu 7, l. 3, c. 2, n. 3) : « Pro explicatione advertendum « est aliud esse loqui de statu religioso puro ac nudo, quoad ea

Digitized by Google

« quæ illi substantialia sunt, aliud vero esse loqui de illo ut « determinato ad certam regulam seu certum vivendi mo- « dum, vel, quod perinde est, ut talibus circumstantiis vesti- « tum. Dico ergo primo : status religiosus secundum se et « quoad substantiam suam ab ipso Christo Domino immediate « traditus et institutus fuit : atque ita dici potest esse de jure « divino, non præcipiente, sed consulente. Hæc est sententia « omnium catholicorum recte sentientium. » Citat ibi Suarc- sium, tanquam huic doctrinæ adhærentes, S. Thomam, Wal- densem, Clictoveum, Sotum, de Castro, Navarrum, Alvarum Pelagium, Catharinum, Turrianum, Bellarminum, Platum, Valentiam, Henriquezium, Pighium, Salmeronem, et Vas- quesium. Tum sic pergit : « Eadem veritas sumitur ex « antiquis Patribus, qui communiter docent Christianorum « vitam et statum in duos ordines Christum distribuisse : « unum profitentium communem vitam mandatorum, ut « sunt conjugati ; alium qui profitentur altiorem et angeli- « cam vitam, id est, religiosam. » (Loco cit., n. 4.) Atque id confirmat laudatus auctor ex sanctis Athanasio, Basilio, Chry- sostomo, Hieronymo, Augustino, necnon ex Eusebio et Ori- gene. Postea thesim probat ex sacra Scriptura : « Fundatur « præcipue hæc veritas, inquit, in Evangelio ; in quo Christus « homines ad tria illa consilia paupertatis, castitatis et obe- « dientiæ exhortatur, et ad vota perpetua de illis facienda... « Atvero substantia status religiosi in his tribus votis consistit : « ergo hic status ab ipso Christo traditus est. » (Ibid, n. 5.)

Et numero sequenti rem enucleat in hunc modum : « Dico « secundo, Christum Dominum instituisse religiosum statum « quantum ad omnia quæ sunt de substantia talis status, « etiamsi non instituerit particularem determinationem ejus « ad talem regulam vel circumstantias. Illud vero sufficit, ut « dicatur talem statum instituisse. Hæc ultima pars per se « nota est; quia res dicitur simpliciter talis ratione suæ sub- « stantiæ et essentiæ ; et ideo qui rei substantiam producit, « absolute illam producit, etiamsi non conferat accidentalia.

Digitized by Google

« Sic etiam dicitur Christus instituisse sacramenta, quia docuit « ea quæ sunt de eorum substantia, etsi accidentalia Eccle- « siæ commiserit, »

Probari etiam potest divina status religiosi institutio ex *nota sanctitatis*, Ecclesiæ catholicæ propria. Hanc enim notam ita intelligunt theologi, ut debeat sanctitas in Ecclesia exterius patefieri, exercitio omnium virtutum, in summo gradu, ita ut etiam complectatur consilia evangelica (Perrone, *Prælect. theol.*, tom. 8, pag. 94 et 135, edit. Lovanii). Sed externa professio consiliorum evangelicorum est ipsemet status religiosus; ergo status religiosus pertinet ad sanctitatem qua splendescere semper debet Ecclesia. Ergo per ipsammet Ecclesiæ institutionem, status religiosus fuit a Christo Domino institutus.

Præterea consiliorum evangelicorum publica professio fuit procul dubio a Christo Domino inducta; si quidem Christus expresse in Evangelio ad ejusmodi consiliorum observantiam hortatur. Sed status religiosus in hac ipsa publica professione consistit. Si enim professio hæc esset quid a statu religioso diversum et ab eo independens, abolitio religiosi status publicam consiliorum evangelicorum professionem non læderet : atqui tamen contrarium asserit Pius VI, in brevi *Quod aliquantum* (collect. brevium, tomo 1, pag. 91 et 92, edit Belg. 1800), his verbis : *Regularium abolitio, a conventu nationali decreta, lædit statum publicæ professionis consiliorum evangelicorum*. Ergo et status religiosus institutioni divinæ accensendus est.

Objicies. — Constat nullos exstitisse religiosos duobus saltem prioribus Ecclesiæ sæculis; ergo status religiosus non fuit a Christo institutus. — Respondeo : nego antecedens. Id enim nullatenus constare, et contrarium ex monumentis historicis esse potius admittendum probamus sequenti capite.

PROPOSITIO VI^a^. — *Statum religiosum esse institutionis ecclesiasticæ perperam concluderetur ex eo quod ad substantiam hujusce status necessaria sit Ecclesiæ approbatio.* — Nam 1° an revera,

Digitized by Google

secluso jure positivo, requiratur Ecclesiæ approbatio ad substantiam religiosi status, controvertitur, prout supra vidimus; in qua controversia negativæ sententiæ adhæsimus. 2° Sed esto dictam approbationem esse de status religiosi essentia : nequaquam legitime inferri potest esse statum religiosum institutionis mere ecclesiasticæ. Nam qui necessariam Ecclesiæ approbationem sustinent, hanc solam urgent rationem; non posse statum religiosum existere in *abstracto,* sed duntaxat cum hac vel illa determinata forma : formam autem illam accidentalem approbandam esse ab Ecclesia, ut tuta sit, ac proinde ut status religiosus cum illa forma sit vere status perfectionis, et non potius imperfectionis. Ergo in hypothesi etiam necessariæ approbationis Ecclesiæ ad constituendam status religiosi substantiam, approbatio hæc non requiritur nisi ob *accidentalem formam.* Sed ex eo quod ab Ecclesia approbari debeat forma accidentalis status religiosi, perperam concluderetur statum ipsum religiosum ab Ecclesia fuisse institutum : nam minime repugnat, et e contra possibile concipitur, statum religiosum fuisse a Christo Domino institutum quoad substantiam; ita ut tamen deberent variæ formæ accidentales, seu variæ regulæ, ab Ecclesia approbari. Ergo stare simul possunt hæc duo : institutum a Christo fuisse statum religiosum, et tamen necessariam esse Ecclesiæ approbationem. Ergo ex necessitate dictæ approbationis perperam concluditur a Christo institutum non fuisse statum religiosum.

Hinc merito moderniores Bollandistæ (in opere, *Examen libri Mariani Verhoeven,* pag. 13) : « Animadvertimus nulli « theologo, ne inter eos quidem qui approbationem Ecclesiæ « semper necessariam fuisse arbitrati sunt, in mentem venisse, « ut ex hac necessitate argueret statum religiosum non esse « divinæ, sed humanæ originis : quippe omnes cum Bellar- « mino Suaresioque tenent essentiam religionum fundamen- « tum habere in evangelio, approbationem vero ecclesiasticam « tantum cadere posse in modos, quibus accidentales vitæ « religiosæ partes ad ipsius substantiam (quæ in tribus evan-

Digitized by Google

« gelicis consiliis consistit) adjunguntur. Qui quidem modi, « vel ad undecimum usque sæculum et ultra fuere adeo varii « atque mutabiles, ut vix aut ne vix ullum inter eos repereris « qui ordinem religiosum proprie dictum constituisse, nedum « toti Ecclesiæ propositus fuisse dici queat; etsi status reli- « giosus, non in *abstracto*, sed in *concreto* utique, tota interim « in Ecclesia vigeret. »

PROPOSITIO VII^a. — *Opinio quæ tenet religiosum statum esse duntaxat institutionis ecclesiasticæ, nec periculo, nec temeritate vacare videtur.* — Et 1° facile patet ejusmodi opinionis periculum. Ea enim semel admissa, latissime aperitur janua iis novatoribus, qui sub Josepho II in Germania, inter cætera contra Ecclesiam molimina, evertendis præcipue religiosis ordinibus adlaborarunt. Etenim si status religiosus est institutio mere ecclesiastica, recte contendent ejusmodi Ecclesiæ hostes posse statum hunc ab Ecclesia abrogari; atque adeo, ob nescio quas politicas rationes, reapse esse abrogandum.

2° Sed neque temeritate caret dicta opinio. Etenim, ut propositione 5^a vidimus, concordant doctores catholici in tradendo, tanquam omnino certum et tenendum, divinam fuisse religiosi status institutionem. Atque ea etiam fuit sanctorum Patrum communis doctrina. Quam pariter omnino certam supponit Pius VI, dum in brevi dogmatico *Quod aliquantum*, de *Regularium abolitione* sic asserit : *Lædit statum publicæ professionis consiliorum evangelicorum; lædit vivendi rationem in Ecclesia commendatam, tanquam Apostolicæ doctrinæ consentaneam.* Porro contra ejusmodi auctoritates sentire temerarium est; nec alia de causa temeraria est aliqua opinio, quam quod tales contra se auctoritates habeat.

CAPUT. II.

DE STATUS RELIGIOSI EXORDIIS SEU QUANDO ET QUIBUS FORMIS RELIGIOSI EXISTERE COEPERINT.

Mirum videri potest quæstionem institui de tempore exor-

Digitized by Google

dientis religiosi status, postquam probatum est statum hunc a Christo ipso fuisse institutum. Vix intelligitur simul stare posse duo hæc : quod nempe a Christo status religiosus fuerit institutus, nec tamen statim religiosi existere cœperint. Nihilominus factum institutionis religiosi status percipitur et est revera distinctum a facto existentiæ religiosorum. Cum scilicet statum illum instituerit Christus, non tanquam obligatorium, sed tanquam libere ineundum, ex solo institutionis facto non sequitur extemplo repertos fuisse homines, qui statum illum amplecterentur. Unde hypothesis, quod post aliquot annos, aut etiam post unum aut alterum duntaxat sæculum, cœperint religiosi existere, non immediate percipitur falsa ex hoc solo, quod ipse Christus Dominus religiosi status institutor fuerit ; sed falsitas hæc aliunde repetenda est. Vicissim ex eo solo quod historice probaretur, nullos ante sæculum tertium exstitisse religiosos, non immediate sequeretur statum religiosum non fuisse a Christo institutum. Hinc merito ponitur utraque hæc quæstio, *an status religiosus fuerit a Christo ipso institutus,* et *quo tempore religiosi existere cœperint*. De priori jam diximus; occurritque nunc expendenda posterior. Ad hanc autem enucleandam triplicem instituimus paragraphum : 1° nonnullas præmittimus regulas ad dignoscendum utrum duobus aut tribus prioribus Ecclesiæ sæculis veri exstiterint religiosi; 2° variis argumentis probamus statim a tempore Apostolorum veros et proprie dictos religiosos exstitisse; 3° nonnullas, quæ objici possent, præcipuas difficultates diluimus.

§ I.

Præmittuntur regulæ ad dignoscendum utrum prioribus Ecclesiæ temporibus exstiterint necne veri religiosi.

REGULA I^a. — *Ex eo quod prioribus Ecclesiæ sæculis non reperiatur usus expressæ professionis religiosæ, per triplex votum paupertatis castitatis et obedientiæ, minime sequitur eo tempore*

Digitized by Google

veros religiosos non exstitisse. — Distingui solet religiosi status professio in *expressam* et *tacitam*. Expressa dicitur quando religionem profitens, id verbis enuntiat; pronuntiando scilicet formulam triplicis voti paupertatis, castitatis et obedientiæ, et permanentiæ in aliquo religioso instituto. Tacita autem professio vocatur, quando profitens, hanc eamdem suam voluntatem, etsi verbis non exprimat, aliquo tamen externo signo, quoad hoc adhiberi solito, sufficienter patefacit; verbi gratia, religiosum habitum assumendo, vel capillorum abrasioni sese subjiciendo, vel formulam quidem pronuntiando, sed quæ tria vota non exprimat. Porro quod sufficere possit professio *tacita*, ut quis verus religiosus evadat, est unanimis theologorum et canonistarum doctrina. Invicte autem probatur ex eo quod frequenter usurpata fuerit hæc profitendi forma iis etiam recentioribus sæculis, in quibus veros exstitisse religiosos fatentur omnes. Quam probationem cum eximie concinnaverint moderniores Bollandiani (*Examen libri Mariani Verhoeven*, pag. 16 et seq.), eam nos hic, pro rei gravitate, transcribendam duximus.

[Hoc loco expedit, inquiunt, aliquid de variis professionis faciendæ modis annotare. Testatur S. Basilius in secunda epistola canonica ad Amphilochium, postquam de virginum professione locutus fuerat (1) : « Virorum autem professio-« nes non novimus, præterquam si qui seipsos monazontium « ordini adjudicarint; qui tacite videntur cœlibatum admit-« tere : sed in illis quoque illud existimo præcedere opor-« tere, ut ipsi interrogentur, et evidens eorum accipiatur « professio. » En divisionem professionis in *expressam* et *tacitam*, ab omnibus theologis atque etiam in Jure canonico (2) admissam. Tacita quidem professio nunc minus usitata est;

(1) Epist. 199, alias 2, ad Amphiloch., de canon., tom. 3 Operum, pag. 292, edit. Maur.

(2) C. *Statuimus*, de Regular. (lib. 3, tit. 31); C. *Constitutionem*, de Regular., in Sexto (lib. 3, tit. 14).

Digitized by Google

attamen duobus certe in casibus obtinere potest : 1° si quis, expleto anno novitiatus et decimo sexto ætatis, habitum professorum, a novitiorum habitu distinctum, assumat; 2° si ultra annum integrum probationis, qui annus debet inchoari post decimum sextum ætatis expletum, habitum religionis indistinctum gestet patenter (1). Verum olim, ac præcipue quidem in remota antiquitate, multo latius is professionis modus patebat : ita ut qui externo aliquo signo sufficienter manifestaret se talem esse velle quales tunc erant religiosi, statim ex generali omnium sensu et consensu totam vitæ religiosæ obligationem in se suscipere censeretur, etiamsi voce nullam faceret promissionem.

Hujusmodi signum indubie erat vestis religiosæ assumptio : unde nescio an provenerit usus loquendi adhuc hodiedum apud Græcos servatus, dum ritus bifarios professionis monasticæ fere non aliter vocare solent, quam *Officium parvi habitus*, et *Officium magni et angelici habitus* (2). Virgines Christianas primis Ecclesiæ temporibus, sponte vestem fuscam induendo, sese Christo sponso devovisse, et hanc fuisse earum irrevocabilem professionem, etsi solemni ritu velatæ non fuissent, demonstrat Thomassinus (3); afferlque inter alia S. Hieronymi testimonium, de Asella narrantis (4) : « Tunicam fusciorem, quam a matre impetrare non poterat, « induta, pio negotiationis auspicio, se repente Domino con- « secravit, ut intelligeret universa cognatio non posse aliud « ei extorqueri, quæ jam sæculum damnasset in vestibus. » Et sæculo septimo ineunte, Fridiburga, Sigiberto regi desponsata, jamjamque ei matrimonio copulanda, secedendo intra quamdam ecclesiam, ibique vestes mutando, ac cornu altaris apprehendendo, repente, nemine eam admittente, sanctimonialem se ipsa professa est; atque hoc pacto, sacerdotum,

(1) Cfr. Suarez, tract. 7, lib. 6, cap. 20.

(2) Goar, Rituale Græc., p. 473 et 499, edit. Paris., 1647.

(3) De vet. et nov. Eccl. discipl., part. 1, lib. 3, cap. 42, num. 9 et 10.

(4) Epist. 24, alias 15, tom. 1 Operum, edit. Vallars., col. 129.

Digitized by Google

principum, ipsiusque Sigiberti opinione, sponsalia dissolvit : prout narrat anonymus sæculi octavi scriptor vitæ S. Galli (1). Inter viros quoque Deo devotos, æque vetustum esse talem professionis ritum, liquebit ex iis quæ postea commodiori loco commemorabimus. Eumdem autem sat diu perdurasse, indigitant illa B. Lanfranci Cantuariensis Archiepiscopi verba (2) : « Canones decretaque SS. Patrum eos, qui vestem « religionis aliquot diebus in conspectu hominum deferunt, « ad sæculum quocunque modo postea redire non sinunt. » E quibus decretis, collectis tum a S. Petro Damiani (3), tum a Luca Dacherio (4) aliisque, unum proferemus canonem 6 Concilii Toletani sexti (5) : « Quisquis virorum vel mulierum « habitum semel induerit spontanee religiosum, aut si vir « deditus Ecclesiæ choro, vel femina fuerit ac fuit delegata « puellarum monasterio, in utroque sexu prævaricator ad « propositum invitus reverti cogatur : ut vir detondeatur, et « puella monasterio reintegretur, etc. » Quæ quidem ita aliquandiu intellecta fuere, ut qui in extremis, etiam non sentientes, nec sui compotes, neque proinde eam petentes, veste pœnitentium aut monachorum induti fuissent, si deinde convalescerent, ad pœnitentiam atque adeo ad vitæ religiosæ officia perpetuo tenerentur ; potissimum in Hispania, ubi ea opinio magnum robur accepit ab exemplo Wambæ Visigothorum regis, et canone 2 concilii Toletani duodecimi ; quo canone, licet sub unius anni excommunicatione interminetur, ne quisquam sacerdos infirmis, non aliquo saltem nutu aut indicio id petentibus, pœnitentiæ ordinem temere imponat (quod sane eo casu Ecclesiæ nomine facere non poterat), nihilominus sancitur ejusmodi pœnitentiam ratam habendam

(1) Apud Pertz, Monum. Germ. hist., tom. 2, pag. 12 et 13 ; et in Actis SS., tom. 7 Octobris, pag. 891.

(2) Epist. 26 inter B. Lanfranci Opera, edit. Dacherii, pag. 314.

(3) Opusc. 16, tom. 3 Operum, edit. Cajetani, an. 1743, pag. 183 et seqq.

(4) Not. *b* in Epist. 32 B. Lanfranci, p. 362.

(5) Labbe, Concil., tom. 5, col. 1744.

Digitized by Google

esse (1). Magis vero universaliter et majori utique jure ea lex obtinebat de iis, qui in mortis discrimine constituti, voluntarie vestem religiosam induerant aut petiverant, ac *monachi ad succurrendum* vulgo nuncupabantur. Pluribus hanc rem exemplis illustrat Mabillonius, tam in *Annalibus* (2) quam in *Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti* (3). Tam parum vero Ecclesiæ ministri opera ad id requirebatur, ut asservarent homines secreto apud se vestem monasticam, quam, si subito mors immineret, sibimet ipsi induerent; quocirca S. Anselmus scribens ad piissimam Mathildem comitissam, sic ait (4) : « Sancti desiderii vestri in corde meo semper « servo memoriam, quo ad contemptum mundi cor vestrum « anhelat; sed illud sancta et necessaria, quam erga ma- « trem Ecclesiam habetis, pie dilectio retractat... Hoc ta- « men præsumo consulere, ut, si certum mortis periculum « interim, quod Deus avertat, senseritis imminere, prius « vos Deo omnino reddatis quam de hac vita exeatis, et ad « hoc velum semper paratum secrete penes vos habeatis. » Audiatur etiam idem sanctus virginem nobilem increpans, quæ, semel sponte assumpto habitu monialium, matrimonium attentarat (5) : « Impossibile est te ullo modo posse « salvari, nisi ad habitum et propositum abjectum redie- « ris. Quamvis enim ab Episcopo sacrata non fueris, nec « coram ipso professionem legeris, hoc solum tamen est ma- « nifesta, et quæ negari non potest, professio, quia publice et « secrete habitum sancti propositi portasti; per quod omnibus « te videntibus Deo dicatam te esse, non minus quam pro- « fessionem legendo, affirmasti. Nam antequam fieret ista « nunc usitata monachici propositi professio et sacratio, multa

(1) Labbe, tom. 6, col. 1226 et 1227.

(2) Tom. 1, l. 4, n. 51, p. 100, edit. Luc. 1739.

(3) Sæc. 1, Præf. n. 105; Sæc. 3, part. 1, Præf. num. 21; Sæc. 4, part. 2, Præf. num. 191 et seqq.

(4) Lib. 4, epist. 37, inter Op. S. Anselmi, pag 436, edit. Paris. 1721.

(5) Lib. 3, epist. 157, p. 423.

Digitized by Google

« millia utriusque sexus hominum, *solo habitu* se ipsius esse « propositi professione, celsitudinem et coronam consecuta « sunt. Et qui tunc habitum sine ipsa professione et sacratione « assumptum rejiciebant, *apostatæ* judicabantur. Inexcusabilis « ergo es, si deseris sanctum propositum, quod diu habitu « et conversatione professa es; quamvis professionem nunc « usitatam non legeris et ab Episcopo consecrata non fueris. »

Merito itaque S. Petrus Damiani dicere potuit : « Tanta « veneratione, tanta custodiæ censura monachicum habitum « sancti Patres dignum esse censuerunt, ut pene quocunque « modo illum qui semel indueret, relinquendi postmodum « licentiam non haberet (1). » « Ecce, juxta Gelasiani De- « creti sententiam, quacunque occasione, etiamsi nulla inter- « veniat mora probationis, quisquis religioso habitu semel « induitur, funditus sibi redeundi ad sæculum licentia dene- « gatur (2). » « Ægrotos pariter et incolumes eadem regula « comprehendit, quæ non solum voluntarie, sed etiam vio- « lenter conversos, ultro etiam deceptoris machinationibus « persuasos, in eodem proposito perseverare decernit (3). » Imo ab hac regula ne excipiebantur quidem ii qui in minori ætate, vel *tonsuram* vel *vestem religionis* ab utroque aut alte- rutro parente accepissent, vel palam sub parentum oculis tulissent (4) : censebantur quippe parentes pro his liberis tacitam professionem fecisse, æque ac ii qui pueros suos monasteriis offerebant, nunquam exinde ad sæculum reversu- ros : de quibus inter alios auctores consuli possunt Sua- rez (5), Hæftenus (6), Martene (7) et Thomassinus (8).

(1) Opusc. 16, cap. 7, tom. 3 Operum, pag. 185.

(2) Ibid., c. 4, p. 183.

(3) Ibid., c. 6, p. 185.

(4) Ibid., c. 5, p. 183, ex Concil. Tolet. 10, can. 6. — Cfr. Labbe, Concil. t. 6, col. 463.

(5) Tract. 7, lib. 5, cap. 1, 2 et 3.

(6) Disquis. monast., lib. 4, tract. 1, pag. 351 et seqq.

(7) Comm. in Regul. S. Benéd., cap. 59, pag. 781 et seqq.

(8) Op. cit., part. 1, lib. 3, cap. 56 et seqq.

Digitized by Google

Quod de *tonsuræ* a pueris gestatæ effectu modo dictum est, idem ex testimoniis a S. Petro Damiani laudatis ad adultos quoque debet extendi : nempe per plura sæcula religionis tonsuram idem operatam fuisse ac religionis vestem, ut quicunque ex sæcularibus accipientes pœnitentiam *se totondissent*, et rursus prævaricantes laici facti essent, comprehensi ab Episcopo suo, ad pœnitentiam revocarentur; sique admoniti ad eam redire abnuerent, vere ut *apostatæ coram Ecclesia* anathematis sententia condemnarentur (1) : quo accedit quod nonnusquam quibuscunque, sive in canonico sive in monachico ordine, etiam sine eorum voluntate, tonsuratis regressus ad sæculum fuerit severe prohibitus (2). Ut anteriora hujus rei exempla prætermittamus, Consuetudinarium Beccense, circa sæculi XIV initium, ut videtur, exaratum, indicat etiam tum infirmos, dum præ nimia debilitate monastico habitu indui haud possent, *sola tonsura*, nec ullo ab iis prolato verbo, inter monachos fuisse cooptatos (3).

De professionibus quoque, quæ ore aut etiam scripto fiebant, pauca annotanda nobis sunt, ut evincamus, nec in his necessariam fuisse explicitam trium consiliorum evangelicorum designationem. Supra didicimus S. Basilio visum fuisse opportunum ut, adhibita interrogatione, evidens acciperetur virorum professio. Hunc ille morem reapse suis Regulis instituit, jubens propositi testes adhiberi præfectos Ecclesiæ, « ut « per ipsos et corporis sanctimonia velut res quædam sacra « Deo dedicetur, et firma sit hæc actio per testimonium (4). » Agit autem inibi de solo continentiæ proposito palam enuntiando; dum tamen manifestissime constat ipsius monachos non minus ad paupertatem et obedientiam colendam vi propositi sui fuisse obstrictos. Dehinc, sæculo minimum quinto exeunte, qualis fuerit in Orientali Ecclesia professionis mona-

(1) S. Petrus Damiani, Opusc. cit., cap. 5.

(2) Id. ibid.

(3) Martene, de Antiq. Eccl. rit., tom. 3, pag. 64, edit. Paris., 1702.

(4) Resp. 15 in Regulis fusius tractatis, tom. 2 Oper., pag. 357.

Digitized by Google

sticæ ritus, docemur ab auctore libri de Hierarchia Ecclesiastica, ita loquente (1) : « Sacerdos quidem stat ante altare, « monasticam sancte recitans invocationem. Is autem qui consecratur... adstat sacerdoti, supra illum mysticam invocationem prosequenti. Qua finita, sacerdos ad eum accedens « rogat ipsum primum an omnibus rebus dividuis renuntiet, « non solum viventibus, verum etiam imaginariis. Deinde « exponit illi vitam perfectissimam, contestans illum debere « mediam vivendi rationem superare. Quæ ubi omnia is qui « initiatur continenter professus est, sacerdos eum signo « crucis signatum tondet, tres Personas divinæ beatitudinis « invocans; omnique veste detracta, eum alia induit; et cum « cæteris viris sanctis adstantibus eum salutans, participem « faciet divinorum mysteriorum. » Hodierno tandem Græcorum ritu satis aperta continetur, in interrogationibus et hortationibus a sacerdote proponendis, non solum trium consiliorum evangelicorum, sed omnium fere ad vitam perfectam spectantium expressio; quæ omnia monachus spondet se cum Dei gratia ad extremum usque spiritum fideliter observaturum (2). Quare huic rei non oportet inhærere; sed sufficit ut observemus gradationem qua professio apud Græcos monachos, quæ S. Basilii tempore nonnisi partim expressa esse cœperat, demum expressissima, si ita loqui fas sit, evaserit.

Non absimilis apud Latinos gradatio. S. Benedictus statuit ut suscipiendus in oratorio coram omnibus promitteret de *stabilitate sua* et *conversione morum suorum*, et *obedientia* coram Deo et sanctis ejus, et de hac *promissione* faceret *petitionem*, ad nomen sanctorum quorum reliquiæ ibi adessent, et Abbatis præsentis; eam vero petitionem, aut propria manu, aut, si litteras nesciret, ab alio scriptam, et signo a se firmatam, altari imponeret; ac mox hæc verba proferret :

(1) De eccl. hier., cap. 6, tom. 1 Operum S. Dionysii Areop., p. 387, edit. Corderii, Ant. 1634.

(2) Cfr. Goar, Rituale Græc., pag. 475, 476, 505, 506 et 507.

Digitized by Google

Suscipe me, Domine, secundum eloquium tuum, et vivam: et non confundas me ab expectatione mea; eaque tota congregatio tertio repeteret, addito *Gloria Patri* (1). Disceptatum aliquando fuit quid esset distincta hæc a promissione petitio; at nunc eliquatum videtur eam fuisse scriptionem, qua, enarratis iis quæ novitius egerat, modoque ac statu quo habitus fuerat a suo in cœnobium introitu, propositum monasticum, jam in promissione prolatum, iterum repetebatur. « Promissio, ait Mabillonius (2), monachum Deo, petitio « veluti contractus et pactum (sic appellat Fructuosus) etiam « hominibus ac religioni obnoxium reddebat. » Idem scriptor (3) ac post eum Martenius (4) plures vulgarunt tam promissionis quam petitionis formulas; inter quas advertere est aliquot formulas promissionis mentionem de Abbate præsente non facientes. Nulla vero earum, præter unam Sandionysianam, castitatem et paupertatem exprimit; quamvis implicite et has contineant, testante Innocentio III (5): « Abdicatio « proprietatis, sicut et custodia castitatis, adeo est annexa « regulæ monachali, ut contra eam nec Summus Pontifex « possit licentiam indulgere. » Quæ observatio pariter valet pro aliis quibusdam Religionibus, æque castitatem paupertatemque in sua professione tacentibus (6). Ac ne huic rei diutius inhæreamus, en compendiose multa dicta ab editoribus Benedictinis Operum S. Gregorii (7): « Castitatem « atque paupertatem expressis quidem verbis non spondebant coævi Gregorio Magno monachi, nec illas ætate nostra « expresse profitetur Benedictinus ordo; sed neque Canonici « regulares, Carthusiani, Carmelitæ ac Prædicatores ex

(1) Regul. S. Bened., cap. 58.

(2) Acta SS. Ord. S. Ben., Sæc. 4, part. 1, Præf., n. 54.

(3) Ibid. Monum. 1 et 2, ad calcem tomi.

(4) Comment. in Regul. S. Bened., p. 757, 758, 763; de antiq. Eccl. rit., t. 3, p. 50 et seqq.

(5) C. *Cum ad monasterium*, de statu monach. (lib. 3, tit. 35).

(6) Cfr. Hæftenum, Op. cit., lib. 4, tract. 6, disq. 6, p. 423.

(7) Not. *b* ad lib. 9, ep. 114, tom. 2, col. 1021.

Digitized by Google

« prima institutione. Expressam utriusque mentionem pri-
« mus fieri voluit S. Franciscus : utraque tamen monasticæ
« conditionis pars semper fuit, iisdemque legibus firmatus
« erat Gregorii Magni ævo monachismus, quibus nunc stat.
« De conversione morum et obedientia nullum dubium. De
« reliquis Gregorium ipsum consule. De paupertate, lib. 9
« ep. 7, lib. 10 ep. 1. De perpetua castitate, lib. 5, ep. 24.
« De stabilitate, lib. 1, ep. 34, lib. 2, ep. 28. De paupertate,
« castitate et stabilitate, lib. 1, ep. 42. »

Verumtamen post præscriptas a S. Benedicto aliisque religiosæ professionis cæremonias, pristinam vim suam adeo non amisit tacita professio, ut potius (quemadmodum supra videbamus) nimium quandoque exaggerata fuisse videatur. Sane perlegitimus esse perrexit professionis modus, cum quis in apta ætate, non recusante superiore, vestem professorum in cœnobio assumebat sciens et volens, absque votorum pronuntiatione : quo quidem casu, saltem ex quo jus canonicum universale obtinuit, cœnobio aut religioni non licebat ejusmodi professum invitum dimittere; dum contra ipse, tacite professus tantum, religioso statui in genere obstrictus erat, poteratque, si vellet, ad aliud cœnobium aliamve religionem, etiam laxiorem, transire (1). Quod si altius in religiosæ vitæ antiquitate ascendimus, apparet hanc libertatem multo etiam fuisse majorem; et quidem tantam ut solitarii ad cœnobitas et vicissim, Orientales quoque ad Latinos et vicissim, transirent, ac regulæ pro nutu rectorum mutarentur, vel etiam variæ a variis regulæ in uno eodemque cœnobio observarentur. Nam ordo monasticus (ut postea latius dicemus) vel ad undecimum usque sæculum, licet regulæ essent plures, unus omnino erat, vel potius nullus; ac proprie loquendo status tantum religiosus existebat absque satis fixis et Ecclesiæ calculo probatis discrepantiis, quibus nunc diversæ Re-

(1) C. *Consulti*, C. *Ex parte*, C. *Statuimus*, de Regularibus (lib. 3, tit. 31). C. *Constitutionem*, de Regularibus in Sexto (lib. 3, tit. 14). Cfr. Suarez, tract. 7, lib. 6, cap. 21.

Digitized by Google

ligiones constitituuntur. Unde dicendum est, necesse non fuisse ut quis se *alicui speciali societati* addiceret atque actu traderet, sed suffecisse ut publico quodam indicio manifestaret se *divino obsequio* mancipatum esse : quo ipso pertinebat ad *religiosum statum*, in eoque perseverare tenebatur ; nec tamen *certo cœnobio certœve regulæ* subesse debebat, nisi in quantum sese ad hoc ipsum sponte obligasset. Atque ad hoc postremum refertur S. Benedicti sanctio de *stabilitate* a suis monachis promittenda, qua nimirum vitarentur frequentes illæ de monasterio ad monasterium transmigrationes: nec inter veteres monachorum legislatores alii reperiuntur, præter Isidorum, Aurelium (fortasse Aurelianum) et Fructuosum, qui idem ac Benedictus de stabilitate decreverint : prout apposite observavit anonymus Gallus sæculi XII, auctor tractatus de professione monachorum, a Martenio primum typis vulgati (1). Statuit insuper S. Benedictus regulam de monachis extraneis inter suos, servata debita cautela, admittendis (2) : qui, quod censerentur jampridem vovisse quæcunque ad religiosæ vitæ substantiam pertinebant, spondebant solummodo stabilitatem sub hac similive formula (3) : « Ego N. veniens de longinquis provinciis in hoc monaste-« rium, quia placuit mihi conversatio fratrum istius loci « et illis placuit mea conversatio, ideo stabilitatem meam in « hoc monasterio, per hanc scripturam manu mea scriptam, « perpetuam confirmo. »

Porro anonymus ille modo laudatus tam erudite de eo in quo versamur argumento disputat, ut opere pretium sit aliqua ex ejus tractatu excerpere. Tradit imprimis veteres monachos omnes semper morum conversionem et obedientiam, priusquam reciperentur, promisisse ; sponsionem vero de stabilitate non ab omnibus factam fuisse, sed a quibus-

(1) De antiq. Eccl. rit., tom. 3, p. 65 et seqq.

(2) Cap. 61.

(3) Mabillon, Annal. Ord. S. Ben., tom. 1, l. 8, n. 18, p. 196, edit. Luc., Martene, Comment., p. 802.

Digitized by Google

dam (1) : itaque unumquemque, qui stabilitatis voto ligatus non esset, potuisse « licentissime et absque ulla contradi- « ctione vel timore et damno animæ suæ ire quo vellet, « dummodo maneret observans propositum et habitum re- « ligionis (2). » Notat insuper professionis formulas inter ipsos Benedictinos fuisse diversissimas, etsi in omnibus hæc tria reperirentur, stabilitas, morum conversio et obedientia. « Hoc vero, subdit (3), quod postea in monachatus confirma- « tione additum est, id est, *benedictio* sancti ordinis, in nulla « regula invenitur institutum; sed qui hoc instituit, valde « necessariam rem atque dignam tanto ordini providit. » Pergit deinde : « De benedictione hac et de hac professione « multi diverse sentiunt. Quidam enim dicunt nullum esse « vel posse esse monachum sine professione; nam professione « non solum res sæculi, sed etiam seipsum ex seipso denegat « qui professionem facit, quod est proprie esse monachum : « quod nemo potest contradicere. Ex altera parte sunt qui « dicunt quod illa consecratio quam monachus accipit, licet « desit professio, ita eum ligat et facit perfectum monachum, « ut nullo modo deinceps ad sæculum redire fas ei sit, nec « habitum ullo modo mutare, nec ullo modo salvum esse « posse, si voluntate et proprio ore illud petierit vel aliquo « nutu concesserit : et hoc nemo potest aversari. Sunt vero « alii qui hoc diverse sentiunt. Nam alii dicunt : Sola professio « sufficit modo absque benedictione; alii : Sola benedictio « sufficit modo absque professione. De hac re, quantum Do- « minus donaverit, pro posse nostro dicemus. » Et continuo pluribus evolvit essentiam monasticæ vitæ in perpetua sui dedicatione ad perfectius Dei obsequium sitam esse. « At si « aliquis, ait (4), confirmare voluerit non posse esse mona- « chum nisi qui professionem fecerit, huic contra pacificis

(1) Apud Martene, loc. cit., p. 69.
(2) Ibid., p. 67.
(3) Ibid., p. 69.
(4) Ibid., p. 77 et 78.

Digitized by Google

« verbis dicemus : Quid igitur? Monachi non fuerunt sancti « Patres qui ante S. Benedictum fuerunt, et professionem « non fecerunt? Monachi non sunt qui ipsam regulam modo « non observant, sed adhuc antiqua statuta retinent, sicut « sunt Græci et Ægyptii et Armenii et multi alii, et etiam in « latinitate plurimi? Vere profitendum est quod veri et perfecti « monachi fuerunt et sunt. » Idemque confirmat per oblationem *puerorum* et professionem *monachorum ad succurrendum*; ac veniens dein ad petitionis subscriptionem, ait : « Qui « dicit non posse esse monachum nisi qui subscripserit, tale « est ac si dicat : Non potest esse quis Christianus nisi qui « chrisma in capite et inter scapulas perunctus fuerit, vel « albis indutus, vel candelam in manu non tenuerit. O quam « multi in cœlesti gloria sunt Martyres coronati, et quam « multi verissimi Christiani salvati, qui nunquam in baptismo « ista perceperunt!... Non enim, ut ad rem redeam, in sub- « scriptione est perfectio, sed in adimpletione subscriptionis. « Nam sive subscribat sive non subscribat, si implere studue- « rit, monachus pro certo erit. » Missis cæteris, adhuc sequentia ex eo proferemus, quibus aliqua Benedictinæ formulæ verba interpretatur (1) : « In id vero quod sequitur : « *Coram Deo et sanctis ejus*, nulla controversia est quæ recte « opponi possit ; quia certum est quod et Deo promittuntur « ista et coram Deo... De id vero quod in fine dicitur : *In præ-* « *sentia domni N. Abbatis*, multi errant, maximeque Abbates, « existimantes per hoc scriptum illos quos benedicunt suos « esse professos; quod falsum omnino est, et verecundiæ « dicere et æstimare. Non enim est aliud in hoc nisi testis. « Nam hoc quod dicitur : *In præsentia domni Abbatis*, non est « nisi confirmatio donationis, sicut in scriptis terrenarum dona- « tionum, in fine dicitur et subscribitur : *Teste isto, teste illo...* « Id vero quod in quibusdam cœnobiis cum Abbatis testimonio « etiam totius congregationis ponitur ita : *In præsentia istius*

(1) Apud Martene, p. 85 et 86.

Digitized by Google

« *Abbatis et totius hujus congregationis*, propter hanc contro-
« versiam de qua agimus, ut credo, institutum est, ne quis
« Abbatum crederet sibi facere professionem, cum se audit
« nominari in ipsa professione; quod cautissima provisione
« statutum est. » Addere potuisset in nonnullis asceteriis neque Abbatis neque congregationis mentionem fuisse factam (1). Postmodum nihilominus prævaluit Abbatum, si sic vocare liceat, opinio : quandoquidem secundum Decretalem Innocentii III (2) ad valorem professionis requiritur ut emissa pariter sit et accepta a Prælato regulari aliove ejus locum tenente; et in multas formulas introductum fuit ut professio vel promissio Deo fieret et Superiori (3), quod ipsum etiam cernitur in antiquo pacto monachorum regulæ S. Fructuosi adjecto (4).]

Hactenus citati Bollandistæ. Quorum erudita disceptatio abunde probat, e censu religiosorum proprie dictorum non expungendos esse priorum sæculorum homines Deo dicatos, ex eo capite, quod expressam professionem non emiserint : potuerunt siquidem religiosum statum *tacite* profiteri.

Regula IIª. — *Negandum non est prioribus Ecclesiæ temporibus veros exstitisse religiosos, ex eo quod non reperiatur eo tempore vita communis seu cœnobitica, vel communis habitus, vel communium eisdem horis exercitiorum usus.*— Nam ad communem vitam quod attinet, supra probatum est eam non esse de religiosi status essentia. Unde licet historice demonstraretur, ante sæculum tertium vel quartum exstitisse nullos ejusmodi cœnobitas, sub eodem tecto ejusdemque superioris regimine degentes, id nequaquam evinceret veris religiosis ea tempora

(1) Cfr. Martene, Comment., p. 756 et 757.

(2) C. *Ad apostolicam*, de Regularibus (lib. 3, tit. 31).

(3) Cfr. v. g. formula professionis Præmonstratensium, in Statutis Ord. Præm. Lovanii editis, dist. 1, cap. 17, num. 17, p. 56; formula professionis soc. Jesu, Constitut., part. 4, cap. 4; formula monialium Ord. S. Bened. in Belgio, apud Hæftenum, lib. 4, tract. 5, disq. 4, p. 409.

(4 Apud Hæftenum, loc. cit.

Digitized by Google

caruisse; cum privata vita religiosi status substantiam non excludat.

Quod autem communis habitus nullatenus ad essentiam status religiosi pertineat, per se patet: imo etiam hodie dantur veri religiosi (verbi gratia societatis Jesu), qui ex instituto ad nullum certum habitum tenentur. Atque a fortiori ad statum religiosum necessaria non est ulla communis exercitatio. Unde prorsus nugari mihi videntur scriptores illi, qui ut probent ante quartum sæculum haud exstitisse religiosos proprie dictos, ingenti eruditionis mole persuadere conantur, dicto sæculo duntaxat reperiri virorum ac mulierum cœtus, vitæ communis vinculo adunatorum, religiosam vitam expresse profitentium, ac sub eodem habitu, ejusdemque Prælati regimine, iisdem quotidie certis horis recurrentibus exercitiis vacantium. Esto quarto duntaxat sæculo hæc religiosi status forma usurpari cœperit: quid inde? Quæstio est num antea veri religiosi exstiterint, diversam licet vivendi formam sectantes.

Regula III[a]. — *Negandum non est prioribus Ecclesiæ temporibus veros exstitisse religiosos, ex eo quod tunc non exstiterint monachi proprie dicti, aut proprie dicti anachoretæ.* — Etenim monachorum nomine eosdem solent scriptores intelligere ac cœnobitas, seu communem sub eodem superiore, eodemque loco, vitam degentes. Atque eos contradistinguunt ab anachoretis. Hos autem proprie eos esse dicunt, qui non tantum dispersi, sed et procul ab oppidis et pagis, in desertis nempe locis morantur. Porro ad status religiosi essentiam non requiri vitam cœnobiticam, jam ostendimus. Sed neque requiritur ut religiosus vitam agat procul a locis habitatis, potius quam intra vel prope loca illa. Hanc nimirum circumstantiam esse de status religiosi substantia nunquam probabitur; nec, quod sciam, contendit ullus. Unde remanet potuisse prioribus Ecclesiæ temporibus existere veros religiosos, qui nec cœnobitæ essent, nec anachoretæ. Potuerunt siquidem, tota remanente status religiosi substantia, et vitam privatam agere, et

Digitized by Google

illam agere in urbibus, atque in propriis etiam, paternisve ædibus.

REGULA IV^a.— *Exstitisse prioribus Ecclesiæ temporibus veros religiosos satis constabit, si probetur exstitisse homines, qui triplex consilium evangelicum voventes sese Deo dicaverint, acceptante aliquo, nomine Dei, hanc eorum traditionem.* — Nam ibi agnoscendus est verus status religiosus, ubi tota exstat status religiosi essentia seu substantia. Sed tota hujus status substantia præcise ad modo exposita reducitur : nimirum ad votum de triplici consilio evangelico, et ad traditionem sui Deo factam, et ab aliquo Dei nomine acceptatam, prout superiori sectione probavimus : ergo.

REGULA V. — *Scriptores qui negant exstitisse ante quartum aut tertium sæculum monachos vel anachoretas proprie dictos, non ideo censendi sunt negare etiam religiosorum eo tempore existentiam, nisi clare id dicant.* — Nam ex regula tertia, potuerunt eo tempore veri religiosi existere, quin fuerint monachi aut anachoretæ. Unde qui sustinet priora Ecclesiæ sæcula monachis et anachoretis caruisse, hoc ipso solo non negat veros exstitisse religiosos ; atque adeo nisi sufficienter patefaciat quoscunque etiam religiosos sua negatione comprehendi, non erit iis scriptoribus adnumerandus, qui tertio duntaxat aut quarto sæculo religiosos inductos volunt. Id autem sedulo adnotandum duximus; quia provocari solet ad quosdam magni nominis doctores, quasi religiosorum omnium existentiam prioribus hisce temporibus rejiciant, cum tamen eorum argumentatio circa solos cœnobitas et anachoretas tota versetur. Talis est, verbi gratia, Antonellus in sua *de Ascetis* dissertatione. Is enim ad quartum usque sæculum desideratos fuisse cœnobitas seu monachos sustinet ; atque antea solos exstitisse *ascetas*. Atvero quod ascetæ illi veri religiosi non fuerint, nuspiam asserit. Et nihilominus scriptoris illius auctoritate quidam nituntur, ut quorumlibet religiosorum existentiam e prioribus Ecclesiæ sæculis excludant.

Digitized by Google

§ II.

Tribus prioribus sæculis, atque ipso etiam Apostolorum tempore, veros et proprie dictos religiosos exstitisse variis argumentis evincitur.

PROPOSITIO I^a. — *Falsum est scriptores ecclesiasticos esse unanimes in negandâ status religiosi ante quartum Ecclesiæ sæculum existentia.* — Non desunt moderni auctores, qui hanc prætensam scriptorum ecclesiasticorum *quasi unanimitatem* fidenter asseruerint. Quam autem immerito peremptorie demonstrant hodierni Bollandistæ (1), in hunc modum :

[Sane, currente sæculo XVI et sæculo XVII ineunte, scriptores catholici potius erant unanimes in defendenda contraria opinione adversus Lutheranos, Calvinistas, aliosque hæreticos, qui religiosum statum incœpisse contendebant post annum Christi trecentesimum (2). Imo Suarezius, posteaquam, uti jam vidimus, in genere probavit statum religiosum a Christo institutum esse, ulterius progrediens declarat (3) « etiam fecisse Christum quamdam religionem in particulari, « ad eam quosdam homines congregando, eisque proprium « et particularem modum vitæ religiosæ tribuendo, » et quidem vitæ quam propter contemplationis et actionis conjunctionem *vitæ mixtæ* nomine appellare consuevimus, cujus finis specialis esset cooperari Redemptori in salute animarum procurandâ ; proindeque primam religionem fuisse *clericorum*, ipsorummet nempe Apostolorum, quos autumat tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ vere ac proprie emisisse. Idem jamdudum ante, nempe sæculo decimo quarto, censuerat doctus theologus Alvarus Pelagius ; qui, ut loquitur

(1) Examen libri Mariani Verhoeven, tom. 1, pag. 32 et seq.

(2) Cfr. Bellarminum, de Monachis, cap. 5, col. 432 ; Suarez, lib. 3, cap. 2, num. 1.

(3) Lib. 3, cap. 2, num. 9 et 10.

Digitized by Google

P. Hieronymus Platus (1), « in eam rem multas congerit ra-
« tiones, et hanc præcipue quod votum, ut ille ait, est consi-
« lium consiliorum et forma et perfectio eorum : quia quod-
« cunque sit consilium super quod cadit, id essentialiter per-
« fectius reddit et Deo acceptius. Ex quo ille quidem effici
« putat, si hoc Apostoli caruissent, non futuros fuisse in apice
« perfectionis : ac potius eam abdicationem harum earumdem
« rerum, quam quotidie ineunt quilibet religiosi, quia votum
« annexum habet, perfectiorem futuram fuisse, quam illam
« Apostolorum : quod quidem temerarium est dictu, atque
« etiam improbum et impium. » Neque ab hisce theologis regularibus dissentiunt sæculares Sylvius et Estius, insignes in Academia Duacena doctores, qui ex ipso Evangelio, ad SS. Patrum mentem expenso, inferre non dubitant Apostolos fuisse veros religiosos (2). Quod argumentum recentiori etiam tempore, ne plures veteres theologos in id conspirantes sigillatim enumeremus, non sine eruditione retractavit P. Joannes Antonius Zunggo, Canonicus Regularis Lateranensis (3); et insuper, quamvis bene nosset quæ Thomassinus (4) aliique scriptores in contrarium dixerant, sufficientes tamen sibi suppetere putavit rationes ob quas Suarezio adstipularetur, existimanti primævam illam clericalem religionem « non periisse
« cum Apostolis, sed continua propagatione fuisse in eorum
« successoribus ac discipulis conservatam ; » ac proin « fuisse
« semper in Ecclesia statum aliquem religiosum per se et ex
« proprio instituto clericorum, id est, sub tribus consiliis ac
« votis perfectionis destinatum ad propria clericorum mini-

(1) Platus, *de Bono status religiosi*, lib. 2, cap. 20, citans Alvarum Pelagium, *de Planctu Ecclesiæ*, lib. 2, cap. 56.

(2) Sylvius, in 2. 2, quæst. 186, art. 1, pag. 926, edit. Antuerp., 1697; Estius, Annot. in difficiliora S. Scripturæ loca, ad Matth. XIX, 27, pag. 445, edit. Antuerp., 1699.

(3) Hist. de Ordine Can. Regul. S. Augustini prodromus, tom. 1, part. 1, cap. 1, pag. 5 et seqq.

(4) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 2.

Digitized by Google

« steria, vel in divino cultu, vel etiam in salute animarum « procuranda (1). » Affirmant autem laudati theologi sibi suffragari S. Thomam, ex cujus sententia *Apostoli intelliguntur vovisse pertinentia ad perfectionis statum, quando Christum, relictis omnibus, sunt secuti* (2); eodemque pertinere quod scribit idem Angelicus Doctor, *a discipulis Christi omnem religionem sumpsisse originem* (3); quodque alibi ex Collationibus Patrum ait, *omnem religionem ab illa sancta societate sumpsisse exordium* (4); necnon in opusculo de perfectione vitæ spiritualis, de septem diaconis loquens : « A quorum, inquit (5), « exemplo omnes religiones derivatæ sunt. » Observant iidem vitam religiosam a SS. Patribus nonnunquam vocari *apostolicam* seu *evangelicam,* ut fit, v. g., a SS. Basilio Magno (6) et Bernardo (7); eamque prædicari a S. Chrysostomo *philosophiam a Christo introductam* (8), « utique, inquit Sylvius (9), « in Apostolos, ac deinde in ipsorum successores, » quemadmodum hanc dictionem etiam intellexerat S. Nilus, Chrysostomi discipulus (10). Neque dissentire credunt auctorem qui sæculo quarto Constitutiones monasticas conscripsit, vulgo S. Basilii dictas (11), quando ait communem regularium vitam esse imitationem illius quam Christus cum suis Apostolis instituit (12); neque Eusebium, quando in commendationem monachorum seu illorum qui segregem et castam vitam agunt,

(1) Zunggo, loc. cit. cap. 2, pag. 20; cap. 6, pag. 48 et seqq.

(2) 2. 2, quæst. 88, art. 4. ad. 3.

(3) 2. 2, quæst. 188, art. 7.

(4) In Epist. 1 ad Cor., cap. 16, lect. 1, tom. 6 Operum, pag. 359.

(5) De perfect. vitæ spirit., cap. 23, tom. 19 Oper., pag. 422.

(6) Epist. 173, 207 et 295, tom. 3 Oper., pag. 261, 340 et 433, edit. Maur.

(7) Serm. de divers. 22, 27, 37, vol. 1 Oper., col. 1127, 1140, 1161, edit. Mabillon.

(8) Hom. 17 ad pop. Antioch., tom. 2 Oper., pag. 173.

(9) Loc. cit.

(10) Libr. ascetic. in Magn. Bibl. Patr., tom. 5, col. 339 et 340, edit. Paris., 1644.

(11) Cfr. D. Garnier, tom. 2 Operum S. Basilii, Præfat. pag. XLV et seqq.

(12) Constit. monast. cap. 18 et 22, tom. 2 Oper. S. Basilii, p. 561 et 573.

Digitized by Google

dixit (1) : « Quorum primi fuere Salvatoris nostri discipuli. » Præcipue autem allegant illud S. Augustini effatum (2) : « Dixerant potentes illi : *Ecce nos dimisimus omnia, et secuti* « *sumus te.* Hoc votum potentissime voverant ; sed unde hoc « eis, nisi ab illo de quo dictum est : *Dans votum voventi ?* » A quo non abludit S. Hieronymus, qui in epistolis suis perfectionis studiosos facere jubet quod fecerunt Apostoli (3), atque apostolici fastigii apostolicæque dignitatis culmen esse dicit sæculum relinquere, seipsum Domino dedere et sequi ex integro Christum (4).

Ad hæc iisdem theologis placet vitam religiosam inter laicos quoque natam esse una cum primitiva Ecclesia Jerosolymitana ; quo sensu S. Bernardus, de ordine monastico loquens, eum ait esse (5) « primum in Ecclesia, imo a quo cœpit Eccle- « sia ;... cujus Apostoli institutores, cujus hi quos Paulus tam « sæpe sanctos appellat, inchoatores exstiterunt. » Ac hujus opinionis fundamenta suppetere sibi autumant in Actibus Apostolorum (6) ; e quibus, sæculo quarto exeunte, abbas Piammon apud Joannem Cassianum illam intulit consequentiam (7) : « Cœnobitarum disciplina a tempore prædicationis « apostolicæ sumpsit exordium. Nam talis exstitit in Hieroso- « lymis omnis illa credentium multitudo, quæ in Actibus Apo- « stolorum ita scribitur : *Multitudinis credentium erat cor unum* « *et anima una, nec quisquam eorum quæ possidebat aliquid suum* « *esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Possessiones et* « *substantias vendebant, et dividebant ea omnibus, prout cuique* « *opus erat.* Et iterum : *Neque enim quisquam egens erat inter*

(1) Comment. in Psalm. apud Montfaucon, Collect. nov. PP. Græc., tom. 1, pag 348.

(2) De civit. Dei, lib. 17, cap. 4.

(3) Epist. 120, alias 150, tom. 1, col. 822, edit. Vallars.

(4) Epist. 118, alias 34, col. 795 ; Epist. 130 alias 8, col. 982 et 990.

(5) Apolog. ad Guill. Abb., cap. 10, vol. cit., col. 537.

(6) Act. II, 44, 45 ; IV, 32, 34-37 ; V, 1-10.

(7) Cassian. Collat. 18, cap. 5, pag. 517, edit. Francofurt., 1722.

Digitized by Google

« *illos. Quotquot enim possessores agrorum aut domorum erant,* « *vendentes offerebant pretia eorum quæ vendebant, et ponebant* « *ante pedes Apostolorum. Dividebatur autem singulis prout cuique* « *opus erat.* Talis, inquam, erat tunc omnis Ecclesia, quales « nunc perpaucos in cœnobiis invenire difficile est. » Adversus hanc inter monachos Ægyptiacos receptam sæculo quarto de status sui origine sententiam objicit Thomassinus (1) non satis se videre « unde suppetere possent Cassiano solida argumenta, « quibus conficeret primos Ecclesiæ Hierosolymitanæ fideles, « tam conjugia quam patrimonia repudiasse. » Verum facilis videtur ex Alphonso Salmerone ad hanc objectionem responsio (2) : « Si tales conjugati opus generationis et procreationis « liberorum sibi non adimerent, stultum erat et contra om- « nem rationem facultates suas in pauperes distribuere, quas « jure naturæ servare cogebantur, ut filiis alimenta relinque- « rent et ut filias dote data honeste collocare possent ; neque « verisimile est Apostolos permisisse ut substantias suas divi- « derent et ad pedes suos ponerent. » Graviorem nonnulli difficultatem in eo positam arbitrantur, quod Piammon abbas verba S. Lucæ de omnibus universim primis fidelibus Jerosolymitanis intellexisse videatur aut saltem videri possit ; ita ut hoc potius ex capite aliqua correctione indigeat. Hanc suppeditat Estius, caput quartum Actuum Apostolorum commentans ; ubi, postquam probabilibus rationibus suasit ea quæ a S. Evangelista, universalibus licet terminis, dicuntur, non accipienda esse de tota quanta erat Ecclesia Jerosolymitana, sed de magno tantum fidelium numero, dein subjungit (3) : « Manifestum etiam quod qui Christiani fiebant, non « jubebantur omnia sua relinquere et pretium rerum con- « ferre in commune ; quia Petrus dicit Ananiæ : *Nonne manens* « *tibi manebat, et venumdatum in tua erat potestate?* id est,

(1) Op. cit. part. 1, lib. 3, cap. 12, num. 10, pag. 365.

(2) Comment. in Evang. Hist. et Act. Apost., tom. 12, tract. 10, pag. 121, edit. Colon. 1604.

(3) Op. cit., Act. IV, 32, pag. 378 et 379.

Digitized by Google

« liberum tibi erat ut bona tua et pretium ex iis compensatum « vel conferres in vitam communem, vel tibi retineres. Tunc « autem voto se ad communem vitam obligabant, quando sua « afferebant ad pedes Apostolorum. Unde Ananiæ non totum « afferenti, et tamen voventi vitam communem, et rerum « suarum dimissionem, dicitur : *Mentitus es Spiritui sancto*, id « est, fidem Deo datam fefellisti et irritam fecisti ; id est, « vovisti quod præstare non cogitasti, promisisti ore, non « corde. » Eodem fere modo, quamvis brevius, Bellarminus ratificinatur (1). Neque vero temere hæc a doctis iis viris asseverari liquet e Patrum testimoniis, a Salmerone (2) et Cornelio a Lapide (3) collectis : Cypriani videlicet, Gregorii Nazianzeni, Joannis Chrysostomi, Hieronymi, Augustini, Fulgentii, Gregorii Magni ; quibus adde scriptores duorum operum, olim indubie SS. Athanasio (4) et Basilio (5) tributorum, nunc vero dubie tantum, venerandæ tamen antiquitatis. Ii quippe omnes aperte docent Ananiam ac Sapphiram ideo a S. Petro increpatos atque a Deo morte plexos fuisse, quod votum sacrilege infregissent. Unde cum aliis S. Scripturæ interpretibus ulterius infert Estius (6) : « Puto igitur « istos omnia communia habentes fuisse veros religiosos, quo- « modo nunc de religiosis loquimur ; quia in manibus Petri « tanquam Prælati vovebant vitam communem, et proinde « etiam obedientiam, sine qua vita communis non potest sub- « sistere ; item continentiam, sine qua vita illa esset plena tur- « barum, rixarum et querelarum, propter filios nutriendos « iisque providendum. Et Patres originem vitæ communis,

(1) De Monachis, cap. 5, col. 437.

(2) Loc. cit. tract. 21, pag. 128 et 129.

(3) Comment. in Act. Apost., v, 1, pag. 115, edit. Antuerp., 1717.

(4) Homil. de Passione et Cruce Domini, tom. 2 Operum S. Athanasii, pag. 80, edit. Maur.

(5) Serm. ascet., tom. 2 Operum S. Basilii, pag. 319, edit. Maur. Cfr. Præf. ejusd. tomi, pag. XLIII.

(6) Loc. cit., pag. 579.

Digitized by Google

« qualis religiosorum est, referunt primum ad familiam Christi « et Apostolorum, qui dixerunt : *Ecce nos reliquimus omnia*, in- « ter quæ etiam uxores nominantur : unde et vita apostolica « vocatur. »

Negari vero non potest esse nonnulla SS. Patrum pronuntiata, quæ huic sententiæ queant accommodari : exempli causa, quod S. Joannes Chrysostomus asseverat monachos ita vivere uti initio Ecclesiæ vivebant fideles in Jerusalem (1); cui consonat S. Hieronymus, idem prorsus affirmans (2). Sanctus vero Possidius, ubi narravit S. Augustinum monasterium intra ecclesiam instituisse, illico subjungit (3) : « Et « cum Dei servis vivere cœpit secundum modum et regulam « sub sanctis Apostolis constitutam; » quod et ipse Augustinus, de clericis suis, qui religiosi erant, sermonem faciens, declarat in hunc modum : « Nostis sic nos vivere in ea domo « quæ dicitur domus episcopii, ut, quantum possimus, imi- « temur eos sanctos de quibus loquitur liber Actuum Aposto- « lorum.... Ecce dico, audite : qui societatem communis vitæ « jam susceptam, quæ laudatur in Actibus Apostolorum, de- « serit, a voto suo cadit, et a professione sancta cadit (4).... « Ipsa de libro Actuum Apostolorum vobis lectio recitabitur, « ut videatis ubi descripta sit forma quam desideramus im- « plere (5). »Item verba illa Davidica : *Ecce quam bonum*, etc. (6) commentans, ait : « Ista enim verba Psalterii, iste dulcis « sonus, ista suavis melodia, tam in cantico quam in intel- « lectu, etiam *monasteria* peperit. Ad hunc sonum excitati « sunt fratres qui habitare in unum concupierunt : iste versus « fuit tuba ipsorum.... Ipsi primi habitaverunt in unum qui

(1) Hom. 11 in Act. Apost., tom. 9 Oper., pag. 94.

(2) De viris illust. cap. 11, tom. 2 Oper., col. 847, edit. Vallars.

(3) In Vita S. Augustini, apud Bollandianos, tom. 6 Augusti, pag. 428.

(4) Serm. 355, alias de diversis 49, tom. 5 Oper., col. 1580 et 1581, edit. Maur.

(5) Serm. 356, alias de diversis 50, tom. cit., col. 1584.

(6) Ps. CXXXII, 1.

Digitized by Google

« omnia quæ habebant vendiderunt, rerumque suarum pretia « ad pedes Apostolorum posuerunt, sicut in Actibus Apostolo- « rum legitur.... Ergo ipsi prius audierunt : *Ecce quam bonum « et quam jucundum habitare fratres in unum*. Primi audierunt, « sed non soli audierunt. Non enim usque ad illos ista dilectio « et unitas fratrum venit. Venit enim et ad posteros ista « charitatis exsultatio et votum Deo. Vovetur enim aliquid « Deo, et dictum est : *Vovete et reddite Domino Deo vestro*.... Ex « voce hujus Psalmi appellati sunt et monachi, ne quis vobis « de isto nomine insultet catholicis. » Hactenus S. Augusti- nus (7).]

Putamus ex adductis iis documentis plane evinci, non deesse quamplurimos, eosque vere ecclesiasticos scriptores, qui religiosi status existentiam ab ipsis Ecclesiæ exordiis repetendam existiment. Unde prorsus falsum est *fere unanimes* esse eruditos in admittenda contraria sententia.

PROPOSITIO II^a^. — *Veros religiosos fuisse Essenos, seu therapeutas Ægyptiacos, temporum apostolicorum coævos, saltem ut probabile admittendum est.* — Hanc pariter quæstionem erudite, more suo, excusserunt hodierni Bollandistæ. Ut adeo visum sit ipsa eorum verba, utpote quæ conclusionem nostram omnino firmant, hic subjicere :

[Eusebius memorat de sancti Marci Evangelistæ apud Ægyptios prædicatione : « Tanta multitudo virorum simul ac « mulierum qui fidem Christi illic amplexi fuerant, ab ipso « statim initio tam philosophicam tamque severam ascesim « professa fuit, ut studia illorum et cœtus atque convivia « totamque vitæ rationem scriptis suis commemorare operæ « pretium duxerit Philo.... Cum ascetarum nostrorum vitam « quam accuratissime describit, indicat se non modo vidisse, « sed etiam vehementer probare et mirari apostolicos viros, « qui ex Hebræis, ut credibile est, oriundi, ob eam causam

(1) Enarrat. in Psalm., tom. 4 Oper., col. 1484 et 1485.

Digitized by Google

« magis judaice veteres ritus adhuc magna ex parte serva-
« bant.... Viros quidem ipsos therapeutas, feminas vero eam
« iis versantes therapeutrias ait appellari.... Ante omnia fa-
« cultates suas eos abjicere testatur.... Deinde, abjecta omni
« rerum humanarum cura, extra mœnia progressos in hortis
« agellisque deviis degere.... Quod quidem illius temporis
« Christiani animosa quadam ardentissimaque fide effecisse
« mihi videntur, cum propheticam vivendi rationem æmulari
« studerent. Etenim in Actibus Apostolorum sincera veritate
« refertis scriptum habemus omnes Apostolorum familiares,
« prædiis et facultatibus suis venditis, divisisse singulis prout
« cuique opus erat.... His plane similia de therapeutis post
« quam Philo testatus est, tum illa ad verbum subjungit : *Id*
« *genus hominum in variis orbis regionibus reperitur. Decebat*
« *enim Græcos et barbaros tanti boni participes fieri. Fieret*
« *tamen in Ægypto præcipue, per singulas ejus præfecturas dif-*
« *fusum; maxime vero circa Alexandriam. Undique vero optimi*
« *quique in locum quemdam opportunissimum, qui est trans Ma-*
« *riam paludem... tanquam in patriam therapeutarum migrant.*
« Hinc postquam descripsit cujusmodi essent illorum domi-
« cilia, de eorum per regionem illam ecclesiis ita dicit : *In*
« *singulo autem domicilio est quoddam sacellum, quod semneum*
« *et monasterium appellatur; in quo soli, remotis arbitris, san-*
« *ctioris vitæ mysteria peragunt. Nec cibum potumve, nec quidquam*
« *aliud ad corporis curandas necessitates pertinens eo inferunt;*
« *sed leges et Prophetarum oracula, hymnosque et alia hujusmodi,*
« *quibus pietas ac scientia augentur et consummantur... Sacra*
« *enim volumina lectitantes philosophantur, patriam philosophiam*
« *allegorice explicando. Quippe existimant verba ipsa esse signa*
« *rerum abditarum, quæ per intelligentiam declarantur. Sunt*
« *etiam apud eos commentarii veterum quorumdam, qui sectæ*
« *illius auctores, multa eis monumenta doctrinæ in allegoriis*
« *posita reliquerunt* .. Hæc certe ab homine videntur dicta
« qui nostros sacras litteras exponentes audiverit. Quas autem

Digitized by Google

« sit penes illos fuisse scripturas, apparet ipsa esse Evangelia, « et Apostolorum scripta, et expositiones quasdam veterum « Prophetarum, cujusmodi plures in Epistola ad Hebræos aliis- « que pluribus Pauli Epistolis continentur.... Multa quoque « alia... commemorat; sed hæc maxime excerpenda esse duxi, « quibus ecclesiasticæ disciplinæ character oculis subjicitur. « Quod si quis ea quæ recitata sunt, disciplinæ evangelicæ « nequaquam propria esse, verum etiam aliis præter eos quos « dixi competere posse existimet, is convincatur saltem se- « quentibus Philonis verbis, in quibus, dummodo æquus re- « rum æstimator sit, rem extra controversiam positam depre- « hendet. » Post hæc, citato Philonis testimonio de insigni therapeutarum temperantia : « Has, inquit, Philonis dictio- « nes perspicue et citra controversiam de nostræ Religionis « hominibus prolatas arbitramur. Quod si quis adhuc perti- « naciter his refragari voluerit, is manifestioribus convictus « indiciis, quæ non alibi quam in Christiana secundum Evan- « gelium religione reperiuntur, pertinaciam suam tandem « abjiciat. Ait igitur Philo, cum his viris de quibus est sermo, « versari etiam feminas, quarum plurimæ grandævæ sunt vir- « gines, quæ castitatem non necessitate, ut nonnullæ apud « gentiles sacerdotes, sed libera potius sponte servaverunt, « propter amorem ac desiderium sapientiæ.... Quid præterea « hic attinet commemorare cœtus, et virorum hinc, illinc « mulierum seorsum degentium exercitationes, easque quæ « etiamnum apud nos in usu sunt asceses?.... Insuper gradus « præsidentium describit, eorum videlicet qui ecclesiastica « obeunt munia, diaconiasque et Episcopatus apicem omnibus « ante stantem.... Philonem denique, dum hæc scriberet, pri- « mos illos evangelicæ doctrinæ prædicatores et mores primum « ab Apostolis traditos in mente habuisse, unicuique est mani- « festum. » Hactenus Eusebius (1).

Sagaci huic historiographo adstipulatur S. Hieronymus, cri-

(1) Hist. eccl., lib. 2, cap. 16 et 17, pag. 53 et seqq., edit. Vales. Paris., 1659.

Digitized by Google

ticæ artis scientissimus, qui de S. Marco inter alia refert (1) : « Assumpto itaque Evangelio quod confecerat, perrexit « Ægyptum ; et primus Alexandriæ Christum annuntians « constituit Ecclesiam, tanta doctrina et vitæ continentia, ut « omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique « Philo disertissimus Judæorum, videns Alexandriæ primam « Ecclesiam adhuc judaizantem, quasi in laudem gentis suæ « librum super eorum conversatione scripsit. » Ac rursum de Philone (2) : « Librum de prima Marci Evangelistæ apud « Alexandriam scribens Ecclesia, in nostrorum laude versatus « est, non solum eos ibi, sed in multis quoque provinciis esse « memorans, et habitacula eorum dicens monasteria. Ex quo « apparet talem primum Christo credentium fuisse Ecclesiam « quales nunc monachi esse nituntur et cupiunt : ut nihil cu- « jusquam proprium sit, nullus inter eos dives, nullus pauper, « patrimonia egentibus dividantur, orationi vacetur et psal- « mis, doctrinæ quoque et continentiæ ; quales et Lucas refert « primum Jerosolymæ fuisse credentes. » Pariter S. Epiphanius eumdem Philonis librum, quem de Jessæis inscriptum dicit, laudans : « Ubi, ait (3), illorum vitæ disciplinam ac præ- « conia celebrans, eorumque monasteria ad Marianam palu- « dem circumcirca posita describens, non de ullis aliis quam « de Christianis illa narravit. » Quod tantorum virorum concors judicium suspiciens Guilielmus Beveregius, scriptor heterodoxus, ita de eo loqui non dubitavit (4) : « Tres itaque « gravissimos habemus testes, Philonem Judæum... de Chri- « stianis therapeutarum nomine disseruisse, videlicet Euse- « bium, Hieronymum et Epiphanium, qui omnes quarto cla- « ruerunt sæculo, ac propterea de nascentis Ecclesiæ, ad « quam longe propiores accedebant, disciplina multo melius

(1) De viris illust., c. 8, t. 2 Oper., col. 843. Cfr. Brev. Rom., ad 25 april.

(2) Ibid., cap. 11, col. 847.

(3) Hæresi 29, tom. 1 Operum, pag. 120, edit. Colon., 1682.

(4) Codex canonum Ecclesiæ primitivæ, lib. 3, cap. 5, num. 5, pag. 147, ad calcem voluminis 2 Patrum Apostolicorum, edit., Amstelod., 1724.

Digitized by Google

« judicare potuerunt quam nos, qui tot non annorum, imo « vero sæculorum intervallo ab iis remoti sumus. Quare nihil « est quod nos ab eorum opinione recedamus, nisi validissimis « coacti rationibus. » Addere potuisset Sozomenum historicum, qui idem sibi ac Eusebio testatur videri (1); necnon Cassianum, quarto sæculo inter monachos Ægyptios versatum, a quo hæc traduntur (2) : « Cum in primordiis fidei « pauci quidem, sed probatissimi *monachorum* nomine cense- « rentur, qui sicut a beatæ memoriæ Evangelista Marco... « normam suscepere vivendi, non solum illa magnifica reti- « nebant quæ primitus Ecclesiam vel credentium turbas in « Actibus Apostolorum legimus celebrasse,... verum etiam his « multo sublimiora cumulaverant.... De quibus etiam is qui « minus indigenarum relatione cognovit, ecclesiastica historia « poterit edoceri. » Consonat hisce Nicephorus (3).

Jam vero agitur inter eruditos controversia acerrima, quam de vitæ religiosæ origine aliquid chartæ mandare volenti ignorare non licet : nimirum cedendumne sit rationibus quibus Eusebius christianitatem therapeutharum vindicare tanto verborum pondere nisus est; an contra, quos ille Christi cultoribus accenset, mera fuerit Judæorum secta. Certe Eusebii adeoque SS. Hieronymi et Epiphanii auctoritatem elevare conati sunt plerique qui de eo argumento disseruere acatholici; quibus ex catholicis cum Eusebii interprete Valesio (4) accedunt J. B. Cotelerius (5), A. Pagius (6), L. Ellies Dupin (7), J. Bouhier (8), R. Ceillier (9), Cardinalis

(1) Hist. eccl., lib. 1, c. 12.

(2) De cœnob. instit., lib. 2, cap. 5, pag. 16.

(3) Hist. eccl., lib. 2, cap. 15, pag. 156 et 157, edit. Paris., 1630.

(4) Ad Hist. eccl. Eusebii, lib. 2, cap. 17, pag. 35.

(5) Eccl. Græc. Monum., tom. 1, col. 789.

(6) Ad ann. 62 (Baronio 64), num. 2 et 3, tom. 1 Annalium Baronii, pag. 597 et 598, edit. Luc.

(7) In Basnagii Hist. Judæorum, tom. 7, edit. Paris., 1710.

(8) Lettres pour et contre, etc., pag. 1 et seqq., pag. 237 et seqq.

(9) Hist. gén. des auteurs eccl., tom. 4, pag. 269 et seqq.

Digitized by Google

Orsi (1), T. M. Mamachius (2) aliique. Verum ex adversa parte pro Eusebio stant cum Cardinalibus Baronio (3) et Bellarmino (4), B. Bacchinius (5), D. Petavius (6), N. Serrarius (7), L. de Tillemont (8), B. de Montfaucon (9), N. Alexander (10), M. Lequien (11), P. Hélyot (12), J. Haiden (13), R. Sala (14), etc., atque inter acatholicos G. Beveregius (15), T. Bruno (16), J. Vossius (17), S. Parker (18), G. Wiston (19). Tum plerique eorum qui credunt therapeuthas fuisse Christianos, etiam monachos fuisse volunt; quod quidem legitima consequentia ab iis admitti confitetur cum Bouhiero Mamachius (20) : quanquam aliqui, Eusebianis dictionibus pressius insistentes, non *monachos*, sed *ascetas* eos dici oportere decernunt (21). Profecto nostrum non est tantas lites componere;

(1) Istor. eccl., lib. 1, num. 43, tom. 1, pag. 87, edit. Rom., 1752.

(2) Orig. et Antiq. Christ., lib. 1, cap. 1, § 5, num. 3 et 4, pag. 16 et seqq.

(3) Ad ann. 64, num. 3 et seqq., pag. 596-600.

(4) De Monach., cap 5, col. 435 et 436.

(5) De Hierarch. eccl., cap. 3, num. 15, p. 240.

(6) In notis ad S. Epiphan., tom. 2, pag. 54, edit. Paris., 1622.

(7) Trihæres., lib. 3, cap. 17, tom. 1 Opuscul., pag. 96 et seqq.

(8) Mém. pour servir à l'hist. eccl., tom. 2, pag. 94, 95, 508 et 509, edit. Paris., 1701.

(9) Lettres pour et contre, pag. 122 et seqq.

(10) Hist. eccl., sæc. 1, dissert. 22, tom. 3, pag. 225 et 226, edit. Venet.

(11) Orient. Christ., tom. 2, col. 332.

(12) Hist. des Ordres relig. et milit., dissert. prélim., § 1.

(13) Dissert. de Therapeutis, § 4, apud Fleury, Discipl. populi Dei, edit. F. A. Zaccharise, Venet. 1782, pag. 49 et seqq.

(14) Rer. Liturgic. Joannis Bona, tom. 2, lib. 1, cap. 19, not. 8, pag. 35 et seqq.

(15) Loc. cit., pag 147 et 148.

(16) Diatr. de therapeutis, apud Epistolas S. Clementis Rom., edit. Londin., 1687.

(17) Variar. Observat., pag. 46 et seqq.

(18) Hist. eccl. Eusebii, edit. Anglic.

(19) In Constit. Apost., pag. 73 et seqq., pag. 248 et seqq.

(20) Loc. cit., pag. 53.

(21) Antonelli, dissert. cit., pag. 107 et 108; Haiden, dissert. cit., Canollar., pag. 52 et 53.

Digitized by Google

sed dum eas commemoramus, ostendimus utique quantam absit ut scriptores ecclesiastici unanimi fere consensu doceant statum religiosum ante quartum æræ nostræ sæculum in Ecclesia non fuisse.]

PROPOSITIO III^a. — *Veri religiosi fuerunt primi Hierosolymianæ Ecclesiæ fideles multi.* — Relatum habemus in Actibus Apostolorum (capitibus 2, 4 et 5) quomodo fideles illi agros et domos venderent, et pretium Apostolis afferrent, necnon singulis devideretur prout cuique opus erat. Porro ejusmodi fideles veros fuisse religiosos evincunt auctoritates gravissimæ. Nempe,

I. Ea erat, sæculo quarto, monachorum Ægyptiacorum persuasio, prout constat ex *Collationibus Cassiani* (cap. 5, p. 517, edit. Francofurt. 1722), ubi sic legere est : « Cœnobitarum « disciplina a tempore prædicationis Apostolicæ sumpsit « exordium. Nam talis exstitit in Hierosolymis omnis illa cre- « dentium multitudo, quæ in Actibus Apostolorum ita scribi- « tur : *Multitudinis credentium erat cor unum*, etc... »

II. Eadem vigebat persuasio sancti Augustini tempore. Nam sanctus Possidius, ubi narravit S. Augustinum monasterium intra ecclesiam instituisse, ita subjungit : « et cum Dei servis « vivere cœpit secundum modum et regulam sub sanctis « Apostolis constitutam. » (In vita S. Augustini, apud Bollandianos, tom. 6 Aug., pag. 428.) De quo et ipse S. Augustinus, sermonem ad religiosos clericos suos faciens : « Nostis, inquit, « sic nos vivere in ea domo, quæ dicitur domus episcopii, « ut, quantum possimus, imitemur eos sanctos, de quibus « loquitur liber Actuum Apostolorum... Ecce dico, audite : « qui societatem communis vitæ, jam susceptam, quæ lauda- « tur in Actibus Apostolorum, deserit, a voto suo cadit, et a « professione sancta cadit... Ipsa de libro Apostolorum vobis « lectio recitabitur, ut videatis ubi descripta sit forma quam « desideramus implere. » (Operum S. Augustini tomo 5, col. 1380, 1381 et 1384, edit. Maur.) Atque in eumdem sensum disserit Augustinus in psalmum 132, n. 1.

Digitized by Google

III. Asseverat S. Joannes Chrysostomus monachos ita vivere, uti initio Ecclesiæ vivebant fideles in Jerusalem (hom. 2, in Act. Apost.). Atque idem prorsus affirmat S. Hieronymus (*de Viris illust.* cap. 11, tomo 2 operum, col. 847, edit. Vallars.). Et tandem persuasionem hanc in totius retro antiquitatis monumentis reperies.

IV. Erroneam fuisse hujusmodi persuasionem nulla solida ratione probare potuerunt moderniores critici, qui religiosorum existentiam ante sæculum quartum negant. Postulat quidem Thomassinus quomodo Cassianus scire potuerit, primos illos Hierosolymitanæ Ecclesiæ fideles conjugia et patrimonia respuisse. Facilis responsio. Melius id scire potuit Cassianus, monasticarum institutionum scientissimus, earumque incunabulis tam propinquus, quam Thomassinus : eo siquidem scribebat tempore, ad quod christianæ rei origines incorrupta traditione facile pervenerant. Præterea, quod primi illi fideles *patrimonia* respuerint, expresse habetur in Actis Apostolorum ; ubi memorantur, quidquid possiderent, agros et domos vendidisse, et pretium ante pedes Apostolorum detulisse. Ut adeo mirum sit quæri a Thomassino, quo id fundamento Cassianus asseruerit. Quod vero conjugia etiam respuerint, ex facto repudiatorum patrimoniorum merito concludimus. Si enim in conjugio vivere voluissent, non perfectio fuisset bona sua abdicare ; neque id Apostoli approbassent ; sed debuissent bona hæc alendis et educandis filiis reservare. Tandem quod, id peragentes, se totos Dei obsequio mancipaverint, voti proinde vinculo se obstringentes et obedientiam etiam profitentes, sine qua communis eorum vita stare non potuisset, dubitari nequit. Non enim supponi potest voluisse eos ex parte duntaxat sese Deo dicare ; præsertim cum sibi quod durius erat, conjugii et patrimoniorum repudiationem imposuerint. Hinc merito Estius : « Puto igi« tur istos omnia communia habentes fuisse veros religiosos, « quomodo nunc de religiosis loquimur, quia in manibus Petri « tanquam Prælati voyebant vitam communem, et proinde

Digitized by Google

« etiam obedientiam, sine qua vita communis non potest sub-
« sistere ; item continentiam, sine qua vita illa esset plena
« turbarum, rixarum et querelarum, propter filios nutriendos
« iisque providendum. Et Patres originem vitæ communis,
« qualis religiosorum est, referunt primum ad familiam Chri-
« sti et Apostolorum, qui dixerunt : *Ecce nos reliquimus omnia ;*
« inter quæ etiam uxores nominantur : unde et vita apostolica
« nominatur. » (Apud recentes Bollandianos, *Examen libri Mariani Verhoeven,* pag. 37.)

V. Seclusa etiam præfatæ traditionis auctoritate, a temporibus Apostolicis exstitisse religiosos concludi deberet, ex hoc solo quod Christus statum hunc, suadendo et ad eum amplexandum hortando, instituerit. Credibile enim non est ex ipsius discipulis et primis Christianis, nullos fuisse qui ejusmodi hortationibus obsecuti sint.

PROPOSITIO IV^a^.—*Veri religiosi fuerunt ii trium priorum sæculorum Christiani, qui ascetarum nomine memorantur.* — Ne congestis documentis, nimium a practico tractationis nostræ scopo recessisse videamur, quid fuerint ascetæ, ex iis duntaxat auctoribus, qui nostræ thesi opponuntur, mutuabimus; et facile perspiciet lector sufficere illam, ab ipsismet adversariis admissam, de ascetis notionem, ut vere religiosos eos fuisse merito concludatur.

Quid fuisse ASCETAS *existimet Antonellus.* — Scripsit auctor ille *de ascetis*, apud eruditos magno pretio habitam, dissertationem ; qua probare potissimum satagit sæculo quarto antiquiores haud esse *monachos*. Quam ejus conclusionem obtendunt, qui religiosorum prioribus Ecclesiæ temporibus existentiam negant; quamvis *monachos* duntaxat a tribus prioribus sæculis exclusos voluerit Antonellus : non autem *ascetas ;* et ascetas veros *religiosos* non fuisse, nequaquam ullibi asseruerit. Quales fuisse ascetas eruditus ille investigando repererit, paucis subjiciamus. Ascetas vocat « philo-
« sophos Christianos, qui, terrenis curis ac impedimentis
« abjectis, et sæculi voluptatibus repudiatis, animos suos

Digitized by Google

« Christianæ philosophiæ, juxta cœlestia sacrarum Scriptu-
« rarum documenta excolendæ, penitus addicebant...; ut,
« corpore in servitutem redacto, mente a mundanarum rerum
« amore libera, in sancta Dei contemplatione quiescerent, et
« in terris degentes cœlestem beatorum spirituum vitam imita-
« rentur. » (Dissertatione *de Ascetis*, pag. 110 et 111.) Demonstrat præterea Antonellus ejusmodi ascetarum conditionem, fuisse publicum in Ecclesia statum. Hinc sicut sacrarum virginum cœtus, seu τάγμα, locum peculiarem in templo, a cæteris fidelibus feminis segregatum, occupabat, ita et sua erant ascetarum cœtui, seu τῶν μοναζόντων τάγματι, seorsum a reliquo populo, destinata subsellia; et ante cæteros ascetæ in sacra liturgia Eucharistiam recipiebant (citata dissertatione, pag. 124). Item, sicut virgines Deo dicabantur, sive fuscam aut pullam tunicam induendo, sive consecrationis velum ab Episcopo recipiendo, « non dissimilis (inquit Anto-
« nellus, loco citato, pag. 138 et 139) fuit ascetarum dedi-
« catio... Ipsius vestis mutatione se Deo devovebant, et asce-
« ticam vitam profitebantur; nec deerant qui, solemni prece
« adhibita, per manus Episcopi Deo dedicabantur : licet hu-
« jusmodi ascetæ rarissimi essent, quia mos iste, ut videtur,
« non ubique receptus fuerat. » Dissertationis suæ pagina 153 et sequentibus, ascetas exhibet Antonellus vitam ut plurimum ab hominum frequentia et populari tumultu segregem ducentes, in locis solitariis, sive intra civitates, sive in suburbiis aut agellis. Item voluntariam paupertatem amplexatos; ita ut vel litteraliter ab ipso ascesees suæ principio exequerentur evangelicum consilium, *si vis perfectus esse, vade, vende quæ habes et da pauperibus*; vel saltem bona sua non retinerent, nisi charitatis et misericordiæ operibus impendenda. Quo sensu sanctus Hieronymus scripsisse videtur ad S. Paulinum, asceticam vitam auspicatum : *Jam non sunt tua quæ possides, sed dispensatio tibi credita est* (epist. 58, alias 13, tomo 1 op. col. 324). Voto castitatis non minus adstrictos fuisse ascetas, quam fuere postea monachi, quamplurimis documentis pate-

Digitized by Google

facit Antonelliana dissertatio (pag. 167 et seq.). Item deditos eos fuisse asperis jejuniis, abstinentiis, chameuniis, aliisque corporis afflictationibus (ibid. pag, 180 et seq.). Ad obedientiam quod attinet, nedum exclusam eam fuisse ascetarum instituto existimet Antonellus, multa in contrarium adducit; præcipue scilicet ab ascetis observandum fuisse, ut alicujus magistri regimini sese subjicerent; pro quo et commemorat sermonis ascetici *de renuntiatione sæculi,* sancto Basilio adscripti, verba hæc: « Magnopere cura et provide ut virum tuæ vitæ tu« tissimum ducem reperias...: omnem tuam voluntatem ex« spuens et foras projiciens, huic teipsum trade... Quidquid « enim sine ipso efficitur, furtum est et sacrilegium, quod mor« tem infert, non utilitatem, tametsi tibi videatur esse bo« num. » (In Antonelliana dissert., p. 195.) Ascetas autem in duas classes distribuit Antonellus (ibid., pag. 118); *contemplativos* nempe (θεωρούς), et *activos* (πρακτικούς); quos omnes sub communi *philosophorum* nomine ideo comprehendit, quod Ecclesiæ Patribus *philosophorum* et *philosophiæ christianæ* denominationibus, ascetas ejusmodi, asceticamque vitam designare solitum sit. Tandem, quod ex documentis ecclesiasticis constet, non tantum ante sæculum quartum, sed ab ipso etiam Apostolico ævo, quamplurimos exstitisse hujusmodi ascetas, videri potest, tum in citata Antonelli dissertatione, tum apud modernos Bollandianos (*Examen... libri Mariani Verhoeven,* pag. 59 et seq.), ubi longum reperies priscorum illorum ascetarum catalogum.

Jamvero postulamus quid ejusmodi ascetis defuerit quominus veris religiosis annumerandi sint? Certe, cum in hocce instituto, et triplicis consilii evangelici votum reperiamus, et totalem Deo mancipationem, potius iis doctoribus assentiendum est, qui cum Suaresio existimarunt, totam in eo reperiri veri status religiosi rationem.

Propositio V^a^ — *Ante quartum sæculum, atque ab ipsis etiam Apostolicis temporibus veræ moniales exstitere.* — Conatus quidem est Thomassinus adstruere, tum primum floruisse sa-

Digitized by Google

crarum virginum sub communi regula viventium cœnobia, cum pax et serenitas Ecclesiæ sub Constantino Magno illuxit. Ast eum confutarunt viri eruditione præstantissimi; inter quos F. A. Mondellus, et A. J. Binterim. Contra Thomassini placitum adducit Binterim locum hunc ex actis sinceris S. Bonifacii martyris, anno 290 passi : « Beata Aglaes abrenuntiavit « mundo et pompis ejus, universa quæ habebat distribuens « egenis. Relaxans autem et universam familiam suam di- « versi sexus et ætatis a jugo servitutis, sic cum paucis puellis, « cum ea abrenuntiantibus, famulata est Christo... Supervixit « autem B. Aglaes in habitu sanctimonialis annos tredecim. » (Apud modernos Bollandianos, in citato opere *Examen libri Mariani Verhoeven*, pag. 47.) Sed Thomassini opinionem præcipue explodunt Mondellus et Binterim, ex actis sanctæ Febroniæ virginis, Sibapoli seu Nisibi in Mesopotamia martyrio coronatæ, anno circiter 304; quæ acta conscripta fuere a Thomaide sanctimoniali, oculata martyrii teste, uti Papebrochio visum est, qui ea græce et latine vulgavit (*Acta sanctorum*, junii tomo 5, pag. 17). En Thomaidis verba : « Erat autem « in oppido illo monasterium feminarum, habens quinqua- « ginta ascetrias. His præerat quædam nomine Bryene, disci- « pula olim Platonidis, ante eam diaconatu functæ, cujus tra- « ditionem et canonem ad finem usque præclare servavit. « Talis porro erat regula Platonidis. Feria sexta nulli soro- « rum erat laborandum, sed in oratorio congregabantur, ac « postquam psalmodiæ canonem absolverant, Platonis accipiens « librum, sororibus legebat divinitus inspiratas Scripturas « ad horam usque tertiam. Post tertiam vero horam tradebat « librum in manus Bryenæ, jubens eam legere sororibus « usque ad vesperam. Similiter igitur et Bryene faciebat, sus- « cepto diaconatu. Suberant autem Bryenæ duæ puellæ, quæ « ab ea recte educabantur et in ascetica versabantur palæstra. « Nomen uni Procla et nomen alteri Febronia. » Narratur postea monachas omnes Bryenæ voluntati et regimini subjectas omnino fuisse, et strictæ clausuræ ita addictas, ut præter

Digitized by Google

magnæ Dominæ assensum (hoc enim nomine Bryene vocabatur), ne propter instantem quidem persecutionem, e cœnobio pedem movere præsumerent (*Acta sanctorum*, Junii tomo 5, pag. 21, 22, 25 et 32). En certe veras, et tertii quidem sæculi, moniales. Sub finem autem eorumdem actorum narratur omnes illius loci monachos cum suo archimandrita ad sepulturam sanctæ Febroniæ convenisse; ex quo plane liquet jam tum in Mesopotamia viguisse, tam inter viros quam inter feminas, monasticam vitam. Nec dubitat Binterim, ob indicia aliunde petita, quin idem in aliis etiam regionibus obtinuerit.

Tempore sancti Cypriani, qui anno 258 martyrium passus est, floruisse virginum Deo dicatarum institutum, extra omnem controversiam facit hujus sancti Patris opusculum *de Habitu virginum*. Ex quo postquam nonnulla transcripsit Thomassinus, sic fateri cogitur : « Quibus verbis declaratur, has « Agni immortales sponsas... jam tum in unum eximium cœ« tum coaluisse, a vulgo fidelium segregatum. » (*Vetus et nova disciplina*, parte 1, l. 3, c. 42, n. 3.) Atvero ejusmodi Deo dicatas virgines, ab ipsis Ecclesiæ incunabulis exordium sumpsisse, probant eruditi documentis quamplurimis (vide citatum opus *Examen... libri Mariani Verhoeven*, Bruxellis 1847, pag. 44); a quibus adducendis abstinendum duximus, cum ipse Thomassinus rem in confesso habeat : « De virgini« bus, inquit, id primo fateri cogimur, earum institutum ipsi « Ecclesiæ coævum esse... Professio ipsa et consecratio virgi« num una cum evangelica semente statim ab exordio nominis « christiani per orbem propagari cœpit. » (*Vetus et nova disc.*, p. 1, l. 3, c. 42, n. 1.) Porro ejusmodi virgines semel Deo consecratæ perpetuo castitatis voto adstringebantur; ita ut, quæ votum illud violasset reputaretur *Christi adultera*, ut loquitur S. Cyprianus (epist. 62, pag. 103). Tenebantur quoque, ut ex Cypriani (loco cit., p. 102 et 103) et Hieronymi (epist. 22 et 130) monitis liquet, vitam ducere a virorum consortio sejunctam, sin minus in communitate, saltem intra privatas ædes; atque insuper terrenas facultates suas, vel a se abdi-

Digitized by Google

care, vel nonnisi piis operibus impendere. Item speciali obedientiæ vinculo Episcoporum regimini et auctoritati suberant (quod vide Patrum auctoritate firmatum, in citato opere *Examen... libri Mariani Verheoven*, pag. 46). Hinc Thomassinus ipse vitam illarum *religiosam* vocat (*Vetus et nova disc.*, parte 1, l. 3, c. 42, n. 7); nec videre se ait, « quid amplius « in cujusquam animo residere possit dubii, quin virgines « istæ... vere *moniales*, vere *professæ* essent, iisdemque inse- « nescerent pietatis exercitiis, quibus illæ quæ in monasteriis « instituebantur. » (Ibid. n. 18.) Equidem, sequenti capite, numero 6, parum sibi constans Thomassinus, proprie religiosam fuisse ipsarum paupertatem et obedientiam negare videtur. At prorsus immerito, atque in hoc derelinquendus.

PROPOSITIO VI^a^ — *Apostolicis temporibus coævos religiosos etsi monumenta historica aperte non testarentur, ex ipsa tamen Ecclesiæ a Christo institutæ natura concludendum foret.* — Nam a Christo ita institutam fuisse Ecclesiam ut sanctitatis nota perpetuo micare deberet, atque ex illa nota distingui, est certa apud catholicos doctrina, quam in dubium vocare nefas est. Jam vero notam illam sanctitatis communiter intelligunt theologi eo sensu, quod semper in vera Christi Ecclesia reperiri debeat exercitium, non *essentialis* duntaxat, seu quæ ad salutem consequendam sufficiat, sanctitatis, sed etiam illius sanctitatis quæ *perfectio* dicitur; quæ scilicet consiliorum etiam evangelicorum observantiam, cum plena sui mancipatione in Dei obsequium complectatur. Sed ejusmodi sanctitas religiosum statum comprehendit. Ergo in Ecclesia Christi quolibet tempore existere debuerunt, et usque ad finem mundi existent veri religiosi. Ergo ipsis etiam Apostolicis temporibus veros exstitisse religiosos admittendum est.

§ III.

Diluuntur præcipuæ quædam difficultates.

PROPOSITIO I^a^. — *Sanctus Athanasius non dixit, sanctum*

Digitized by Google

Antonium fuisse monasticæ vitæ auctorem, sed duntaxat fuisse primum ex illis monachis QUI EREMUM INCOLUERUNT. — Auctores nonnulli, ut probent monasticum institutum quarto duntaxat sæculo incepisse, sanctum Athanasium in testem adducunt, tanquam qui aperte tradiderit, monachorum primum fuisse S. Antonium. Imo quidam, pro una eademque re habentes *religiosam* et *monasticam* vitam, eadem sancti Athanasii auctoritate nituntur, ut nullos ante quartum sæculum extitisse religiosos concludant. Hi porro scriptores ad S. Athanasii textum non satis attendentes prorsus hallucinati sunt.

In vita nempe sancti Antonii, quam scripsit S. Athanasius (operum S. Athanasii, tomo I, pag. 795 et 796), narratur primo quomodo Antonius, anno ætatis circiter vigesimo, avitis possessionibus sese exuerit, et non procul a domo sua *ascesi* operam dare cœperit. Tum sanctus Athanasius ita subjungit : « Nondum enim *tam crebra* erant in Ægypto *monasteria*, ne- « que ullus omnino *monachus* noverat *vastam eremum;* sed « quisquis sibi vacare cuperet, is haud procul a suo vico soli- « tarie se exercebat. » Refert postea sanctum juvenem antiquorum asceteria aliquando obiisse; ac deinde remotius a vico suo in sepulchrum quoddam secessisse; ex quo dæmoni incussus metus, ne Antonius *eremum ascesi impleret*. Inde autem (circa annum 285) progressum esse Antonium in montem, ibique reperisse castellum desertum, in quo vigiati circiter annis ascesim agens habitavit, bis solummodo singulis annis panes ad sex menses per supernam domicilii sui partem accipiens, nec nisi raro visus ab aliquo (loco citato, pag. 798 ad 807).

Tandem subjungit S. Athanasius in hunc modum : « Cupien- « tibus multis ascesim ejus imitari, aliisque familiaribus acce- « dentibus, vi confractis ac depulsis foribus, exiit Antonius « tanquam ex adyto quodam initiatus ac numine correptus; « et tunc primum extra castellum visus est ab adventantibus... « Multos Dominus per eum sanavit, et alios a dæmonibus pur- « gavit.... Multis persuasit ut *solitariam* eligerent vitam; « atque ita demum facta sunt *etiam in montibus monasteria*, et

Digitized by Google

« *eremus* habitata est a monachis, qui, rebus suis relictis, cœ-
« lesti instituto nomen dabant. » (Loco citato, pag. 807 et 808.)

Porro ex hac S. Athanasii narratione tria constant : 1° Ante S. Antonium exstitisse in Ægypto *monasteria*, licet non *tam crebra*; 2° Solitos fuisse *monachos* seu *ascetas* (nam utrumque vocabulum promiscue adhibet S. Patriarcha Alexandrinus) degere prope vicos, non autem in eremo, seu in desertis locis; 3° Antonio auctore primum facta fuisse *etiam in montibus monasteria*, et incepisse *eremum* a *monachis habitari*. Unde meridiana luce clarius est, induci ab Athanasio Antonium, non tanquam auctorem *monasticæ vitæ*, sed duntaxat tanquam auctorem monasticæ vitæ *in eremo transactæ*. Atque ita intellecta est sancti Athanasii narratio ab eruditissimis viris Bollando, Tillemontio, Natali Alexandro, aliisque pluribus, prout videre est in opere modernorum Bollandianorum, cui titulus, *Examen libri Mariani Verhoeven* (pag. 66, edit. Bruxellis, 1847). Et, quod magis est, eodem modo narrationem hanc intellexit Evagrius, ipsimet sancto Athanasio coævus; si quidem in transcriptis sancti Præsulis verbis, non monasticæ vitæ ortum, sed *habitandæ eremi exordium* deprehendit (opera S. Athanasii, tomo 1, pag. 808). Unde nedum S. Athanasii dicta probent religiosum statum, aut monasticam vitam quarto sæculo, sancto Antonio auctore, incepisse, contrarium aperte evincunt.

Nota. — Quod sancti Antonii institutum fuerit *anachoreticum*, non autem *cœnobiticum*, seu cum forma communis sub eodem tecto et superiore vitæ, probatum vide in citato opere (*Examem... libri Mariani Verhoeven*, pagina 70).

PROPOSITIO II^a^. — *Verba hæc sancti Hieronymi*, HUJUS VITÆ AUCTOR PAULUS, ILLUSTRATOR ANTONIUS, *nequaquam dicta sunt de vita religiosa, nec generatim de vita monastica, sed duntaxat de vita illorum anachoretarum*, QUI SOLI HABITANT PER DESERTA. — Sic habet sanctus doctor, in vita sancti Pauli eremitæ (operum tomo 2, col. 1, 2 et 3) : « Inter multos sæpe dubita-
« tum est a quo potissimum monachorum *eremus* habitari
« cœpta sit. Quidam enim altius repetentes, ab Elia et Joanne

Digitized by Google

« sumpsere principium ; quorum Elias plus nobis videtur fuisse « quam monachus ; et Joannes ante prophetare cœpisse quam « natus sit. Alii autem (in quam opinionem vulgus omne con- « sentit) asserunt Antonium hujus propositi caput ; quod ex « parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit quam « ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas vero et Maca- « rius, discipuli Antonii, e quibus superior magistri corpus « sepelivit, etiam nunc affirmant Paulum quemdam Thebæum « principem istius rei fuisse, non nominis : quam opinionem « nos quoque probamus... Igitur quia de Antonio tam græco « quam romano stylo diligenter memoriæ traditum est, pauca « de Pauli principio et fine scribere disposui, magis quia res « omissa erat quam fretus ingenio. » Attendat lector, ibi moveri quæstionem, non quis religiosam aut monasticam vi- tam instituerit, sed *a quo monachorum eremus habitari cœpta sit.* Agitur nempe duntaxat de exordio illius speciei anachoreta- rum, qui *eremum* incolebant. Quod magis adhuc patet ex ejusdem Hieronymi epistola ad sanctam Eustochium virginem (epist. 22, tomo 2 operum, pag. 118 et 119), in qua tria in Ægypto monachorum genera memorat, et distinguit in hunc modum : « Unum *cœnobitæ*, quod illi *sauses* gentili lingua « vocant, nos *in commune viventes* possumus appellare. Secun- « dum *anachoretæ*, qui soli habitant per deserta, et ab eo « quod procul ab hominibus recesserint nuncupantur. Tertium « genus est quod *remoboth* dicunt, deterrimum atque negle- « ctum, et quod in nostra provincia aut solum aut primum « est. Hi bini vel terni, nec multo plures simul habitant, suo « arbitratu ac ditione viventes ; et de eo quod laboraverint, in « medium partes conferunt, ut habeant alimenta communia. « Habitant autem quamplurimum in urbibus aut castellis ; et « quasi ars sit sancta, non vita, quidquid vendiderint, majoris « est pretii. » Ibi sanctus doctor monachos illos, qui *remoboth* dicebantur, acri vituperio, propter degeneres eorum mores, percellit : *cœnobitas* e contra laudibus prosequitur, et tan- dem ad anachoretarum classem sermonem convertens, sic

Digitized by Google

habet : « Ad tertium genus veniam, quos *anachoretas* vocant ; « qui et de cœnobiis exeuntes, excepto pane et sale, ad de- « serta nihil perferunt amplius. *Hujus vitæ auctor Paulus, il-* « *lustrator Antonius ;* et, ut ad superiora conscendam, prin- « ceps Joannes Baptista fuit. » Advertat lector voces illas *hujus vitæ*, referri ad tertium, quod describit, genus, nempe *ana- choretarum qui soli habitant per deserta ;* nequaquam autem ad duo alia genera, *cœnobitarum* scilicet, et *remoboth*. Unde prorsus errant qui putant ab Hieronymo induci Paulum tan- quam *auctorem*, Antonium tanquam *illustratorem* vitæ cujus- libet monasticæ aut religiosæ. Id ab Hieronymo fuit dictum, non de vita monastica aut religiosa *in genere*, sed expresse de *particulari* monachorum classi ; illorum nempe qui in *eremo* vitam degebant, quique *anachoretæ* vocabantur, et quos ipse- met Hieronymus expressis terminis distinguit a duobus aliis monachorum in Ægypto existentium generibus ; *cœnobitis* nempe, seu in commune viventibus, et *remoboth*, qui bini vel terni in urbibus et castellis degebant. Quod plane concordat cum supra allato sancti Athanasii textu.

PROPOSITIO III^a^. — *Ergo deserendus est Thomassinus, qui vitæ monasticæ originem repetit a sanctis Paulo, Antonio et Hilarione.* — Auctor ille (*Vetus et nova discip.*, p. 1, l. 3, c. 12) suam hac de re sententiam sic exprimit : « In oriente Paulus, An- « tonius et Hilarion vitæ ac professioni monasticæ originem « dedere. » (In ipso titulo citati capitis 12.) Hoc ut probet, mutilum adducit supra a nobis allatum sancti Hieronymi textum, ex epistola ad virginem Eustochium ; supprimendo nempe eam partem, qua sanctus doctor triplex monachorum genus distinguit. Ex qua suppressione fit ut, dum subjicit phrasim illam, *hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius*, decipiatur lector, putando voces illas *hujus vitæ* referri ad totam in genere monasticam vitam. Cum ergo hoc falso sup- posito nitatur præcipua Thomassini probatio (nam cætera ejus argumenta aperte insufficientia sunt), non est cur lector hujus scriptoris auctoritati deferendum existimet. » Sit magnus

Digitized by Google

« licet scriptor Thomassinus, aiunt recentiores Bollandiani, « agnoscendum certe est eum jejune admodum versatum « fuisse in explorando vitæ instituto virorum per prima Ec- « clesiæ sæcula Deo devotorum, nec fere nisi ad refellendum « Cassianum. » (*Examen libri Mariani Verhoeven*, pag. 48 et 49.) Adeo dictis Bollandianis visus est Thomassinus a vero aberrasse in nonnullis, verbi gratia, in quæstione de regularium privilegiis, « ut sine ullo fere labore (*sunt ipsorum verba*) « *ducenti* saltem hujuscemodi errores in hoc solo de privile- « giis tractatu indicari possent. » (Opere citato, pag. 158). Atque id de Thomassino hic adnotandum duximus; quia multi, ob ejus præcipue (ne dicam unice) auctoritatem, opinionem illam, de exorta quarto duntaxat sæculo monastica aut etiam religiosa vita amplexati videntur. A qua certe, vel ob sola supra allata sanctæ Febroniæ martyris acta, recedere deberent; cum ex illis plene constet, monachos et moniales tertio sæculo in Mesopotamia exstitisse.

Digitized by Google

SECTIO V.

De religiosi status excellentia, et ejusdem in Ecclesia indefectibilitate.

Dictum est superioribus sectionibus de religiosi status natura et origine. Ad quoddam autem hujusce notionis complementum, hic nunc de divina illa institutione exquirendum venit, quo sit loco et pretio habenda, et num militantis Ecclesiæ integrantem (ut sic dicam) partem ita constituat, ut nunquam in ea deficere possit.

CAPUT I.

DE STATUS RELIGIOSI EXCELLENTIA *(remissive)*.

Ab evolvenda religiosi status excellentia multiplex me ratio deterruit, atque in id consilii induxit, ut lectorem potius ad eximias, quæ de hac re plures exstant, tractationes remitterem. Pertinet quippe disceptatio hæc ad asceticam magis quam ad canonicam disciplinam. Aliunde, pro argumenti amplitudine et gravitate, majorem sibi deposcebat paginarum numerum, quam feruut hujus nostri tractatus statuti limites. Demum adeo præstans hæc religiosi status militia, adeo cœlestis illa in terris degentium hominum conditio, ut pertimuerim, ne oscitanti ac nimium contracta oratione, eam potius obscurarem quam patefacerem. Adeat ergo lector flammea divi Bernardi verba : adeat aureas cæterorum Patrum sententias, necnon asceticorum scriptorum tractationes. Ad meam quod attinet

Digitized by Google

hac de re existimationem, uno verbo aperiam : militantis Ecclesiæ gemma religiosus status.

CAPUT II.

ESSE STATUM RELIGIOSUM IN ECCLESIA INDEFECTIBILEM : CLERUM VERO SÆCULAREM HAUD DICI POSSE IN ECCLESIA NECESSARIUM.

Exponemus primo errorem eorum qui sæcularem clerum necessarium in Ecclesia existimant, religiosis vero eam carere posse pronuntiant. Tum explodemus absonam illam de cleri sæcularis necessitate opinationem. Tandem ostendemus eam esse religiosi status institutionem, ut nunquam in Ecclesia deficere possit.

§ I.

Exponitur modernorum quorumdam error, assereus religiosis quidem Ecclesiam carere posse, at sæculari clero minime.

Utinam larvas somniarem, cum ejusmodi errorem commemoro! Ast mihi compertum est non paucorum capita invasisse persuasionem hanc, esse religiosorum militiam aliquid in Ecclesia adventitium ac superadditum, aliis quidem temporibus utile, aliis vero supervacaneum; totam absque statu religioso perstare posse Ecclesiæ integritatem, ut adeo iis Ecclesia nequaquam indigeat, sed bene carere possit; proinde a rerum et temporum circumstantiis pendere, num conservari statum religiosum expediat, an vero eum penitus exstingui ac de medio tolli. Atque ut verba ipsa, quæ identidem usurpari solent exhibeam : *Les ordres religieux,* inquiunt, *sont une superfétation dans l'Eglise : ils sont un baton dans les roues de l'Épiscopat.*

Clerum vero sæcularem ad Ecclesiæ integritatem atque

Digitized by Google

essentiam referunt. Hoc, aiunt, Ecclesia carere nequit; quia eo deficiente ipsa Ecclesia deficeret, quæ tamen nunquam deficere potest. Hæc ego cum resciverim, non a Protestantibus aut Jansenistis, sed a catholicis, imo et ecclesiasticis viris dictitari ac pro inconcussis admitti, non abs re fore arbitratus sum tam absonum errorem paucis refellere.

§ II.

Refellitur error de necessario sæculari clero.

Quod necessarius sit, nec unquam in Ecclesia deficere possit clerus, extra quæstionem est. Ecclesiasticam hierarchiam instituit Christus, *Episcopis, presbyteris et ministris* constantem, prout definivit Tridentina synodus. Item ad divinam Ecclesiæ institutionem pertinet ut a supremo Pastore, Christi in terris vicario, regatur. Cumque hæc Christi institutio usque ad finem mundi sit duratura, nec ullis unquam inferorum conatibus evertenda, haud dubium quin semper exstituri sint Episcopi, presbyteri et ministri. Proinde nec unquam in Ecclesia potest clerus deficere.

At quæstio est, an necesse sit clerum *sæcularem* esse. Id asserunt memoratæ opinionis patroni. Id nos prorsus absonum dicimus. Contendimus nempe totam perstare posse Ecclesiæ integritatem, etiamsi universus Clerus *regularis* foret, et nullus in mundo existeret sæcularis clericus.

Ad quod patefaciendum duo requiruntur et sufficiunt: 1.° ut regulares possint, non minus quam sæculares, fieri diaconi, presbyteri, Episcopi et Summi Pontifices: 2.° ut propria clericorum officia omnia valeant a regularibus in Ecclesia expleri. Atqui hæc duo certa sunt. Et 1° quidem, posse regulares in subdiaconos, diaconos et presbyteros ordinari, nemo, nisi mente captus, inficias ibit. Item ad Episcopatum evehi posse regularem presbyterum, quin religiosi status conditionem amittat, extra controversiam est.

Digitized by Google

2° Ad officia quod attinet clericorum propria, quodnam est quod nequeat a regulari, tam bene (cæteris paribus), imo melius, quam a sæculari clerico expleri? Nunquid ex eo quod presbyter regularis sit, prædicationis munus et sacramentorum ministrationem minus recte obibit? Nunquid religiosus, parochiæ regimini præpositus (prout præfici posse infra fuse probamus), hocce munere perperam fungetur, eo quod non tantum præcepta, sed et consilia evangelica observanda voverit? Canonicorum collegia regularia esse quid vetat? Nonne ad Episcopatum, Cardinalatum, Summum Pontificatum regularis æque ac sæcularis evehi potest?

Cum ergo religiosus status nec sacerdotium excludat, nec sacerdotalia seu clericalia officia, quid prohibet quin clerici omnes simul sint religiosi? Nec objiciatur, exigere statum religiosum ut, qui semel nomen ei dederunt, a negotiis abstineant et orationi ac silentio perpetuo vacent; proinde ipsis haud committenda parochorum et Episcoporum munera. Id quidem perpetuo Jansenistæ clamitabant : sed perquam absone : aliquibus status religiosi formis seu regulis proprium est ut silentio et orationi perpetuo incumbant, concedo : ipsimet statui religioso, nego. Alii nempe religiosi ordines contemplativam vitam sectantur, alii activam, alii mixtam. Qui mere contemplativam vitam ex proprio instituto sibi proposuerunt, utique debent a prædicationibus, parochialibusque et similibus muniis abstinere. Alii vero qui ad vitam *activam* seu apostolicam instituti sunt, munia ad promovendam animarum salutem apta perperam omitterent, ut silentio et orationi sine intermissione vacarent. Quod et cum proportione dicendum de iis qui *mixtam* vitam profitentur, ut patet. Ergo status religiosus, *ex essentia sua*, nequaquam excludit sacerdotium aut sacerdotalia munia; sed dum ea munia excludit aliqua status religiosi forma seu regula, aliæ nequaquam excludunt. Ergo revera possunt clericalia munia per religiosos exerceri. Ergo necesse non est ut clerici sint *seculares*.

Fingamus nunc hypothesim, nullum in mundo exstare se-

Digitized by Google

cularem clericum; in Petri scilicet cathedra sedere monachum : item e religiosis familiis assumptos Episcopos omnes; quorum unusquisque, prout olim S. Eusebius Vercellensis, *eosdem constituat clericos quos monachos*. In hac, inquam, hypothesi, quid Ecclesiæ deesset? Haberet Summum Pontificem : haberet Cardinales, Episcopos, canonicos, parochos, prædicatores : haberet presbyteros, diaconos et subdiaconos. Id tantum cum statu præsenti discriminis intercederet, quod cum nunc pauci ex illis consiliorum evangelicorum observantiam voverint, omnes tunc hac adjecta perfectione ministerium suum condecorarent. Profecto si quando contingeret hypothesim illam verificari, ingentes Deo agendæ forent gratiæ, et *Te Deum* in universo mundo decantandum. Unde tandem *sæcularitas* in clericis, non necessaria, sed permissa : de se autem melior in iisdem regularis conditio.

§ III.

Lege ecclesiastica clerum sæcularem supprimi, absolute non repugnat.

Divino quidem jure nequaquam statutum est, ut tenerentur diaconi, presbyteri et Episcopi perpetuum paupertatis, castitatis et obedientiæ votum emittere, seu ut *regulares* esse deberent. Atvero ex eo quod Christus id non statuerit, non sequitur ab Ecclesia legem hanc edici non posse. Imo id ex parte præstitit Ecclesia, votum castitatis majoribus ordinibus annectendo. Per se autem non repugnat, simili præcepto adstringi clericos, in suscipiendis majoribus ordinibus, ad vovendam etiam paupertatem et obedientiam; seu non repugnat statui ab Ecclesia, ut nullus jam in subdiaconum ordinetur, nisi qui vitam religiosam simul profiteatur.

Nec objicias, probabiliter nunquam eventurum, ut Ecclesia id opportunum existimet. Esto nunquam opportunum existimet Ecclesia disciplinam hanc inducere. Quæstio est, num in se et absolute repugnet hæc totius cleri sæcularis in regula-

Digitized by Google

rem transmutatio. Certe pravum nemo dixerit sancti Eusebii Vercellensis consilium, *eosdem clericos* constituendi *quos monachos*. Quod si bona in una diœcesi institutio hæc, per se saltem et intrinsece noxia non est. Ergo supprimi omnino cleri *sæcularitatem*, per se et absolute non repugnat; prorsusque hallucinantur qui sæcularitatem illam ad Ecclesiæ integritatem referunt, et eo sensu necessarium sæcularem clerum pronuntiant.

§ IV.

Status religiosus est in Ecclesia indefectibilis.

Nam Ecclesia absque nota sanctitatis stare nequit : sanctitatis nota vicissim stare nequit absque publica evangelicorum consiliorum professione : hæc autem consiliorum publica professio nonnisi per statum religiosum dari potest : ergo Ecclesia religioso statu carere nequit, seu indefectibilis in Ecclesia est religiosus status.

1° Ad essentialem Ecclesiæ institutionem pertinere sanctitatis notam, in theologicis de Ecclesia tractatibus probari solet : hic autem certum supponimus, et extra omnem controversiam positum.

2° Dicta sanctitatis nota intelligenda est, non tantum eo sensu quod semper in ipsa futuri sint homines, qui, præter præceptorum observantiam, consiliorum etiam perfectionem sectentur, sed insuper eo sensu quod ejusmodi evangelicæ perfectionis exercitium semper in Ecclesia permansurum sit cum forma *status* seu *professionis publicæ*. Publica enim evangelicæ perfectionis professio auctorem et institutorem habuit Christum Dominum, ut supra probatum est. Quod autem in Ecclesia sua Christus instituit, deperire non sinit; sed providentia sua sustinet atque permanenter conservat. Semper ergo in Ecclesia splendescet publica illa consiliorum evangelicorum professio. Aliunde, cum ex dicta professione, utpote

Digitized by Google

publica, potissimum emicet Ecclesiæ sanctitas, si quando id decoris Ecclesia deperderet, imminueretur sanctitatis ejus splendor.

3° Publica autem evangelicæ perfectionis professio, proprie et complete stare nequit nisi per statum religiosum. Etenim stare nequit absque castitatis, paupertatis et obedientiæ observantia, voto firmata. Sed religiosi status essentia in hoc triplici voto consistit. Ergo revera publica consiliorum evangelicorum professio, nonnisi in statu religioso et per statum religiosum stare potest. Hinc patet quam absone dicatur, necessarios esse in Ecclesia *sæculares* clericos, statum autem religiosum minime. Falsa utraque pars affirmationis. Dicendum nempe, haud necessarium esse ut clerici sint *sæculares*, quia si regulares forent clerici omnes, non pejus, sed melius (per se loquendo) sese haberet Ecclesia. Neque instituit unquam Christus, aut præcepit, aut hortatus est, ut clerici forent *sæculares*. E contra statum religiosum instituit; qui adeo censendus est in Ecclesia perenniter permansurus. Permissa, non necessaria in clericis *sæcularitas;* et ideo permissa, quia Christus statum religiosum, non præcipiendo, sed suadendo instituit.

Nota. — Cum dicimus indefectibilem in Ecclesia esse statum religiosum, id intelligendum non est de ulla in particulari religiosæ vitæ forma; sed eo sensu quod nunquam eventurum sit, ut omnes simul religiosi status formæ supprimantur aut deficiant. Hinc de unoquoque religioso instituto, singulariter sumpto, indefectibilitatem nequaquam asserimus, sed de ipsomet religioso statu. Potest nimirum quælibet religiosi status particularis forma deficere, ac a Romano Pontifice supprimi : non tamen ita ut omnibus simul formis, seu ipsomet religioso statu Ecclesia careat.

Scholium I. — *De nonnullorum opinione, qui tenent antiqua regularium instituta nostris jam temporibus non esse accommodata, nec Ecclesiæ utilia.* — Erroneam illam opinionem breviter hic perstringendam duximus; eo vel magis quod cum

Digitized by Google

nonnullis etiam incautis catholicis menti insederit, haud prava in praxi nocumenta excitare facile valeat.

Suum (aiunt) tempus ordines illi expleverunt (*ils ont fait leur temps*); vixque eos jam modernorum populorum mores patiuntur. Hujus ego asserti rationes exquirens, nullam quæ serio obtendi valeat, potui perspicere. Imo ipsi qui objiciuntur modernorum populorum mores utiliora ejusmodi regularium instituta arguunt.

Quid enim hodiernis populis proprium, si cum superiorum temporum moribus conferantur? Multo latius diffusa hæresis, incredulitas, et de rebus ad salutem animæ pertinentibus incuria: apud ipsos catholicos minus vivida fides: major sensualium voluptatum inhiatio: profundior in res terrenas vitæ intellectualis immersio. At vel ex istis morbis utiliora profecto, sive antiquiora, sive recentiora regularium instituta. Quod, ut pateat, varias ejusmodi institutorum classes tantisper recenseamus.

Vitæ contemplativæ addictos ordines, verbi gratia Carthusianos, cur (quæso) de medio hodie tollendos asseris? An hodie minus quam olim ipsis religiosis prosunt jejunia, silentium, austeritas, divini officii decantatio, angelica demum orationis et solitudinis vita? An minus hodie quam olim Ecclesiæ utiles, qui sicut Moyses, in monte brachia ad Deum attollentes, deorsum pugnantibus victoriam impetrent? Num ad excitandos e materialismi lethargia populos validus clamor hodie non erit stupendum illud virorum, sæculi divitiis et voluptatibus valedicentium, et ad perpetua eremi silentia confugientium, exemplum?

Jam si de iis agatur, qui aut mixtam vitam sectantur, veluti Benedictinæ familiæ plures, Cistercienses, Carmelitani; aut activam seu apostolicam, ut Præmonstratenses, Franciscani, Dominicani et Jesuitæ; quid, oro, occurrit, ex quo minus hodie quam anteactis temporibus utiles existimandi sint? An hos ideo arcendos putas, quod sæculares sacerdotes magis aptos censeas convertendis et pietate informandis mo-

Digitized by Google

dernis populis? At toto cœlo erras : nam et hodierni populi religiosos majori veneratione prosequuntur; et majori profecto virtute ad munus apostolicum recte exequendum pollent, qui reliquerunt omnia ut Christum sequerentur. Jesuitas definiebat modernus quidam, *sacerdotes in superlativo* (ce sont des prêtres au superlatif). Si variorum ordinum regulares cum sæcularibus sacerdotibus relative ad sacri ministerii exercitium conferas, nihil aliud discriminis reperies (attenta propria utriusque status aptitudine) quam quod religiosi *sacerdotes in superlativo* existant. Atque id a modernis populis non minus quam ab antiquis bene dignosci experientia testatur. Ubicunque enim exstant regulares, libentius ad eos quam ad sæculares presbyteros fideles recurrunt.

Quod si amotos cupias antiquos regularium ordines, ut novos substituas, hodiernis moribus magis accommodatos, iterum inania mihi videris persequi. Isti enim novi ordines tria perpetua vota, sicut antiqui, habebunt : alias a status religiosi essentia deficerent. Item aut contemplativæ, aut mixtæ, aut activæ vitæ addicentur; in quo adhuc nihil novum. Item in novis ordinibus sancienda erit prælatis obediendi lex, certa quædam vitæ asperitas, et variorum pro cujusque instituti fine exercitiorum ordinatio. Sed et hoc antiqui ordines mirabili sapientia dispositum possident. Utique excitari possunt novi ordines Ecclesiæ valde utiles : ast inde non sequitur utiles haud esse antiquos, aut modernis populorum moribus haud accommodatos.

Ast, inquis, offendunt modernorum oculos, externa illa vetustiorum ordinum asperitas, vestium squalor, pedum nuditas, et aliæ similes, ex quibus facile vilescunt, observantiæ. Ast ego hunc ipsum vivendi rigorem, qui vel ex visu mundi stultitiam et pravitatem arguit, hodie potissimum utilem et necessarium existimo. Et plane assentio reverendo Guillelmo Faber, qui de aptissimo reducendæ ad fidem catholicam Angliæ medio, hæc nuper adnotabat :

« Pour moi, je crois fermement que si l'Angleterre doit

Digitized by Google

jamais être convertie (conversion qu'on espère sans en voir les signes), elle le sera par un ou plusieurs ordres religieux, qui offriront à un peuple dégradé par le vice le spectacle de la pauvreté évangélique dans toute la splendeur de sa sévérité. La nation qui a oublié le Christ doit d'abord revenir se presser autour de Jean-Baptiste, qui l'attirera sur les bords du Jourdain par le simple attrait d'une rigueur surnaturelle et d'une antique austérité. On trouvera sans doute ailleurs de puissants secours : l'intelligence, l'érudition, l'éloquence, les belles œuvres de la charité catholique, une prédication persévérante, simple et apostolique, prêteront leur concours. Mais le grand œuvre (s'il entre dans les desseins de Dieu qu'il soit jamais accompli), le grand œuvre est le triomphe réservé dans ce pays à la pauvreté évangélique. » (*Progrès de l'âme.* par William Faber, prêtre de l'Oratoire de Londres, traduit de l'anglais; Paris, 1856, t. 1, p. 197.)

Scholium II. — *An ii ordines, qui primævam instituti sui integritatem haud conservarunt, exiguæ in Ecclesia utilitatis censendi sint?* — Duobus modis intelligi potest aliquis religiosus ordo a primævo instituti sui rigore defecisse : vel quia rigor ille in nonnullis, sive auctoritate Pontificia, sive per legitime præscriptam consuetudinem, moderatus fuit; vel quia regulares illi, sanctæ vocationis suæ immemores, et nec primævam, nec legitime moderatam regulam servantes, sæcularium se pravis moribus et vitiis commaculant.

Quod posterioris speciei ordines ac conventus (si qui unquam, quod avertat Deus, tales evadant) haud sint in Ecclesia utiles, satis per se patet. Aut reformandos, aut supprimendos istiusmodi degeneres conventus omnino conceditur. Adnotatum autem velim, haud degenerem censendum esse ipsum religiosum ordinem, ex eo quod unum aut alterum ipsius in aliqua regione monasterium a regulari sanctimonia misere defecerint. Facile siquidem contingere potest, ut aliquis ordo virtutum et apostolicorum operum nitore quam maxime in Ecclesia splendeat, et nihilominus aliquot interim

Digitized by Google

ipsius hinc inde monasteria, ex temporum et locorum iniquitate, supradicta lue tabescant. Haud ergo legitima in hoc casu a membris (seu conventibus aliquot) ad corpus seu totum ordinem illatio.

Prætermissis igitur ordinibus, qui collapsæ generaliter disciplinæ regularis vitio laborarent, quæstionem hic de iis duntaxat movemus, qui, etsi non primævam, legitime tamen moderatam regulam fideliter exsequentes, in divino sese famulatu laudabiliter exercent.

Hos dicimus in Ecclesia valde utiles esse censendos. Quidni enim? Regula illa, quam quisque ordinem ingrediens sibi amplectendam proponit, annon in se ipsa bona est? Fuit hoc modo (ex hypothesi) legitime determinata : essentiam status religiosi continet : ad magnam inducendam perfectionem de se apta est. — At, inquis, a rigore illo deficit, qui fuit a fundatore initio sancitus. — Esto : at concedas necesse est optimum dari posse institutum altero minus rigidum. Neque sancti fundatores eumdem omnino rigoris gradum constitutionibus suis inducendum existimarunt. Regula ergo illa quæ, relative ad primævam, *remissa* dicitur et est, in se tamen bona est; neque remissa vocaretur, si ab ipsis exordiis ab aliquo sancto fundatore hoc modo determinata fuisset.

Conclusionem confirmat Ecclesiæ praxis. Non enim ejusmodi ordines, seu ordinum exortos temporum tractu ramos, amputandos duxit ; sed eos fovet, laudibusque ac gratiis prosequitur. Imo in quibusdam, ipsa decernente Ecclesia (habita, temporum et locorum ratione) inducta primum est antiqui rigoris remissio atque moderatio. Qui *mitigatos* (ut vocari solent) ejusmodi ordines flocci facit, videat ne Ecclesia sapientiorem se faciat.

Conclusionem insuper confirmat experientia. Ex iis enim, etsi *mitigatis*, ordinibus, innumeri prodiere, sermone et opere potentes viri, qui scientiæ et virtutis suæ splendore Ecclesiam illustrarunt. Imo beatorum et sanctorum albo adscripti multi.

Digitized by Google

Et tandem, pro ea qua pollet, ob expressam Ecclesiæ approbationem, sanctæ Theresiæ doctrina, haud parvi momenti est quod ipsa hac de re sensit, seu potius sibi a Christo dictum scripto reliquit. Cum nempe ordinis Carmeli reformationem animo revolveret, et difficultatibus perterrita ab inchoando primo ejusmodi conventu non parum refugeret, edoctam se a Christo narrat in hunc modum : « Un jour, au « moment où je venais de communier, Notre-Seigneur me « commanda expressément de m'employer de toutes mes « forces à l'établissement de ce monastère, me donnant la « formelle assurance qu'il réussirait, et que la ferveur avec « laquelle il y serait servi lui procurerait beauconp de gloire. « Il voulait qu'il fût dédié sous le nom de saint Joseph. « Cette maison serait une étoile qui jetterait une grande « splendeur. *Quoique les ordres religieux n'eussent point leur « ferveur première, je ne devais pas croire qu'il en tirât peu de « gloire, ni peu de service : et que deviendrait le monde, s'il n'y « avait pas de religieux?* Enfin il m'ordonnait de déclarer à « mon confesseur le commandement qu'il venait de me « faire (1). » Sint et præsenti de status religiosi excellentia sectioni pro coronide verba hæc, nullius non veneratione et meditatione digna : *Que deviendrait le monde, s'il n'y avait pas de religieux?*

(1) *Œuvres de sainte Thérèse, traduites d'après les manuscrits originaux par le R. P. Marcel Bouix, de la Compagnie de Jésus*, tom. 1, pag. 454, édit. 1852.

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS II

DE

CANONICA NORMA NOVAS ERIGENDI

RELIGIOSAS FAMILIAS, NOVOSQUE EARUMDEM CONVENTUS.

Cum ad status religiosi essentiam pertineat ut sit *perfectionis status*, nequaquam autem perfectionis statui accensendæ sint eæ societates seu congregationes, quæ contrariam Ecclesiæ legibus vivendi normam sibi statuerent, consequens est ut nequeant veri regulares a falsis distingui, nisi præcognita ecclesiastica lege de recte erigendis novis religiosis familiis, novisque earum cœtibus. Hinc præmissæ de status religiosi natura et origine disceptationi, proxime subjungenda visa est illa maximi momenti notio, de canonica religiosorum institutorum erectione, necnon eorumdem, per novas domorum seu conventuum fundationes, propagatione.

Digitized by Google

SECTIO I.

Norma canonica novum institutum religiosum erigendi.

Hanc magni momenti quæstionem expediemus hoc ordine: 1° Determinabimus quo sensu intelligendæ sint voces, *institutum religiosum*, *religio*, *congregatio regularis*, *regulæ*, *constitutiones*, *approbatio*; 2° agemus de celebri ecclesiastica lege, qua prohibitum est ne quis novam religionem adinveniat, et quid juris ex ea sequatur expendemus; 3° idem peragemus quoad legem, qua prohibitæ sunt quælibet congregationes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium; 4° exquiremus qualis requiratur et dari soleat Sedis Apostolicæ approbatio; 5° dicemus de hujus approbationis infallibilitate.

CAPUT I.

DETERMINATUR SENSUS NONNULLARUM DENOMINATIONUM, QUÆ IN PRÆSENTI MATERIA USURPARI SOLENT.

I. *Quomodo intelligendæ sint denominationes* RELIGIONIS *et* CONGREGATIONIS RELIGIOSÆ, *et quodnam inter hæc duo discrimen admittendum.* — Fatendum est voces illas reperiri variis sensibus usurpatas apud varios auctores, imo et frequenter ab uno eodemque scriptore; præsertim ubi materia quam tractant non exigit adeo accuratum loquendi modum. Aliquando scilicet promiscue et tanquam synonymæ ab ipsis adhibentur locutiones istæ, *religiones, ordines religiosi, religiosæ congrega-*

Digitized by Google

tiones, religiosa instituta : aliquando vero diversum iisdem vocibus sensum affigunt.

In præsenti autem materia omnino necesse est, ad vitandam confusionem, præcipue quoad voces *religio* et *congregatio religiosa,* sensum aliquem determinatum præstatuere. Et hanc quidem determinationem nos putamus posse fieri ex auctoritate ; sumendo nempe pro norma stylum a curia Romana et a Romanis Pontificibus adhiberi solitum. Si quis tamen id non concedat, saltem affixum a nobis dictis vocibus sensum accipiat, tanquam conventionalem, pro intelligenda disceptatione nostra. Duas ergo præfatas locutiones dicimus esse intelligendas, aut saltem a nobis intelligi, in hunc modum :

Per RELIGIONES, *seu quod idem est, per religiones stricte dictas, seu formales, intelligenda sunt instituta, quæ essentiam status religiosi habent, cum votis solemnibus : per* CONGREGATIONES *autem* RELIGIOSAS, *intelligenda sunt instituta, quæ essentiam status religiosi habent, sed cum votis duntaxat simplicibus.*

Hanc acceptionem non esse arbitrariam evincitur ex documentis sequentibus :

In Indiis Occidentalibus confraternitas quædam, *Bethlemitarum* nuncupata, initium sumpsit circa annum 1653, a viro Dei Petro Betancour, pauperum in hospitalibus ægrotantium levamini addicta. A sede Apostolica fuit tanquam mera confraternitas confirmata, anno 1674. Postea vero illam Innocentius XI, constitutione *Ecclesiæ catholicæ*, 29 martii 1687, erexit in *congregationem religiosam ;* et confirmavit certas ejus constitutiones, in dicta bulla insertas. In illis porro constitutionibus quoad vota sic disponitur : *Elapso probationis et novitiatus anno..., professionem emittent in manibus Fratris Præfecti, vota obedientiæ, paupertatis, et castitatis ac hospitalitatis vovendo... ; et successive fiet aliud votum perseverandi perpetuo in nostra societate Bethlemitica, infirmisque serviendi.* Tenor autem erectionis in congregationem religiosam est hujusmodi : *Præfatam societatem, confratrum Bethlemitiorum nuncupatam..., in congregationem, sub regula S. Augustini et supra*

Digitized by Google

scriptis constitutionibus, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus et instituimus; ac easdem constitutiones præinsertas, cum omnibus et singulis in eis contentis..., confirmamus et approbamus.

Tandem Clemens XI, constitutione *Ex debito*, 3 aprilis 1710, eamdem congregationem erexit in *veram ac formalem religionem*, seu in *ordinem religiosum*. Hujus plurimum attendendæ constitutionis præcipua capita subjicimus: *Innocentius Papa XI... supplicationibus dilecti filii Roderici a Cruce (qui tunc ad almam Urbem..., pro expetenda illarum confraternitatum erectione in veram et religiosam congregationem...) benigne inclinatus, dictam confraternitatem seu societatem confratrum Bethlemitarum..., in congregationem, sub regula S. Augustini, sub quibusdam constitutionibus Apostolica auctoritate perpetuo erexit et instituit... Cum autem, sicut dilecti filii... procurator generalis, et... procurator in curia, ejusdem congregationis nomine Nobis nuper exponi fecerunt; quamvis in hujusmodi eorum religiosa congregatione singula quæ veros et formales decent regulares... adimpleantur...; nihilominus ipsi exponentes ipsam eorum congregationem in veram et formalem religionem (in qua, non vota simplicia, ut de præsenti, sed expressa et solemnia, sicut in quatuor Mendicantium ordinibus, cæterisque approbatis religionibus, in posterum ab omnibus perpetuo profiteantur; ita ut in posterum dictæ congregationi religionis et ordinis, ipsis vero fratribus illud religiosi et veri regularis nomen respective conveniat)... de novo per Nos erigi, approbari et confirmari plurimum desiderent: Nos... præfatam congregationem Bethlemitarum in veram religionem (cum votis solemnibus, ex integro etiam ab iis, qui hactenus vota hujusmodi in eadem congregatione emiserunt, emittendis; ita tamen ut nova vota emittentes, prius de inefficacia præcedentium votorum ad constituendos eos veros religiosos certiorentur) auctoritate Apostolica, tenore præsentium perpetuo erigimus et instituimus.*

Bene advertat lector institutum illud Bethlemitarum initio fuisse meram sæcularium confraternitatem, seu merum soda-

Digitized by Google

litium. Postea vero postulatum fuit ut *in veram et religiosam congregationem* erigeretur. Cui postulato ut satisfaciat Innocentius XI hac formula utitur : *in congregationem*, sub regula sancti Augustini, *erigimus*. Et sic erigitur cum votis *simplicibus ;* siquidem ulterius postea postulatum fuit, *ut non vota simplicia, sed solemnia* emitterentur. Ergo attento stylo harum bullarum, per *congregationem religiosam* proprie dictam, seu *veram* (ut ibi dicitur), præcise et determinate intelligitur institutum, in quo adsit *essentia status religiosi*, ita ut ipsum profitentes jam non sint sæculares, sed religiosi ; *sed cum solis votis simplicibus*. Quando autem dictum Bethlemitarum institutum ad altiorem gradum evehi voluit, postulavit ut *in veram et formalem religionem* erigeretur ; ita ut religiosi vota *solemnia* (et non jam simplicia, prout fiebat) emitterent. Et huic postulato satisfacit Clemens XI hac formula : præfatam congregationem *in veram religionem*, *cum votis solemnibus* erigimus. Ergo, attento Romanorum Pontificum stylo, *religio* proprie dicta, seu *vera*, seu *formalis*, ut ibi dicitur, est institutum *habens essentiam status religiosi cum votis solemnibus*, et non cum simplicibus duntaxat. Idem concludendum venit ex altera omnino simili confraternitatis in congregationem religiosam, et postea in religionem commutatione ; videlicet :

In civitate Mexicana, in Indiis Occidentalibus, exordium sumpserat confraternitas sancti Hyppoliti, ad inserviendum infirmis in hospitalibus. Ad congregationis statum evecta fuerat. Innocentius autem XII, constitutione *Ex debito,* 20 maii 1700, eam in religionem erexit, his verbis : *Præfatam congregationem sancti Hyppoliti in formalem regularem religionem sub regula sancti Augustini, cum votis solemnibus castitatis, paupertatis et obedientiæ, necnon hospitalitatis, auctoritate Apostolica tenore præsentium perpetuo erigimus et instituimus.*

In probationem adduci etiam potest bulla *In supremo*, 3 novembris 1621, Gregorii XV. Cum nempe congregatio *presbyterorum Matris Dei*, tria vota simplicia emitteret, postulavit ut erigeretur in *religionem trium votorum solemnium*. S. Con-

Digitized by Google

gregatio Episcoporum et regularium, cui examinandæ preces commissæ fuerant, censuit esse id a Pontifice concedendum; quod et perfecit Gregorius XV, citata bulla.

Idem concessit Gregorius XV congregationi clericorum regularium Scholarium Piarum, constitutione *In supremo*, 18 novembris 1621. Eam nempe erexit in *religionem trium votorum solemnium*, ut expresse in dicta constitutione dicitur. (Duas citatas Gregorii XV constitutiones reperies in *Bullario romano*, tomo 13; priorem pagina 393; posteriorem pagina 404.)

Prædicto sensu intelligi communiter solere *religionis* et *congregationis religiosæ* vocabula supponit sanctus Franciscus Salesius, dum sic *Visitationis* moniales alloquitur :

« Il y a eu ey-devant, et y a encore en ce temps des con-
« grégations de femmes consacrées à Dieu, en deux sortes :
« car les unes ont été établies en *titre de religion*, par les
« vœux solemnels; et les autres en *titre de simple congrégation*,
« ou par les vœux simples, ou par l'oblation, ou par quel-
« qu'autre sorte de profession sacrée. Or, mes très-chères
« Sœurs, votre congrégation a été jusqu'à présent de cette
« seconde sorte... Mais depuis... nostre Saint-Père Paul V
« m'a commis pour ériger vostre maison en *titre de religion*,
« avec toutes les prérogatives dont jouyssent les autres
« ordres religieux, et ce sous la règle du glorieux sainct Au-
« gustin. » (Saint François de Sales, *Règles pour les religieuses de la Visitation*, préface, œuvres complètes, tom. 4, page 474, édit. Guyot, 1853.)

Ex his porro et similibus, quæ facile congeri possent, documentis, satis patet, nec immerito, nec arbitrarie prædictis locutionibus affigi sensum quem diximus.

II. *Quid* ORDINIS *vocabulo veniat intelligendum?* — Suaresius, post Cajetanum, denominationem illam habet tanquam genus, sub quo tanquam species comprehendantur, tum *religio formalis* (id est, institutum habens essentiam status religiosi cum votis solemnibus), tum *congregatio proprie religiosa* (id est, institutum habens essentiam status religiosi cum simplicibus

Digitized by Google

duntaxat votis), tum etiam *congregatio improprie religiosa*, id est institutum, non habens quidem essentiam status religiosi, sed tamen formam illius imitans, et aliquid ex ipso retinens, puta solum votum castitatis, vel tria vota temporaria, vel similem modum vivendi absque ullis votis. Hoc sensu intelligi a Suaresio *religiosi ordinis* vocabulum, palam faciunt hæc ipsius verba : « Loquitur (Gregorius X) de *religionibus* et *ordi-* « *nibus*. Ordo autem, cum proprietate dictus, latius patet : « nam illæ congregationes (1), licet veritatem status religiosi « non attingant, nihilominus ordines cum proprietate appel- « lari solent. At ibi (nempe in decreto Gregorii X) prohibitio « fit, ne quis sine approbatione novam religionem *vel ordinem* « adinveniat. Ergo extensio (prohibitionis) facta est ad quem- « cunque religiosum modum vivendi, qui *ordo* dici possit, « quamvis ille statum vere religiosum non attingat. » (*De Religione*, tomo 3, l. 2, cap. 16, n. 22.) Auctores tamen non pauci, recentiores præsertim, *religiones* et *religiosos ordines* pro synonymis usurpare videntur; ita ut ordinis religiosi vocabulum restringant ad significandum institutum status religiosi essentiam habens cum votis solemnibus. Nos ab adhibenda illa locutione, ubi locus ambiguitati esse posset, abstinebimus.

III. INSTITUTI RELIGIOSI *vocabulo quis sensus affigendus?* — Vox institutum, ex ipsa latinæ linguæ norma, latissimum sensum habet. Etenim quemcunque sibi homines peculiarem et stabilem vivendi modum sibi assumant, recte potest instituti nomine designari. Dum autem dicitur *institutum religiosum*, vox illa *religiosum* sumi potest, vel in stricto sensu, quatenus essentiam status religiosi denotans; vel in lato sensu, quatenus includens etiam vivendi modos, qui statum religiosum

(1) Agit ibi Suaresius de congregationibus, quæ non habent vota solemnia, et de iis quæ nec status religiosi essentiam habent cum votis simplicibus. Et expendit an lex qua prohibetur *novæ religionis* institutio ad eas etiam congregationes extendatur.

Digitized by Google

imitantur, et aliquid ex ipso habent, quamvis ab ejus essentia deficiant.

Nos *instituti religiosi* denominationem in lato sensu usurpabimus. Illam nempe adhibemus tanquam genus, sub se continens, tum religiones stricte dictas, tum congregationes proprie religiosas, tum etiam congregationes improprie religiosas. Cum enim indigeamus aliquo generico vocabulo ad hæc omnia simul designanda, nullum opportunius visum est.

IV. *Quid nomine* APPROBATIONIS *Ecclesiæ significetur.* — « Duo, inquit Suarez, includere videtur : unum ad intellectum « pertinet, seu ex judicio illius procedit ; aliud voluntatis opus « est magis proprium. Quod in religiosa communitate ita « explicatur : nam illam primo modo approbare, nihil aliud « est quam, post sufficiens examen, *judicare* interius, et exte- « rius authentice *declarare,* hunc vivendi modum esse san- « ctum, sine ullo errore vel superstitione. » Fuse postea explicat Suaresius quid sit approbare posteriori modo ; quæ explicatio contrahi potest dicendo, illam consistere in data licentia et facultate novum institutum ad exsecutionem deducendi. Atque duo illa, in approbatione contenta, sic paucis ipsemet Suaresius describit : « *Judicium* de probitate rei, et « *licentia et facultas* illam exsequendi.» (*De Religione,* tomo 3, l. 2, cap. 15, n. 11 et 18.) Unde qui asserit aliquod religiosum institutum approbatum fuisse a sede Apostolica, perinde est ac si diceret : judicatum fuit ipsum esse honestum in se, et data est facultas ipsum inchoandi, socios ipsi aggregando, et cætera juxta idem institutum peragendo.

V. *Quid sint, et quomodo ab invicem differant* REGULÆ *et* CONSTITUTIONES. — « In primis advertendum est, ex Suarez « (*de Religione,* tomo 4, l. 1, c. 2, n. 5), differre inter se re- « gulam et constitutiones : quia regula, ut plurimum est, ab « aliquo antiquo Antistite constituta ; et a Summo Pontifice « approbata, necnon in religione perpetua : constitutiones « vero et statuta, a solis Prælatis aut capitulis religionum « sunt ordinata : imo multoties sine auctoritate Pontificia aut

Digitized by Google

« approbatione, ac pro temporum varietate sæpius mutan-
« tur. » (Tamburinus, *de Jure Abbatissarum*, disp. 13, q. 4, n. 1.) Consonat S. Franciscus Salesius : « Comme disent les « docteurs, les règles des religions proposent les moyens de « se perfectionner au service de Dieu; et les constitutions « montrent la façon avec laquelle il les faut employer : « comme, par exemple, cette règle commande qu'on vacque « soigneusement aux prières; et les constitutions particula-
« risent le temps, la quantité et la qualité des prières qu'il « faut faire. » (*Règles des Sœurs de la Visitation*, préface, œuvres complètes, tom. 4, pag. 474-475, édit. Guyot, 1853.)

Regulæ a sanctis Basilio, Augustino, Benedicto et Francisco confectæ, *quatuor magnæ regulæ* dici solent. Sub unaquaque ex istis erectæ sunt multæ variæ religiones et congregationes religiosæ; quæ proinde non regula inter se differunt, sed solis constitutionibus, unicuique particularibus.

CAPUT II.

DE ECCLESIASTICA LEGE QUA PROHIBETUR NE QUIS NOVAM RELIGIONEM VEL NOVUM ORDINEM INDUCAT, ET NE QUIS INGREDIATUR RELIGIONEM NON APPROBATAM.

Disseremus hoc ordine : 1° Adducemus juris textus, qui dictam legem certam faciunt : 2° Expendemus quomodo lex illa sit intelligenda : 3° Exquiremus an hodiedum vigere censenda sit.

§ I.

Adducuntur juris textus, qui dictam legem exprimunt.

I. Concilium œcumenicum Lateranense, Innocentio III Pontifice habitum, sic decrevit, capite 13 : *Ne nimia religionum*

Digitized by Google

diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, firmiter prohibemus ne quis de cætero novam religionem inveniat : sed quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat. Similiter qui voluerit religiosam domum de novo fundare, regulam et institutionem accipiat de approbatis (capite 9, tituli 36, libri 3 decretalium). In rubrica autem hujus capitis sic habetur : « Novam religionem non licet constituere sine auctoritate Romani Pontificis. »

II. Concilium œcumenicum Lugdunense, sub Gregorio X celebratum anno 1273, idem iterum sancivit his verbis : *Religionum diversitatem nimiam (ne confusionem induceret) generale concilium* (Lateranense sub Innocentio III) *consulta prohibitione vetavit. Sed quia non solum importuna petentium inhiatio, verum etiam aliquorum præsumptuosa temeritas diversorum ordinum, præcipue mendicantium (quorum nondum approbationis meruere principium) effrænatam quasi multitudinem adinvenit ; repetita constitutione districtius inhibentes, ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat, vel habitum novæ religionis assumat ; cunctas affatim religiones et ordines mendicantes, post dictum concilium adinventos, qui nullam confirmationem sedis Apostolicæ meruerunt, perpetuæ prohibitioni subjicimus, et quatenus processerant revocamus* (capite *religionum*, tituli *de religiosis domibus* 17, libri 3 decretalium, in 6). Cui capiti hæc rubrica præfigitur : « Non licet novum ordinem vel religionem aut habitum creare et assumere. »

III. Citata decreta, utpote a Romanis Pontificibus in œcumenicis conciliis sancita, vim legis quoad universalem Ecclesiam procul dubio habent. Aperte autem prohibent, tum ne quis novam religionem vel novum ordinem inveniat, id est, inchoet et introducat, tum ne quis ingrediatur religionem quæ non fuerit approbata. Ergo exstat revera lex ecclesiastica cujuslibet religionis non approbatæ inchoationem et ingressum prohibens. Quonam autem sensu intelligenda sit, remanet expendendum.

Digitized by Google

§ II.

Quomodo præfata lex intelligenda sit.

PROPOSITIO I^a. — *Approbatio requisita ut quis novam religionem possit inchoare aut ingredi, intelligenda est de approbatione Romani Pontificis; non autem de approbatione Ordinarii.* — Hæc propositio omnino certa est, et extra controversiam posita. In probationem adducemus locum Suaresii, in quo ostendit approbationem Episcopi non esse approbationem simpliciter, sed secundum quid, id est, cum multis limitibus; ac proinde, ubi lege universali requiritur simpliciter approbatio, intelligendum id esse de approbatione Pontificia; quod et confirmat ex ipsis juris textibus, sub præcedenti paragrapho transcriptis: « Ultima differentia... est, inquit, solum Papam posse simpli- « citer approbare religionem; Episcopos vero tantum secun- « dum quid (1)... Quia eorum approbatio plures habet limi- « tationes, ob quas merito dicitur secundum quid. Prima est, « quia non sufficit pro tota Ecclesia, sed pro una tantum « diœcesi. Secunda est, quia prout est approbatio judicativa « et declarativa veritatis seu veræ sanctitatis, non est infalli- « bilis. Tertia, quia etiam prout est practica et quasi effec- « tiva talis status, non est omnino firma, sed a superiori po- « testate revocari potest. Et hinc colligere possumus, quoties « in jure canonico ad veritatem religionis postulatur appro- « batio, absolute sic appellata, et sine ullo addito, sermo- « nem esse de *approbatione Pontificia*. Exemplum optimum est « in illo capite ultimo *de religiosis domibus* (nempe in decreto « *Ne nimia* concilii Lateranensis, quod superiori paragrapho « transcripsimus); ubi solum præcipitur, ne quis inducat re-

(1) In hoc capite expendit Suaresius, an *olim, ante decretum Innocentii III* potuerit Episcopus novam religionem approbare pro sua diœcesi: et affirmativam sententiam tenet. Quod autem id nequeat post dictum Innocentii III decretum, Suaresio minime dubium est.

Digitized by Google

« ligionem præter *approbatas;* vel, ut qui religiosus fieri vo-
« luerit, unam *de approbatis* assumat. Et nihilominus certum
« est ibi requiri *approbationem Pontificiam*. Nam ejus necessitas
« per illum textum inducta primum est. Et similiter in capite
« unico, eodem titulo, in 6 (nempe in decreto *religionum* con-
« cilii Lugdunensis, supra transcripto) prius improbantur re-
« ligiones novæ, quæ *approbationem* non meruerunt ; et postea
« revocantur quæ confirmationem *sedis Apostolicæ* non merue-
« runt. Unde constat per *approbationem* prius absolute dictam,
« *confirmationem sedis Apostolicæ* postea explicari. Et ratio
« etiam hoc suadet : tum quia, cum in jure leges sint univer-
« sales, vel Pontificiæ, vel conciliares a Pontificibus confir-
« matæ, non solent vocare approbationem simpliciter, nisi
« quæ eadem Pontificia auctoritate facta est : tum etiam quia
« approbatio non omnino certa nec universalis, nomen appro-
« bationis simpliciter non meretur. » (Suarez, *de Religione,* tomo 3, l. 2, c. 17, n. 30.) Ergo omnino requiritur religionem approbatam fuisse *a Romano Pontifice,* ut possit quis eam inchoare, aut in illam ingredi ; et hoc sensu intelligenda est, et unanimiter a doctoribus intelligitur lex de qua agimus.

Idem præterea omnino evincit decretalis *Sancta Romana* (extravagantes Joannis XXII, titulo 7, *de religiosis domibus*). Nam ibi decernitur irritas esse et *fuisse* nonnullas religiones et congregationes prætensas, utpote erectas contra canones, quibus prohibetur ne quis novam religionem inducat, aut ingrediatur religionem non approbatam. Quidam autem ex illis prætensis religiosis, objiciebant se approbatos fuisse ab Episcopis : *Ut ipsorum error et impietas* (sunt verba constitutionis) *religio reputetur..., quidam... eorum dictum habitum et vivendi ritum a quibusdam Episcopis, seu eorum superioribus, vel aliis ecclesiarum Prælatis habuisse profitentur*. Quid ad hoc Pontifex ? Factum non negat, sed dicit his Episcopis et Prælatis non licuisse hoc facere, obstante concilii Lateranensis et Lugdunensis decreto, id est, lege de qua agimus : *Quos* (nempe ha-

Digitized by Google

bitum et vivendi ritum) *nec eis* (nempe Episcopis et Prælatis) *concedere licuit*, *contra formam concilii generalis*. Unde, quod non sufficiat Episcopi approbatio, sed omnino requiratur Pontificia, non tantum evincunt rationes a Suaresio deductæ, sed fuit aperte a Joanne XXII declaratum.

Conclusionem firmat insuper unanimis doctorum consensus. Unum aut alterum duntaxat adducemus; sed ex eorum loquendi modo satis perspiciet lector rem hanc nullatenus esse controversiis obnoxiam.

« Notandum, ex capite ultimo *de religiosis domibus*, et ca-
« pite unico, eodem titulo, in 6, quod nulla religio, tam viro-
« rum quam mulierum institui debet, nisi sub regula a sede
« Apostolica approbata; quod etiam statutum fuit in capite
« *perniciosam*, 18, q. 2, ubi decernitur, abolendam esse de-
« testabilem consuetudinem quarumdam mulierum, quæ licet
« approbatam regulam non profiteantur, sanctimoniales tamen
« vocari volunt. Et in capite *Indemnitatibus, de electione*, in 6,
« in hoc sensu videtur supponi, moniales, quæ vere religiosæ
« sunt, debere vivere sub aliqua regula et religione appro-
« bata. Necessarium enim est ut aliquam regulam profitean-
« tur, ut etiam advertit Suarez (tractatu 9, lib. 1, cap. 10,
« n. 9), ubi subdit, quod nulla est regula a sede Apostolica
« pro solis monialibus, vel pro illis principaliter approbata;
« et ideo necessarium est ut secundum aliquam ex appro-
« batis regulis religiosorum vivant, sive subjectæ sint ipsis
« religiosis, sive Episcopis. »

« Hac de causa, si quis velit monialium monasterium eri-
« gere, et non sub regula approbata, necesse erit ut modus
« vivendi illarum sit per Summum Pontificem approbatus:
« alioquin esset honesta quædam mulierum congregatio, non
« tamen vera religio, juxta ea quæ traduntur in dicto capite
« unico, a Joanne Andrea (ibidem), et Panormitano, parte 1
« *Consiliorum*, consilio 55. » (Tamburinus, *de jure Abbatissarum*, disp. 13, q. 1, n. 2.)

Ad quæstionem, *quænam requirantur ad substantiam veræ re-*

Digitized by Google

ligionis, inter alias requisitas conditiones tertio loco hanc enumerat Schmalzgrueber : « Ut hæc vota emittantur in « aliqua religione a sede Apostolica approbata ; ita ut non tan- « tum approbetur ipse vivendi modus, sed etiam expresse, ut « vera religio ; ut constat ex capite finali *de religiosis domibus*, « et capite unico, eodem titulo in 6 ; quibus textibus religio- « num approbatio causis majoribus sedi Apostolicæ reservatis, « connumeratur. » (Schmalzgrueber, in titulum 31 libri 3 decretalium, n. 13.)

Idem auctor ad quæstionem, num necessaria sit approbatio sedis Apostolicæ, an vero sufficiat Episcopalis, sic respondet : « Distinguendum est inter tempora Ecclesiæ ante Late- « ranense, celebratum sub Innocentio III, et tempora quæ « concilium hoc subsecuta fuere. Priscis illis temporibus « Ordinariorum loci approbatio sufficiebat. At in memorato « concilio approbatio ordinum religiosorum soli Romano Pon- « tifici deinceps est reservata, prout refertur capite finali *de* « *religiosis domibus*. Quod decretum deinde confirmavit Gre- « gorius X, capite unico, eodem titulo, in *sexto* : Ut adeo « nulla religio nunc esse possit, quæ Sedis Romanæ approba- « tionem non habeat. » (Schmalzgrueber, in titulum 31, libri 3 decretalium, n. 22.)

PROPOSITIO IIa. — *Requiritur approbatio Pontificia, non tantum qua novum institutum judicetur bonum in se ac sanctum, sed etiam qua facultas detur illud inchoandi seu exequendi.* — Id sequitur ex sensu ipso vocabuli *approbatio*, quo duo illa simul significari supra diximus (capite 1, n. 4). Et eruitur etiam ex legis intento. Voluit enim legislator *nimiam religionum diversitatem* devitare : sed nimia illa diversitas oriri posset etiam ex institutis in se bonis et sanctis, si possent inchoari absque licentia. Ergo legislator necessariam faciendo approbationem Pontificiam, censendus est necessariam fecisse licentiam sedis Apostolicæ.

PROPOSITIO IIIa.— *Præfata lex non tantum est prohibens, sed etiam irritans quamlibet religionem a sede Apostolica non appro-*

Digitized by Google

batam. — Equidem in textu ipso legis (1) non declaratur expresse irritatio, sed tantum prohibitio. At nihilhominus omnino certum est hac lege irritari religiones a sede Apostolica non approbatas.

Probatur 1°. — *Ex natura ipsa status religiosi.* — Ad essentiam status religiosi pertinet, ut sit status perfectionis : sed hoc ipso quod aliqua religio sit prohibita, nedum possit esse status perfectionis, evadit e contra status peccaminosus; ergo, superveniente prohibitione, quodlibet institutum religiosum statim ab essentia status religiosi deficit : ergo prohiberi nequit aliqua religio quin hoc ipso irritetur et annulletur quatenus religio, seu quatenus status religiosus. Sed præfata lex vetat quamlibet religionem a sede Apostolica non approbatam; ergo et eam irritat. Insuper, ad essentiam status religiosi pertinet traditio, qua se religiosus Deo, et religioni in qua profitetur, in perpetuum donat et mancipat; et necesse est eam traditionem ab aliquo, nomine Dei, ita acceptari, ut merito censeri possit a Deo ipso acceptata (2). Sed hoc ipso quod Ecclesia religionem aliquam prohibuerit, peccatum est eam ingredi; ac proinde repugnat acceptari a Deo traditionem, quam quis sui faceret, professionem in ea emittendo; et quamvis traditionem hanc nomine Dei reciperet hujus prohibitæ religionis præpositus, acceptatio illa nequaquam censenda foret a Deo ratificari; sed e contra censenda esset a Deo tanquam abominabilis et peccaminosa respui. Ergo in religione prohibita nequit adesse *traditio,* ad religiosi status essentiam requisita. Ergo repugnat religionem prohibitam in essentia vere religionis permanere. Ergo prohiberi nequit aliqua religio, quin hoc ipso irritetur et annulletur. Cum ergo lex, de qua agimus, prohibuerit religiones a sede Apostolica non approbatas, eas etiam annullavit et irritas fecit (Vide Suarezium, *de Religione,* tomo 3, l. 2, c. 16, n. 11).

(1) Id est in capitibus *ne nimia,* et *religionum,* transcriptis sub paragrapho primo.

(2) Id probatum est sub prima tractatus parte.

Digitized by Google

Probatur 2°. — *Juris textibus* — in Clementina *cum de quibusdam* (tituli XI *de religiosis domibus*, libri 3) de quibusdam mulieribus dicitur : *Religiosæ nequaquam existunt*, de quo inter alias hæc profertur ratio, quod *non profiteantur aliquam regulam approbatam*. Ergo in religione non approbata, ac proinde in religione prohibita, non possunt existere veri religiosi; seu, quod idem est, religio prohibita nequit esse vera religio. Ergo lex aliquam religionem prohibens, hoc ipso eam irritat.

Idem concludendum venit ex decretali *Sancta Romana* (extravagantes Joannis XXII, tit. 7, *de religiosis domibus*). « Sacris « canonibus (inquit Pontifex) est interdictum, ne aliquis novum « ordinem aut religionem inveniat, vel habitum novæ reli- « gionis assumat : sed quicunque ad religionem venire vo- « luerit, ingrediatur unam de religionibus approbatis. » Narrat postea quomodo nonnulli prætensi religiosi, *contra dictos canones*, habitum novæ religionis assumere, congregationes facere, superiores sibi eligere, et plurimos ad prætensum suum ordinem religiosum (quem *sectam* vocat) recipere præsumpserint. Et tandem decernit *nullius* FUISSE *et esse firmitatis* ipsorum statum, et quidquid *sub religionis seu congregationis nomine seu colore* ab iisdem *attentatum* fuit. Ergo existimavit Pontifex ille irritam esse religionem, hoc ipso quod absque approbatione Pontificia constituatur; et irritam esse professionem quæ fit in religione non approbata.

Probatur 3°. — *Ex communi doctorum sententia*. — « Lex « illa, inquit Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 16, n. 9), « non solum prohibet fieri religionem sine facultate Ponti- « ficis, sed etiam irritat religionem sic factam, vel potius « attentatam; facitque ut non sit vera religio. Hanc asser- « tionem sumo ex divo Thoma (in 4, dist. 38, q. 1, art. 1, « quæst. 3, in corpore, et ad 3)... Idem sentit Cajetanus..., « et summistæ communiter..., glossa... » Hæc Suarezii verba satis palam faciunt conclusionem nostram a doctoribus communiter recipi. Unde non immorabimur in congerendis aliis citationibus.

Digitized by Google

PROPOSITIO IV^a^. — *Prædicta lex intelligenda est, non tantum de religionibus, sed etiam de congregationibus religiosis.* — Diximus supra (capite 1, n. 1) *religionum* vocabulo designari instituta, quæ et religiosi status essentiam habent, et solemnia vota : *congregationes* autem *religiosas* dici, quæ essentiam quidem habent status religiosi, sed cum solis votis simplicibus. In hoc ergo sensu accipientes *congregationum religiosarum* vocabulum, dicimus ad eas extendi legem, qua prohibetur ne quis novam religionem, novumve ordinem instituat, et ne ingrediatur religionem Apostolicæ sedis approbatione destitutam.

Probatur 1° *ex ipso legis textu.* —Equidem textus ille vocem ipsam congregationis religiosæ non continet. Etenim in decreto Innocentii III prohibetur institutio novæ *religionis ;* et in decreto Gregorii X prohibetur institutio novi *ordinis aut religionis*. Imo nonnulli doctores ex iis locutionibus, utpote designantibus duntaxat instituta votorum solemnitatem habentia, inferri posse existimarunt, non extendi prohibitionem ad congregationes quæ nonnisi simplicia vota emittunt (vide Suaresium *de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 16, n. 4 et 5). Sed opinio hæc vera non est. Nam

Primo, etsi vox *religio*, juxta frequentiorem styli ecclesiastici et Curiæ romanæ usum, restringi soleat ad designanda instituta, in quibus solemnia vota nuncupantur, id tamen non est rigorose accipiendum : et referendum est ad recentiora præsertim tempora, non ad antiquiora. Per se enim *religionum* vocabulum potius designat indistincte quælibet instituta, in quibus status religiosi essentia reperitur, sive solemnia, sive simplicia duntaxat vota habeant. Et certe *religiones* recte vocari possunt et solent religiosi ordines quinto sæculo anteriores, quamvis valde probabile sit solemnia non fuisse ipsorum vota. Potuit ergo adhiberi ab Innocentio III religionis vocabulum ad designanda quælibet instituta religiosorum, sive cum solemnibus, sive cum simplicibus votis profitentium. Atque ipsum revera cum hac extensione vocem usurpasse

Digitized by Google

existimat Suaresius : « Cum Pontifex, inquit, de religionibus « generaliter loquatur, non est cur ejus prohibitio ad reli- « giones, in quibus vota solemnia fiant, restringatur (loco citato, n. 6). Quod verum esse mox ostendemus, non ex voce ipsa, sed ex intento legis.

Secundo, Gregorius X prohibuit non tantum novæ religionis, sed etiam *novi ordinis* institutionem. Porro adnotare solent canonistæ *ordinis* vocabulum multo latius patere; ita ut etiam religiosas familias, quæ nonnisi ad tempus vota simplicia emittunt, sub ipso comprehendant. Nulla ergo est ratio, cur prohibitio non involvat congregationes religiosas, quæ vota perpetua emittunt, licet simplicia, et veram habent status religiosi essentiam.

Probatur 2° *ex fine legis*. — Etsi res aliquatenus dubia remaneret, attento solo *religionis* et *ordinis* vocabulo, tamen ex intento legislatoris plane liquet prohibitionem ad dictas etiam congregationes extendi debere. « Nam si Pontifex, inquit « Suarez, solum prohibuisset fieri religionem cum professione « trium solemnium votorum, non evitasset inconveniens, quod « proponit, dicens : *Ne nimia religionum diversitas gravem in « Ecclesia Dei confusionem inducat*. Nam si religiones cum votis « simplicibus sine approbatione Papæ possent valide et sine « culpa multiplicari, non minor confusio in Ecclesia Dei sequi « posset, ut est per se notum : imo quodammodo esset major, « et cum majoribus incommodis. » (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 16, n. 7.)

Propositio V^a^. — *Prædicta lex intelligenda est etiam de congregationibus improprie religiosis*. — Improprie religiosas congregationes vocamus eas, quæ, etsi a status religiosi essentia deficiant, eo quod (verbi gratia) tria vota substantialia non habeant, aliquid tamen de religioso statu imitantur ; puta in communi et sub regula vivendo, vota ad tempus emittendo, et alia hujusmodi. Porro ad has etiam prohibitio extendi censenda est. Quod sic probat Suaresius (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 16, n. 22 et seq.) :

Digitized by Google

« Sed, quæret aliquis ulterius, an hoc tempore non tantum « sit necessaria approbatio Pontificis ad veram religionem con- « stituendam, sed etiam ad quemcunque modum vivendi « honestum, observantem ordinem, ritum et cæremonias ali- « quas religiosas, sine tribus votis substantialibus? Nam aliqui « absolute negant... Verumtamen hoc ad summum permitti « posset spectata sola prohibitione facta in concilio generali « sub Innocentio III : nam loquitur de sola religione, et vox « est cum proprietate intelligenda. Nihilominus tamen oppo- « situm dicendum est, attenta prohibitione concilii Lugdu- « nensis sub Gregorio X; quia loquitur de religionibus et *or-* « *dinibus*. Ordo autem cum proprietate dictus latius patet. « Nam illæ congregationes, licet veritatem status religiosi non « attingant, nihilominus *ordines* cum proprietate appellari « solent. At ibi prohibitio fit, ne quis sine approbatione novam « religionem *vel ordinem* adinveniat : ergo extensio facta est « ad quemcunque religiosum modum vivendi, qui ordo dici « possit, quamvis ille statum vere religiosum non attingat. « Atque ita sentiunt communiter doctores... Ratio denique « est, quia non minor confusio et periculum ex multiplica- « tione istorum ordinum, quam ex multiplicatione religionum, « sequi poterat, ut Gregorius X et Joannes XXII aperte pon- « derant. Unde insinuant, hanc etiam fuisse mentem Inno- « centii, quam ipsi potius declarant, quam extendunt. »

Hanc quoque doctrinam communiter tenuerunt, qui post Suarezium scripsere doctores. Inter quos sic Pirrhing (in titulum 36, libri 3 decretalium, n. 33) : « Quæritur se- « cundo, an sub prædicta prohibitione ac irritatione novarum « religionum, comprehendantur etiam omnes congregationes « virorum ac mulierum, quæ in communi sub certa regula, « ritu aut habitu, sine sedis Apostolicæ licentia seu ap- « probatione, devotionis seu pietatis causa vivunt, licet tria « vota substantialia religionis non ediderint, adeoque pro- « prie religiosi non sint? — Respondeo affirmative, ut tra- « dit Abbas..., Suarez..., contra Felinum... Idque probatur

Digitized by Google

« ex citato capite unico hujus tituli (1) in sexto; ubi universim « prohibetur ne quis novum *ordinem aut religionem* adinve- « niat, sine confirmatione sedis Apostolicæ. Talis autem con- « gregatio..., licet vere ac proprie religiosus status seu re- « ligio non sit, *ordo* tamen proprie dici potest; quippe qui la- « tius patet quam religio, et consequenter cadit sub prohibi- « tionem concilii Lugdunensis (in citato capite unico), ubi « prohibetur, non tantum ne quis novam religionem, sed « etiam ne novum *ordinem* vel habitum novæ religionis assu- « mat. Idque confirmatur etiam ex citata extravagante *sancta* « Joannis XXII, ubi prohibitio concilii Lugdunensis cum « eadem extensione et disjunctione *novi ordinis aut religionis* « refertur, et Beguinas contra legem illius concilii deliquisse « declaratur. Supponitur ergo ibi, talem modum vivendi in « communi sine approbatione Papæ, esse prohibitum in con- « cilio Lugdunensi sub Gregorio X..., et in concilio Latera- « nensi sub Innocentio III... Ratio est, quia non minor con- « fusio et periculum sequi poterat, quam ex multiplicatione « religionum... Idem etiam confirmatur ex capite *indemnita-* « *tibus* (43, *de electione*, in 6), ubi Pontifex ait, *suæ intentionis* « *non esse institutum et ordinem, seu regulam canonicarum sæcu-* « *larium per hoc approbare :* per quod satis indicatur, ad sta- « tum et firmitatem talium congregationum in communi viven- « tium, necessario requiri approbationem S. Pontificis. »

« Notandum hic præterea : Si viri vel mulieres sub certa « forma vivendi seu regula, nullis religiosis votis astricti, et « sine sedis Apostolicæ licentia, simul in communi degant, « omnia hujusmodi personarum pacta seu promissiones, quæ « in ordine ad talem congregationem erigendam vel assumen- « dam fiunt, sunt nullæ et irritæ; ita ut libere resilire et dis- « cedere possint : ac proinde etiam votum obedientiæ ab « illis editum, est irritum : imo etiam votum castitatis, si fiat « intentione servandi illam solum in tali congregatione et de-

(1) Nempe tituli *de religiosis domibus*, in 6.

Digitized by Google

« pendenter ab illa, quia tale votum includit conditionem « turpem sive illicitam, quippe editum cum relatione ad talem « congregationem, et dependentia ab illa, quæ jure prohibita « est... Est tamen talibus personis consulendum ut vel reli- « gionem approbatam ingrediantur, vel talem in sæculo ca- « stitatem servent. Si tamen nolunt, matrimonium contrahere « non prohibentur. Atque hæc confirmantur ex bulla Ur- « bani VIII, anno 1630 edita, in qua prohibuit et abrogavit « congregationem quarumdam mulierum in communi viven- « tium, quæ vulgo *Jesuitissæ* vocabantur, quia institutum so- « cietatis Jesu, sine licentia seu approbatione sedis Apostolicæ, « æmulari præsumebant. »

PROPOSITIO VI^a. — *Prædicta lex intelligenda est etiam de novo vivendi modo, sub regula jam approbata.* — Contingere potest ut, qui volunt novam religionem vel congregationem religiosam facere, sibi assumant unam e quatuor magnis regulis (id est, sancti Basilii, vel sancti Augustini, vel sancti Benedicti, vel sancti Francisci), eique addant constitutiones sibi proprias, et peculiari quem intendunt scopo accommodatas. Et revera plurimæ hodie exstant religiones et congregationes religiosæ hoc modo institutæ. Quærimus porro an pro iis etiam, hac ratione inchoandis, requiratur sedis Apostolicæ approbatio. Et respondendum affirmative dicimus. Etenim quamvis regula, sub qua constituitur nova ejusmodi societas, fuerit jam ab Apostolica sede approbata, approbatus tamen non fuit novus ille vivendi modus, per adjectas constitutiones determinatus. Ergo instituta hujusmodi sub *novæ religionis aut ordinis* vocabulo revera comprehendi censenda sunt. Ergo et sub legem cadunt. Id præterea sequitur ex legislatoris intento. Voluit nempe cavere *ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat.* At si fas sit pro libitu novas ejusmodi religionum aut ordinum formas inducere, modo addatur illas poni sub tali regula jam approbata (verbi gratia, sub regula sancti Augustini, aut sancti Benedicti), nedum præcaveatur dicta religionum multiplicatio et

Digitized by Google

confusio, ei favetur quam maxime, ut patet. Unde ad inchoandum etiam novum institutum sub aliqua ex approbatis regulis, necessaria censenda est Romani Pontificis approbatio.

Objicies. — Innocentius III, ab his qui volunt *religiosam domum de novo fundare,* exigit duntaxat ut *regulam et institutionem accipiant de approbatis.* Sed qui novum institutum inchoant sub regula (verbi gratia) sancti Augustini, accipiunt regulam et institutionem *de approbatis;* ergo licite agunt. — Respondeo : nego minorem. Nam accipere regulam et institutionem de approbatis, est religionem seu congregationem jam existentem et approbatam, et talem qualem, seu prout approbata fuit, in novo conventu constituere. Qui autem, sub regula sancti Augustini, novis constitutionibus ad novum scopum intendens, diversam ab approbatis ordinibus societatem inchoat, non illam eamdem regulam et institutionem extendit, quæ approbata est, sed novam inducit. Ergo legis prohibitioni subjacet.

PROPOSITIO VII^a. — *Lex prædicta prohibet ipsum etiam tentamen erigendi novam religionem aut congregationem religiosam.* — Per ejusmodi tentamen intelligimus inchoationem alicujus societatis, cum ea forma quæ ad constituendam religionem, vel saltem congregationem proprie aut improprie religiosam, sufficeret, nisi obstaret defectus approbationis Pontificiæ. Porro dubium non est quin ejusmodi tentamen remaneat per dictam legem prohibitum. Nam, ut supra probatum est, lex illa non est tantum prohibens, sed etiam irritans : ita nempe ut, post latam legem illam, nullus unquam potuerit novam aliquam religionem aut congregationem *valide* erigere ; siquidem statim ac fit erectio hujusmodi absque Pontificia approbatione, ipso facto nulla est ac irrita. Ergo fieri tantummodo potest *tentamen* erigendi novam religionem aut congregationem religiosam. Ergo nisi lex tentamen ipsum prohiberet, nihil prohiberet. Sed dici nequit ab ipsa nihil prohiberi ; siquidem expresse sic habet : *districtius inhibentes ne aliquis de cætero novum ordinem aut religionem adinveniat.* Absona forent ista

Digitized by Google

verba, nisi per ipsa illicitum redderetur ipsummet tentamen; quia prohibitio caderet in aliquid impossibile, in validam nempe novæ religionis aut congregationis religiosæ institutionem; nunquam proinde violari posset ista prohibitio; ac consequenter absone facta fuisset. « Itaque, ait Suarez (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 16, n. 30), prohibet concilium, ne « quis, quantum est ex se, religionem tentet introducere. Et « ideo violator est legis, et gravissime peccat, qui id tentat, « licet effectum consequi non potuerit... Sicut qui nunc contrahit matrimonium sine parocho et testibus gravissime « peccat, etiamsi nullum matrimonium in reipsa faciat. »

Propositio VIII^a^. — *Prædicta lex sub gravi obligat.* — Id extra omnem controversiam est apud doctores. Et merito, cum materia sit de se gravissima, et legislator apertissime expresserit intentionem obligandi, per hasce locutiones, *firmiter prohibemus, districtius inhibentes*. « Superest addendum, « inquit Suarez (*de Religione*, tom. 3, l. 2, c. 16, n. 29), eos « qui novas religiones sine approbatione introducunt, gravissime peccare contra dictam prohibitionem... Idem docuit « Sylvester, addens illos non esse religiosos, sed potius irreligiosos; et in eo facto graviter peccare: imo addit esse « excommunicatos ipso facto. Et idem tenuerunt Angelus et « Navarrus. Quorum sententiam quoad culpam admittimus; « nam quoad censuram non approbamus... Non quia materia « et culpa non sit capax censuræ, sed quia de facto lata non « est. »

Propositio IX^a^. — *Prædicta lex intelligenda non est de meris sodalitiis seu confraternitatibus.* — Nam ejusmodi sodalitia seu confraternitates, hoc ipso quod eo nomine merito vocentur, non satis de norma status religiosi imitantur et sibi assumunt, ut dici valeant, etiam in minus stricto sensu, *congregationes religiosæ*. Nequaquam ergo comprehenduntur sub nomine *religiosum* et *ordinum*, de quibus dicta lex decernit.

Propositio X^a^. — *Prædicta lege impeditur, ne quis solitarie seu privatim, in domo sua degens possit esse verus religiosus;* non

Digitized by Google

tamen prohibetur ne quis solitarie vivens vota substantialia religionis emittat et particularem habitum deferat. — Prima pars propositionis concludenda videtur ex his Innocentii III verbis: *quicunque ad religionem converti voluerit, unam de approbatis assumat.* Item ex his Joannis XXII: *quicunque ad religionem venire voluerit, ingrediatur unam de religionibus approbatis* (extravagatium Joannis XXII, titulo 7, *de religiosis domibus*). Nam hocce loquendi modo satis manifestum fecit Ecclesia, se impedire voluisse, ne in posterum status religiosi essentia in vita solitaria reperiretur. Qua posita ipsius voluntate, jam nullus valide potuit nomine Dei acceptare traditionem, quam solitarius sui ipsius Deo faceret, tria substantialia vota emittendo. Deficiente autem hac acceptatione, deficit et ipsa status religiosi essentia, quamvis perpetuum de triplici consilio evangelico votum emittatur, prout in prima parte tractatus (sect. 2, prop. 6.) probatum est.

Secunda pars propositionis (quod nempe non prohibeatur quis, solitarie seu privatim in domo sua degens, tria vota emittere et servare, cum aliquo pœnitentiam denotante habitu, etiam singulari) deduci etiam potest ex ipso tenore legis. Prohibetur nempe ne quis *habitum novæ religionis* assumat. Dum dicitur *novæ religionis*, perinde est ac si positum fuisset, novi instituti religiosorum in *communitate* viventium. Cujus prohibitionis violator non est qui solitarie vivens aliquem singularem habitum sibi assumit et votis se ligat. Cæterum videri potest præsens hæc nostra conclusio fusius evoluta apud Suaresium, qui eam quoad utramque partem amplectitur (*de Religione*, tomo 3, l. 2, c. 16, n. 26-27).

PROPOSITIO XI^a^. — *Qui volunt novam religionem vel congregationem religiosam instituere, etsi nequeant, ante Pontificiam approbationem, vitam communem cum hac vivendi forma inchoare, licite tamen possunt de proposito suo deliberare, illudque in scriptis exprimere, et se ad illud, post obtentam licentiam, exequendum disponere.* — Sequitur ex dictis, et satis per se patet.

Digitized by Google

PROPOSITIO XII^a. — *Ergo a tempore Innocentii III, approbatio religionum, et congregationum, etiam improprie religiosarum, sedi Apostolicæ fuit reservata.* — Patet ex dictis in toto præsenti paragrapho. Unde attenta solummodo lege de qua agimus, et abstrahendo a contraria consuetudine, de qua mox erit sermo, fas non est Episcopis ullam novam religionem, aut religiosam congregationem propria auctoritate erigere, instituere, aut approbare. Et secus ab ipsis attentatum, non tantum graviter illicitum, sed et prorsus irritum foret.

Nota. — Prædicta lex non fuit a Tridentino concilio sublata aut mutata. Sed neque, quod sciam, ullum supervenit decretum Pontificium ipsi derogans. An autem ob contrariam consuetudinem vigere aliqua ex parte desierit, sequenti paragrapho expenditur.

§ III.

An aliqua ex parte vigere desierit lex, qua prohibitum est ne quis, absque licentia Pontificia, novam religionem, aut religiosam congregationem adinveniat?

Valde arduam quæstionem attingimus. Etenim noto notius est, pullulasse, recentioribus præsertim temporibus, novas congregationes, absque Pontificia auctoritate inchoatas et institutas. Quid de iis sentiendum? An illicitas eas fuisse et permansisse, atque errasse Episcopos qui jus eas approbandi sibi adscripsere? An vero ex repetitis ejusmodi factis, necnon tacito sedis Apostolicæ assensu, jamdudum vigere desierit quoad religiosas congregationes Pontificiæ approbationis necessitas, ita ut hodie licite valeant de sola Episcopi licentia erigi et institui? Haud parva profecto difficultas, quam hic pro modulo nostro enodare conabimur.

PROPOSITIO I^a. — *Consuetudine jam inductum est, ut novæ religiosæ congregationes de sola Episcoporum licentia inchoarentur.* — Hujusce consuetudinis initium quoddam mihi exibere videntur nonnulla paulo antiquiora documenta. Recentiora vero inductam eam omnino probant.

Digitized by Google

1° *Facta paulo antiquiora, quæ dictæ consuetudinis initium aliquod exhibere videntur.* — Sanctam Joannam Valesiam, absque licentia Apostolica suum institutum incœpisse, cum licentia Ordinarii, satis innuit ipsa bulla approbationis Alexandri VI *ea quæ*, idibus februari 1501, relata apud Rainaldum, anno 1501, § 24.

In constitutione *Sacrosancti*, 8 januarii 1666, Alexander VII confirmat et approbat moniales hospitalarias, quæ sub regula S. Augustini, in diœcesi Andegavensi primum institutæ fuerant, et multa in loca deinceps novis erectis monasteriis, propagatæ. Porro in bulla ipsa expresse habetur, primum monasterium *de licentia et approbatione Ordinarii Andegavensis* fuisse erectum et fundatum; et pariter cætera monasteria in aliis diœcesibus *de simili licentia* erecta fuisse. De licentia autem sedis Apostolicæ nulla fit mentio; quæ tamen, si intervenisset, non fuisset silentio prætermissa.

Erectio et prima approbatio congregationis, *Sororum a S. Iosepho* nuncupatæ, facta est ab Aniciensi Episcopo de Maupas, litteris 23 septembris 1661, absque ulla mentione de obtenta sedis Apostolicæ licentia. In hac autem congregatione fiunt tria vota simplicia perpetua; dispensabilia tamen per Episcopum. (Vide opusculum *Constitutions des Sœurs de Saint-Joseph*, pag. 353, edit. Lugduni 1837.)

A venerabili de la Salle fundata pariter videtur congregatio *Fratrum Scholarum Christianarum*, de sola Ordinarii licentia. Id innuit constitutio *in Apostolicæ* (7 cal. februarii 1724), qua institutum illud primam sedis Apostolicæ approbationem accepit. In ea siquidem sic habetur : « Pius Dei famulus J.-B. « de la Salle... quoddam institutum, sub titulo *Fratrum Scho-* « *larum Christianarum* nuncupatorum, et sub infra scriptis re- « gulis per sedem Apostolicam *approbandis* et confirmandis... « fundavit. » Si adhuc anno 1724 erant *approbandæ* regulæ, nondum fuerant approbatæ; et signum est inchoatam initio fuisse congregationem absque obtenta Romani Pontificis licentia.

Digitized by Google

2° *Ex factis saltem recentioribus inducta jam dicta consuetudo probari potest.* — Ad hodierna enim tempora si accedamus, occurrunt plurimæ hujusmodi congregationes, monialium præsertim, de sola Episcopi licentia primum inchoatæ.

Et hoc quidem modo initium habuisse institutum clericorum *Societatis Mariæ* (les Maristes) nuncupatorum, constat ex ipsa Gregorii XVI bulla *omnium gentium*, 29 aprilis 1836, quæ eos in congregationem religiosam, cum votis simplicibus perpetuis, erexit et approbavit. In ea enim sic habetur : « Non « mediocri certe voluptate affecti fuimus, ubi accepimus « dilectum filium Claudium Colin, et aliquos presbyteros diœ « cesis Bellicensis, multis abhinc annis, novæ religiosorum « hominum societatis fundamenta posuisse, titulo *Societatis* « *Mariæ*. » Hæc profecto verba prorsus arguunt inchoatam initio fuisse dictam societatem absque obtenta Romani Pontificis approbatione, et de sola Ordinarii licentia. Atque ita revera se rem habuisse, insuper accepi ab ipso reverendissimo Colin, hujusce congregationis fundatore.

Ad monialium congregationes quod attinet, adeo notum est nunc plurimas in Gallia exstare, de sola Ordinariorum licentia erectas, ut supervacaneum videatur hac de re documenta congerere. Unum aut alterum duntaxat promemus. In opusculo qui inscribitur, *Règles des Sœurs de la Sainte-Famille* (edit. Ambiani 1843), videri potest congregationis hujus, *a Sancta Familia* dictæ, regulas, sola auctoritate Reverendissimi Myoland, tunc Ambianensis Præsulis, nunc vero Tolosani Archiepiscopi, impressas, approbatas et confirmatas fuisse, et ne verbo quidem innuitur, ullam intervenisse Pontificiam approbationem.

Item nuper de sola Ordinariorum licentia exordium sumpsit sororum *a Reparatione* nuncupatarum institutum, cujus duo jam conventus, alter Parisiis, Lugduni alter, erecti sunt. Quam quidem novam sanctimonialium familiam, ab primis ipsius initiis pernotam habeo, et summopere frugiferam et utilem in Ecclesia exstituram existimo.

Digitized by Google

Ex his porro, et similibus, quæ congeri possent, factis, concludendum omnino videtur. Prædictam legem de non inchoandis absque Pontificia licentia religiosis familiis, in praxi jamdudum non observari, nec a sede Apostolica urgeri. Exstat proinde consuetudo contra legem inducta.

Propositio II^a. — *Dicta consuetudo de iis est, quæ contra legem legitime præscribere potuit.* — Etenim quod possint novæ regularium congregationes, de sola Ordinariorum licentia, institui, non est quid per se malum. Imo in instituendis antiquis Ordinibus nullum ad Romanam sedem factum fuisse recursum, nullam ab ea obtentam licentiam, æstimant doctores quamplurimi : proinde tunc jus commune fuisse, ut novum alicubi exordiens religiosum institutum ab Episcopo loci approbationem reciperet : perdurasse autem jus illud commune usque ad concilium œcumenicum Lateranense, sub Innocentio III, cujus decreto ejusmodi novorum ordinum approbationes sedi Apostolicæ reservatæ sunt. Ergo, attenta legis de qua agimus materia, non est cur contra eam desuetudine præscribi nequeat. Aliunde dicta lex non fuit a concilio Tridentino confirmata, unde nec præscriptioni obstat quod tenent doctores plurimi de Tridentinis decretis, contra illa nempe non dari præscriptionem. Sumus ergo in *materia præscriptibili*, ut dicunt canonistæ, et solum remanet expendendum, an adsint aliæ requisitæ conditiones, ut dicta consuetudo legitima dici queat.

Propositio III^a. — *Satis hodie constat sedem Apostolicam in præfatam consuetudinem consentire.* — Id probat inducta jam ab aliquanto tempore apud Romanam curiam praxis, quoad noviter erectas ejusmodi congregationes. Non enim jam solet Apostolica sedes approbationem concedere pro *inchoandis* hisce congregationibus; sed earum duntaxat quæ jam inchoatæ et erectæ fuerunt, vel institutum *laudat* solummodo; vel illud etiam *approbat*, remissa ad aliud tempus regularum approbatione; vel tandem institutum simul et regulas approbat et confirmat. Statuta nempe est praxis, ut neque approbatio,

Digitized by Google

neque etiam laus alicui novæ congregationi a sede Apostolica impertiatur, nisi congregatio hæc jam ab aliquanto tempore existat, et temporis experimento de ejusdem utilitate et sufficienter prospera conditione constet. Praxim illam testabatur Eminentissimus Cardinalis Orioli, anno 1848, in expositione causæ, coram Sacra Congregatione Episcoporum et Regularium pendentis (1) : « Vos Eminences, inquiebat, connaissent la « maxime du Saint-Siége, de ne pas approuver un institut « qui ne serait point propagé suffisamment eu égard au « temps, aux lieux et aux personnes, ou dont les constitutions « n'auraient pas subi l'épreuve de l'expérience, ou qui n'au- « rait pas pour vivre. Et lorsque, par défaut de ces condi- « tions, la Sacrée Congrégation ne juge pas de pouvoir pro- « céder à l'approbation de l'institut, elle a coutume de l'en- « courager en applaudissant au zèle du fondateur, ou en « louant le but de l'institut même; quelquefois encore en « approuvant l'institut, tandis que l'approbation des règles « est renvoyée à un temps plus opportun. Ainsi, par exem- « ple, dans la consultation récente (*Avenionensis, super appro- « batione instituti et constitutionum piæ societatis Sanctissimi « Redemptoris*), la Sacrée Congrégation a jugé qu'on devait « différer l'approbation qu'on demandait pour l'institut des « règles, et se contenter de *louer* le but par un décret. Il en « a été de même dans l'affaire de Breschia, où l'on a *loué* et « *approuvé* le but de l'institut. » Cum nuper quidam mihi notus vir Romæ ageret, ut novæ religiosorum congregationi, quæ adhuc in propositis est, Pontificium assensum obtineret, fuit ipsi responsum, procurandum primo ut congregatio existeret; an autem approbanda esset, suum fore postea deliberandi locum. Hæc et similia documenta satis arguunt, eam revera invaluisse apud Romanam curiam praxim, ut nonnisi

(1) Hujusce documenti textum præ manibus non habeo : translatum autem in Gallicam linguam reperio in publicatione periodica cui titulus *Correspondance de Rome* (seconde édit., pag. 18); et citatum fragmentum, prout ibi jacet, transcribo.

Digitized by Google

jam erectæ et constitutæ congregationes Pontificia approbatione firmarentur.

Jam vero praxis hæc manifestum facit, consentire sedem Apostolicam, ut dictæ novæ congregationes ante Pontificiam approbationem et de sola Ordinariorum licentia inchoentur. Alias enim non denegaretur approbatio Pontificia inchoandis, nec daretur solummodo jam inchoatis. Ergo revera consuetudini jamdudum (in Galliis præsertim) inductæ, novas congregationes religiosas, de sola Ordinarii licentia, inchoandi, Pontificium accessisse consensum, res hodie certa et admittenda videtur.

Propositio IV^a^. — *Canonica lex de non inveniendis novis religionibus, in quantum prohibebat etiam congregationum sine votis solemnibus inchoationem, in desuetudinem abiisse censenda est.* — Vidimus supra dictam prohibitionem novas religiones inveniendi, ita a Suarezio et aliis communiter doctoribus intellectam fuisse, ut neque liceret, absque obtenta facultate Pontificia, ullas inchoare congregationes quæ religiosum statum imitentur, quamvis vota solemnia ex instituto non haberent : sub prohibitione proinde comprehendi censendas esse illas etiam, quæ ex instituto, vel vota simplicia perpetua, vel temporaria, vel nulla emittere solent. Dicimus autem præfatæ legi derogatum fuisse, in quantum, pro inchoandis istis etiam congregationibus, Romani Pontificis licentiam exigebat : quod sic probamus : admittenda est hæc derogatio, si nunc sedes Apostolica consentiat, ut ejusmodi congregationes de sola Ordinarii licentia inchoari valeant : atqui ita revera consentire Romanam sedem tribus præcedentibus propositionibus probatum est : ergo.

Non esse necessariam pro inchoandis præfatis congregationibus sedis Apostolicæ approbationem, existimavit etiam modernus Galliæ scriptor, R. P. Gautrelet (*Traité de l'état religieux*, t. 1, p. 136, edit. 1853).

Scholium. — Si vera sit opinio quam sub præsenti paragrapho propugnavi, sequitur licite hodie inchoari et constitui cum

Digitized by Google

sola Ordinariorum approbatione et auctoritate, congregationes illas, quæ simplicia duntaxat vota, ex proprio instituto, in perpetuum emittunt; et a fortiori illas quæ, vel nulla vota, vel non perpetua nuncupant. Item sequitur licite ex sola Ordinarii facultate constitui earum congregationum conventus. *Si vera sit,* inquam, hæc a me propugnata sententia : nam in re tam gravi, et deficiente doctorum qui modernam illam quæstionem excusserint auctoritate, vereor ne minus considerate in eam conclusionem iverim. Quapropter, sicut cætera omnia a me scripta, hunc imprimis locum sedis Apostolicæ correctioni subjicio; atque ex nunc pro tunc, si erroneus judicabitur, retraho prorsusque rejicio.

Quod si e contra veritatem assecutus sim, valde notatu digna est hæc disciplinæ immutatio. Olim nempe a duobus concilibis œcumenicis decretum fuit ne nova ulla religio absque sedis Apostolicæ approbatione induceretur, et ne quis religionem ab eadem Sede non approbatam ingrederetur (capite *ne nimia,* tituli 36, libri 3 decretalium; et capite *religionum, de religiosis domibus,* in 6). Et quia finis hujusce legis erat, *ne nimia religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem induceret,* communis doctorum interpretatio fuit, sub prohibitione comprehendi etiam congregationes religiosas, quæ simplicia duntaxat vota emittunt; imo et quæ vota hæc non habent, sed solummodo status religiosi formam imitantur. Quæ conclusio hac ratione nitebatur : non minus expectandam esse confusionem illam, quam lex præcavere voluit, si pro libitu ejusmodi congregationes multiplicari possent. *Imo,* inquit Suarez, *quodammodo esset major* (confusio) *et cum majoribus incommodis.* Manifestum ergo est de jure communi usque ad recentiora tempora, non potuisse dictas congregationes, absque prævia sedis Apostolicæ approbatione, licite inchoari seu induci.

Recentioribus vero temporibus (si admittendæ sint conclusiones sub præsenti paragrapho deductæ) sedes Apostolica Ordinariorum arbitrio reliquit, ut quotquot utiles duxerint no-

Digitized by Google

vas ejusmodi congregationes inducerent atque approbarent. In quo satis ego mirari non possum perennem illum Spiritus sancti ductum, qui semper opportuniora pro temporum ratione Ecclesiæ suggerit. Vix enim dici potest quanta bona, meo quidem judicio, ex facta illa Episcopis facultate, et inde secuta novarum congregationum pullulatione, rei catholicæ in Galliis cesserint. Sedato quippe horrendo illo anni 1793 turbine, ubique ortæ, sanctimonialium præsertim, optima disciplina ordinatæ acies, quæ reparandis fidei damnis, necnon pietate et sanctis moribus informandis novis generationibus adeo feliciter incubuerunt. Quæ profecto instituta, plerumque absque certis fundationibus initio incœpta, si Romæ approbari, et ad juris apices juxta antiquam normam induci debuissent, ne unam quidem pro centenis monialem habuissemus. Et cum tanta sit, atque in dies augeatur ejusmodi congregationum varietas, favente Deo optimo maximo, nullum adhuc reperire est conventum, in quo vitæ sanctimonia et in piis pro cujusque instituto operibus fervor non splendeat. His procul dubio angelicis turmis præcipue tribuendum, quod nunc in melius mutata Gallia, catholicam sese tandem reminiscatur. Attentis ergo tot et tantis commotionibus ac difficultatibus, quæ exeunte decimo octavo sæculo rem catholicam in extremum discrimen adduxere, facile perspicitur quam opportune sedes Apostolica recedendum a regulis olim statutis, et permittendam sub Ordinariorum auctoritate præfatarum congregationum liberam multiplicationem duxerit.

Num autem jam optandum sit, ut tantæ varietati et multiplicationi terminus aliquis imponatur, ita ut facto ad jus commune reditu, iterum sibi novarum congregationum inchoationem sedes Apostolica reservatam decernat, non ad privatum scriptorem, sed ad ejusdem Sedis sapientiam pertinet pronuntiare.

Digitized by Google

§ IV.

In hypothesi quod, vi consuetudinis, licite hodie possint novæ congregationes absque licentia Pontificia erigi, an ejusmodi congregationes vota simplicia perpetua habentes, et ab Ordinario approbatæ, censendæ sint status religiosi essentiam habere?

Putamus affirmative respondendum. Nam posita dictæ consuetudinis legitimitate, supponi debet sedis Apostolicæ consensus. Consentit nempe Romanus Pontifex ut jam non obliget lex prohibens ne novæ congregationes religiosæ absque approbatione Pontificia inducantur. Ergo novæ religiosæ congregationes de sola Ordinarii licentia erectæ, ejusdem conditionis sunt, ac si dicta lex lata non fuisset. Sed ante illam legem, necessaria non erat approbatio Pontificia ad constituendum religiosum statum. Adest enim tota status religiosi essentia per triplex substantiale votum, et traditionem a professente factam et nomine Dei acceptatam; prout supra probavimus (parte 1, sect. 2). Equidem si superveniat Ecclesiæ prohibitio quoad ordines approbationem Pontificiam non habentes, ex tunc deficient ab essentia status religiosi; quia ex tunc jam non forent status perfectionis, sed rebellionis, ut loquuntur canonistæ. Ast modo Ecclesia Pontificiæ approbationis formalitatem non exigat, et hac formalitate carentes ordines non prohibeat, poterunt ii ordines totam religiosi status essentiam absque hac approbatione habere. Quod illustravimus exemplo impedimenti clandestinitatis quoad matrimonium. Publicitas ad formam Tridentini concilii non est de essentia matrimonii. Nihilominus ex quo Ecclesia sub nullitate prohibuit matrimonium clandestinum, matrimonium illud validum esse nequit. At sicut sublata lege quæ publicitatem requirit, matrimonia clandestina iterum valida forent, ita sublata prohibitione novarum religionum Pontificia approbatione destitutarum, iterum istæ religiones et congregationes

Digitized by Google

veri status religiosi essentiam haberent, modo cæteris ad id requisitis conditionibus non carerent. Ergo, posita dictæ consuetudinis legitimitate, novum institutum de sola licentia Episcopi inductum, et in quo fiunt in perpetuum tria vota simplicia, necnon traditio, nomine Dei, ab Episcopo acceptata, veri status religiosi rationem habere dicendum est.

Nota. — Etiamsi dubia foret legitimitas erectionis, solius Ordinarii auctoritate factæ, congregationes tamen sic erectæ, non prohibitis, sed toleratis accenseri deberent. — Id evincere videtur quotidiana Romanæ curiæ praxis. Ejusmodi enim novæ congregationes, de sola Ordinarii licentia erectæ, plurimæ nunc in Galliis exstant. Cumque frequenter ad sedem Apostolicam pro variis negotiis aut gratiis recurrant, cum ipsis agitur, non tanquam illicite existentibus, sed tanquam laude dignis. Imo gratiis et benevolentiæ testimoniis frequenter eas sedes Apostolica prosequitur. Id autem satis arguit, benigne ipsas a sede Apostolica tolerari. Imo confirmat hæc sedis Apostolicæ agendi ratio, quod superiori paragrapho conclusimus, consentire scilicet eamdem Sedem, ut ejusmodi congregationes cum sola Ordinarii approbatione inchoentur et propagentur.

CAPUT III.

QUOMODO INTELLIGENDA LEX, QUA PROHIBITÆ SUNT QUÆLIBET CONGREGATIONES MONIALIUM, ABSQUE CLAUSURA ET VOTIS SOLEMNIBUS DEGENTIUM.

In quæstione de modo canonico novas erigendi religiosas familias, non tantum attendenda est lex, modo discussa, qua prohibetur ne quis novam religionem adinveniat, sed ratio habenda est insuper alterius legis, religiosas mulierum familias specialiter concernentis, qua prohibitum fuit, ne absque clausura et votis solemnibus existerent. De qua sit,

PROPOSITIO I^a^. — *Decreta Bonifacii VIII et concilii Triden-*

Digitized by Google

tini omnibus quidem monialibus clausuram injungant; sed loquuntur duntaxat de religionibus stricte sumptis, id est, vota solemnia habentibus, non autem de congregationibus monialium vota simplicia emittentium. — « Nulli earum, inquit Bonifacius VIII, « *religionem,* tacite vel expresse *professæ*, sit vel esse valeat... « monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas. » (Capite *periculoso,* tituli *de Statu regularium,* in 6.) Et in concilio Tridentino (sess. 25 *de Regularibus,* c. 5) sic habetur : « Nemini au- « tem sanctimonialium liceat, *post professionem*, exire a mo- « nasterio. » Nomine monialium *professionem emittentium*, tunc temporis non aliæ intelligebantur quam vota solemnia emittentes. Unde dicendum, sub legibus istis comprehensas non fuisse religiosas mulierum congregationes, votis solemnibus carentes. Atque omnino id palam fecit S. Pius V, constitutione *circa pastoralis,* 29 maii 1566. Postquam enim confirmavit Pontifex quoad *universas et singulas moniales* clausuræ præceptum, sermonem convertens ad *mulieres, quæ Tertiariæ dicuntur,* et quæ *in congregatione viventes* clausuram non servabant, nec *votum solemne* emittebant, de iis decernit, ut, vel solemnia vota emittant, et sesè clausuræ subjiciant, vel nulla in posterum possit in ipsarum conventibus novitia recipi. Si clausuræ præceptum in *moniales* latum, attigisset, non tantum congregationes vota solemnia emittentes, sed etiam eas quæ simplicia duntaxat habent vota, inutile fuisset de posterioribus hoc speciali decreto disponere.

Propositio II^a^. — *Dispositio sancti Pii V, prohibens congregationes Tertiariarum absque clausura et votis solemnibus degentium, etsi expresse alias similes congregationes non comprehendat, ad eas tamen videtur extendenda.* — Equidem dicta constitutio *circa pastoralis* de Tertiariis duntaxat loquitur, nec ullam mentionem facit de aliis mulierum congregationibus, clausura et voti solemnitate carentibus. Nec mirum, cum nullæ aliæ tunc temporis, præter Tertiarias, existerent hujusce formæ feminarum congregationes.

Etenim valde recentiori ævo inducta videntur hæcce monia-

Digitized by Google

lium instituta. Imo de iis tanquam de re possibili, et nondum existente, videtur loqui Pelizzarius, dum sic quæstionem instituit : « An possit dari ordo monialium, in quo nulla fiat « professio solemnis? » Cui difficultati respondet : « Posse « dari, non tamen expedire... poterunt dari et moniales, quæ « sint veræ religiosæ, etsi non faciant professionem solemnem, « sed solum faciant vota simplicia. » (*De monialibus*, cap. 1, n. 15.)

Quamvis S. Pius V expresse loquatur solummodo de Tertiariis, videtur nihilominus ejus dispositio extendenda ad quaslibet mulierum congregationes absque clausura et votis solemnibus degentium. Id sequitur ex legis fine. Vult nempe sanctus Pontifex de medio tollere Tertiarias, ob eam solam rationem quod absque clausura et votorum solemnitate collegialiter vivant. Ergo formam hanc vivendi sublatam vult omnino, et ubicunque fuerit. Nominat autem solummodo Tertiarias, quia solæ tunc dicto modo vivebant; sed intentum ejus cæteras ejusdem instituti congregationes mulierum, aperte comprehendebat.

Hinc canonistæ, agentes de exortis postea conventibus mulierum, sic absque clausura et votis solemnibus degentium, et a Tertiariis distinctarum, communiter supponunt eos esse constitutioni sancti Pii V contrarios. Pro quo et adduci potest Benedicti XIV auctoritas : etenim in sua constitutione *quamvis*, 30 aprilis 1749, agendo de conventibus monialium, quæ *Virgines Anglicanæ* dicebantur, et clausuræ non adigebantur, dicit eas non fuisse approbatas nisi cum clausula, *cæterum non intendimus per præsentes ipsum conservatorium in aliquo approbare*. Et addit : « Quæ (clausula) tunc apponi consuevit, cum « approbantur seu confirmantur regulæ alicujus conservatorii « aut monasterii mulierum, sine clausura viventium, contra « præscriptum decretalis Bonifacii VIII et decretorum con- « cilii Tridentini, necnon constitutionis S. Pii V, quæ incipit « *circa pastoralis*. »

Ergo revera congregationes quælibet monialium, absque

Digitized by Google

clausura et votis solemnibus degentium, censendæ sunt sub prohibitione sancti Pii V comprehensæ; et ad tenorem hujus prohibitionis, non possent licite existere. Et a fortiori non posset novum hujus formæ institutum, absque licentia Pontificia, Ordinarii auctoritate creari et approbari. Sed illa sancti Pii V constitutio ex parte vigere desiit; nempe,

PROPOSITIO III^a. — *Non obstante sancti Pii V constitutione, licitæ postea fuerunt et hodiedum sunt monialium congregationes, clausura et votis solemnibus carentes; ita tamen ut ab Ecclesia toleratæ, non autem approbatæ censeri debeant.* — 1° Certum est perseverasse conventus Tertiariarum absque votis solemnibus et clausura degentium. In sola Bononiensi diœcesi quatuordecim exstitisse hujusmodi conventus, quo tempore diœcesim hanc regeret, testatur Benedictus XIV (institutione 105, n. 76). Et notum est ubique terrarum hosce conventus fuisse numerosissimos. 2° Quod autem sedes Apostolica eos duntaxat *toleraverit*, non autem sancti Pii V decreto derogaverit expresse eos approbando, tradit idem Benedictus XIV (citata institutione 105, n. 76) : « Sedes Apostolica, inquit, ita se « gessit, ut easdem Tertiarias, non quidem sua auctoritate « probaret, sed illas toleraret, et Episcopis subjectas declara- « ret. » Idem constat, ex variis Sacræ Congregationis Concilii declarationibus. (Vide, inter alias, causam *Sarzanensem*, 30 januarii 1723). 3° Idem quod de prædictis Tertiariis dicendum et de aliis monialium institutis, clausuram et vota solemnia non habentibus. Quod saltem ab Ecclesia tolerentur, probat quotidiana praxis; siquidem frequens est ut ejusmodi monialium regulæ a sede Apostolica approbentur et confirmentur, et variæ eisdem gratiæ impertiantur. Quod tamen regulam sic approbando et gratias concedendo sedes Apostolica non intendat institutum ipsum approbare, sed duntaxat tolerare, probat clausula *salutaris* (ut aiunt), quæ addi solet, his aut similibus verbis, *citra tamen approbationem dicti conventus, vel conservatorii*, vel, *non tamen intendimus per præsentes ipsum conservatorium in aliquo approbare.* « Quæ (clausula), ait Bene-

Digitized by Google

« dictus XIV, tunc apponi consuevit, cum approbantur seu « confirmantur regulæ alicujus conservatorii aut monasterii « mulierum, sine clausura viventium. » Et ita loquitur laudatus Pontifex in constitutione sua *quamvis justo*, 30 aprilis 1749 (in ejus Bullario tom. 3, n. 7, § 5) ubi agitur de quodam instituto monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium, non tamen Tertiariarum.

Unde tandem dici potest, hodie de jure communi prohibitas non esse monialium congregationes clausura carentes, et simplicia duntaxat vota emittentes : easdem tamen non esse aut dici posse ab Ecclesia *approbatas*, sed habendas eas esse tanquam *toleratas*.

Hic autem *tolerantiæ* status non impedit quin sedes Apostolica easdem plurimi faciat, et pro magno ex iisdem exsurgente rei catholicæ emolumento, valde ipsis faveat, ac etiam nonnullarum regulas approbet et confirmet. Ut adeo denominatio illa *toleratarum*, non jam denotet ullam Ecclesiæ quoad ipsas repugnantiam, sed potius de stylo retineatur, ad significandam ipsarum ab aliis distinctionem.

Propositio IV^a^. — *Lex ecclesiastica, prohibens mulierum congregationes clausura et votis solemnibus carentes, non impedit quin novæ hujusmodi congregationes authoritate Ordinariorum erigi valeant*. — Nam, ex probatis, prohitio hæc sancti Pii V, præfatas monialium congregationes illicitas faciens, jamdudum vigere desiit; si quidem, non obstante sancti Pontificis decreto, Ecclesia hasce congregationes toleravit, et hodiedum tolerat. Quod autem toleratur desiit esse prohibitum. Ergo in quæstione, an possint ejusmodi monialium nova instituta erigi ex sola Ordinariorum auctoritate, attendenda non videtur dicta sancti Pii V prohibitio. Sed attendenda solummodo est lex prohibens *ne quis novam religionem adinveniat aut ingrediatur*, de qua superiori capite disseruimus. Sed neque istam legem obstare conclusimus : ergo.

Digitized by Google

CAPUT IV.

QUALIS REQUIRATUR SEDIS APOSTOLICÆ APPROBATIO, AD NOVÆ RELIGIONIS SEU CONGREGATIONIS RELIGIOSÆ INSTITUTIONEM.

Approbatio Pontificia, prout supra monuimus, et extra controversiam est, duo includit : *judicium* nempe quo declaratur novi instituti honestas, et *licentiam* illud exsequendi; atque illud utrumque facere censetur Pontifex, quando de aliquo instituto dicit, *approbamus*. Vi nempe hujus vocis facultas datur novæ familiæ religiosæ membris superiorem sibi eligendi, vota emittendi, novitios recipiendi, et cætera omnia peragendi juxta instituti approbati normam et prescriptiones. Id tanquam certum hic supponimus.

At difficultatem facere possunt sequentes quæstiones : 1° qualis, seu cujus formæ, requiratur approbatio, ut novum institutum sit licitum; 2° qualis, ut habeat essentiam status religiosi; 3° qualis, ut erigatur in religionem stricte sumptam, cum votis solemnibus; 4° qualis, ut erigatur in congregationem proprie religiosam, cum votis simplicibus; 5° qualis, tandem, ut conditionem habeat congregationis improprie religiosæ, ac proinde sæcularis, id est, religiosi status essentiam non habentis. De hisce quæstionibus agendum nunc sub sequentibus paragraphis.

§ I.

Qualis, seu cujus formæ, requiratur approbatio Pontificia, ut novum institutum licite valeat inchoari.

Respondemus sufficere vocem *approbamus*, vel quamlibet ipsi æquivalentem, quocunque modo in ea exprimenda utatur Romanus Pontifex. Etenim hoc ipso quod sedes Apostolica

Digitized by Google

novum institutum approbet, honestum illud declarat, et licentiam illud exsequendi impertitur. Et id verum est, sive actus approbandi fiat cum hac locutione, sive cum alia; et sive fiat viva voce, sive in scriptis. Modo adsit revera actus approbandi externe prolatus, repugnat licitam non esse novi instituti inchoationem; siquidem idem est, ex dictis, approbare et licitum facere. Unde, post obtentam Pontificiam approbationem, remanere quidem poterit difficultas in determinanda novi instituti natura seu conditione, cum vox *approbamus* per se solam id non determinet; at vero quoad liceitatem nullus dubio locus relinquitur.

§ II.

Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio, ut novum institutum status religiosi essentiam habeat.

PROPOSITIO I^a^. — *Fuit nonnullorum canonistarum opinio, non sufficere, ut Romanus Pontifex simpliciter approbet modum vivendi, seu formulam novi instituti, quamvis formula hæc seu modus vivendi, omnia ad status religiosi essentiam necessaria contineat, præter approbationem; sed requiri ut in approbatione exprimatur acceptari institutum illud* TANQUAM VERAM RELIGIONEM, *seu* TANQUAM STATUM PROPRIE RELIGIOSUM. — De hac opinione mentionem facit Suarez, in hunc modum : « Sed interrogabit ali-
« quis, an eo ipso quod Pontifex talem vivendi modum ut
« honestum et sanctum approbet, detque facultatem profi-
« tendi illum cum votis tantum simplicibus, illa sit vera reli-
« gio, ita ut una *ex approbatis* dici possit; vel oporteat ut
« *expresse* et quasi formaliter illam approbet, *sub ratione veræ*
« *religionis*, ita ut veluti specialiter illi privilegium veræ reli-
« gionis concedat? Aliqui enim canonistæ et summistæ hoc
« posterius indicant, dum distinguunt inter Pontificiam ap-
« probationem communitatis religiosæ *in ratione religionis*
« *veræ*, vel *in ratione modi vivendi honeste*, ac religiose aliquo

Digitized by Google

« modo : dicuntque ad religionem non sufficere hanc poste-
« riorem approbationem, sed requiri priorem quasi formalem.
« Ita distinguit Panormitanus..., Navarrus..., Sylvester...,
« Glossa... » (*De Religione*, tomo 3, lib. 2, c. 16, n. 18.) Re-
jiciendam esse opinionem illam probat postea Suarez, ut
modo videbimus. Eam tamen amplectitur Pelizzarius, etsi
Suaresio recentior, ut palam faciunt hæc ejus verba : « Quo-
« modo spectet ad substantiam status religiosi, ut tria vota
« religiosa emittantur in religione approbata a sede Aposto-
« lica? — Respondeo ita spectare, ut ad constituendum sta-
« tum religiosum non sufficiat modus vivendi ab Ecclesia ap-
« probatus, sed requiratur præterea ut talis modus vivendi
« servetur in religione, quæ ab Ecclesia sit approbata seu ac-
« ceptata tanquam vera religio. » (*Manuale regularium*, tr. 1,
cap. 1, *quæres* 5°.) Unde revera negari non potest hanc fuisse
nonnullorum opinionem.

Nota. — An opinio hæc pro se insuper habeat Benedicti XIV
auctoritatem, expenditur infra, propositione 3.

PROPOSITIO II^a. — *Quando novus modus vivendi, seu novum institutum, pro quo postulatur approbatio, habet tria vota perpetua, cum traditione ab aliquo ad id auctoritatem habente recipienda, simplex approbatio Pontificia sufficit, ut institutum hoc status religiosi essentiam habeat.* — Dicimus sufficere simplicem Romani Pontificis approbationem, id est, non requiri ut Romanus Pontifex, approbationem dando, exprimat insuper se acceptare novum hoc institutum *tanquam veram religionem*, aut *tanquam veram congregationem religiosam*, aut quodlibet aliud simile. Sustinemus nempe sufficere ut Summus Pontifex dicat hanc solam vocem, *approbamus;* quin necesse sit ut aliquid aliud addat.

Probatur 1°. — *Ex natura status religiosi.* — Nam sub prima tractatus parte (sect. 2), status religiosi essentiam determinando, probavimus illam totam reponendam esse in his tribus : *primo*, ut fiant tria vota perpetua, quæ substantialia vocantur, id est, paupertatis, castitatis et obedientiæ ; *secundo*,

Digitized by Google

ut fiat insuper et acceptetur traditio, qua se vovens Dei servitio mancipet; *tertio*, ut hæc peraguntur cum aliqua vivendi norma *non prohibita;* quæ tertia conditio additur, quia cum tribus votis substantialibus et præfata traditione, plures esse possunt diversæ vivendi formæ; et Ecclesia potestatem habet aliquas ejusmodi formas prohibendi et alias permittendi : quod si aliquam ejusmodi formam Ecclesia prohibeat, jam nequit dari cum hac forma status religiosi essentia; quia jam hoc ipso non foret status perfectionis, sed status peccaminosus.

Jam vero in casu, de quo nunc agimus, reperiuntur hæc tria, ad essentiam status religiosi necessaria : adsunt nempe in novo instituto tria vota perpetua, ex hypothesi : adest præfata traditio, ut pariter supponimus : tandem nedum prohibeatur modus particularis vivendi, pro quo postulatur approbatio, illum e contra Romanus Pontifex approbat. Ergo novum illud institutum, accedente simplici approbatione, totam habet religiosi status essentiam. Et hoc adeo verum est, ut neque ipse Romanus Pontifex impedire possit, ne novum illud institutum, quandiu ab ipso remanebit simpliciter approbatum, status religiosi essentiam non habeat; quia Summus Pontifex non potest essentias rerum mutare. Equidem si Papa, simul ac approbat novum institutum, decernat ut a nemine vota in hoc instituto emittenda acceptentur, prout factum est quoad presbyteros *Missionis* (les Lazaristes), non aderit status religiosi essentia, deficiente acceptatione traditionis, quæ acceptatio est unum de essentialibus : sed tunc non approbabitur novum institutum quod in thesi supponimus, sed aliud diversum. In thesi enim supponimus institutum in quo vota emittenda sint et rite acceptanda.

Probatur 2° *ex modo quo approbata fuit societas Jesu.* — « Paulus III, inquit Suarez, in prima sua approbatione nullam « mentionem facit religionis; sed proposita tota ratione vi« vendi in hoc instituto, his verbis illud confirmavit : *Cum « nihil in præmissis reperiatur, quod pium non sit ac sanctum,*

Digitized by Google

« *Nos, ut iidem socii, qui Nobis super hoc humillime supplicari*
« *fecerunt, in eorum pio vivendi proposito eo promptiores existant*
« *quo se majori sedis Apostolicæ gratia complecti cognoverint, et*
« *præmissa per Nos approbari viderint, præmissa omnia et singula,*
« *tanquam ad spiritualem profectum eorumdem sociorum, et reli-*
« *qui christiani gregis opportuna, Apostolica auctoritate, tenore*
« *præsentium, ex certa scientia, approbamus, confirmamus, etc.*
« Et infra, cum restringit numerum recipiendorum, non vo-
« cat *religionem*, sed *normulam vivendi*. Et similiter Julius III,
« in sua prima bulla, eamdem approbationem referens et con-
« firmans, eadem fere præmittit verba, et tandem concludit:
« *Apostolica auctoritate, tenore præsentium, erectionem et institu-*
« *tionem Societatis... perpetuo approbamus et confirmamus*, nulla
« facta ejus mentione sub nomine *religionis*, vel *religiosi sta-*
« *tus*. Et nihilominus Pius V, in suo secundo brevi *dum inde-*
« *fesse*, ex vi dictæ confirmationis declaravit, *præpositum ac*
« *singulas personas Societatis hujusmodi, vere et non ficte mendi-*
« *cantes fuisse, esse et fore; et inter aliorum fratrum et religioso-*
« *rum mendicantium ordines, aliosque fratres et religiosos mendi-*
« *cantes, prout illos Nos connumeramus, connumerari debere*. Ubi
« pondero verba illa *fuisse* et *esse;* ex illis enim constat de-
« clarare Pontificem, ex vi prioris approbationis hanc fuisse
« *religionem veram...*, etiamsi sub illa ratione... formaliter et
« expresse approbata non fuerit. » (*De Religione*, tomo 3, lib. 2, c. 16, n. 20.)

Innuitur 3° *ex modo quo approbata fuit congregatio Missionis, seu Lazaristarum*. — Congregatio hæc, cujus auctor fuit sanctus Vincentius a Paulo, voluit habere tria vota perpetua, et tamen non esse congregatio regularis, sed sæcularis. Ut autem in hac conditione constitueretur, si vera foret opinio sub præcedenti propositione exposita, satis erat eam approbari cum tribus votis perpetuis, nihil aliud addendo : etenim, juxta dictam opinionem, hoc ipso quod expressis terminis non fuisset acceptata in *veram religionem*, seu in verum *statum religiosum*, remansisset mere sæcularis. Porro non ita existi-

Digitized by Google

matum fuisse, vehementer innuit (ne dicam rigorose probat) formula, qua usus est Alexander VII, in approbanda dicta congregatione. En ipsius verba : « Præfatam congregationem « Missionis... confirmamus et approbamus cum emissione vo- « torum simplicium castitatis, paupertatis et obedientiæ, necnon « stabilitatis in dicta congregatione, ad effectum se toto vitæ « tempore saluti pauperum rusticanorum applicandi, post « biennium probationis faciendæ; in quorum tamen votorum « emissione nemo intersit, qui ea acceptet nomine congrega- « tionis, sive Nostro et pro tempore existentis Romani Pontifi- « cis nomine... Utque dicta congregatio non censeatur pro- « pterea in numero Ordinum religiosorum, sed sit de corpore « cleri sæcularis. » (Constitutio *ex commissa,* 22 septembris 1655.)

Cur expresse disponit Pontifex ut nemo vota acceptet, sive nomine congregationis, sive nomine sedis Apostolicæ? Nonne ut *propterea* congregatio hæc *non censeatur in numero Ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri sæcularis?* Æstimabat ergo congregationem futuram fuisse de numero religiosorum Ordinum, si eam simpliciter approbasset, et vota acceptata fuissent sedis Apostolicæ nomine. Et revera, cum in hoc instituto vota sint perpetua, si insuper adfuisset traditio, nomine Dei, ab aliquo ad id potestatem habente acceptata, nihil defuisset de necessariis ad constituendam status religiosi essentiam. Et ideo ut non adesset status religiosus, seu ut congregatio remaneret *de corpore cleri sæcularis,* necesse fuit statuere, ut non adesset unum de constitutivis status religiosi, nempe *acceptatio* votorum seu traditionis, qua se vovens Dei servitio mancipat. Hinc, si vellet hodie sedes Apostolica eamdem congregationem ad status religiosi conditionem evehere, satis foret decernere, ut in posterum vota recipiantur a superioribus, congregationis et Ecclesiæ nomine; quia hoc ipso adessent omnia status religiosi constitutiva.

Probatur 4° ratiocinio Suaresii. — Postquam distinxit mo-

Digitized by Google

dum vivendi cum tribus votis perpetuis, et vera incorporatione voventis in congregationem quæ eum recipit, a modo vivendi absque votis substantialibus perpetuis, sic habet : « Dico ergo, quando modus vivendi est prioris generis, eo « ipso quod approbatur ut sanctus et honestus, et datur facultas emittendi et acceptandi in illo tria vota, approbari « ut sit verus religionis status, nec posse unum ab alio separari; ac subinde non esse necessarium ut approbatio sit cum « illa formalitate; sed satis esse quod simpliciter approbetur, « ut introduci et esse possit. Ratio est, quia impossibile est « approbare modum vivendi in communitate religiosa, et habentem omnia quæ (præter approbationem) sunt de substantia religionis ac religiosi status, et non approbare illum « *ut sit vera et propria religio*, etiamsi in approbatione ipsa, seu « in objecto ejus, hoc formaliter non exprimatur. Probatur « assumptum : quia in rebus naturalibus impossibile est rem « habere omnia quæ sunt de substantia talis speciei (verbi « gratia hominis), et non esse verum hominem. Et in artificialibus non potest aliquid habere quidquid est de substantia seu ratione domus, et non esse domum... Sic ergo « impossibile est aliquam congregationem habere omnia quæ « sunt de substantia religionis, et non esse religionem. Ergo « si talis congregatio approbatur simpliciter cum toto suo vivendi modo, impossibile est approbari ut est talis vivendi « modus, et non in esse veræ religionis. » (*De Religione*, tomo 3, l. 2, c. 16, n. 19.)

Illud Suaresii ratiocinium visum est omnino peremptorium Antonio a Sancto Spiritu : « Ut aliquis vivendi modus, inquit, « cum vera unione et incorporatione per tria vota simplicia « de se perpetua, sit vera religio, non requiritur ut expresse « et formaliter sub ratione veræ religionis approbetur ab Ecclesia, ut putavit Pelizzarius (tract. 1, cap. 1, n. 9); sed « sufficit quod talis modus approbetur ab Ecclesia ut sanctus « et honestus, et detur facultas emittendi et acceptandi in « illo tria vota, ut bene et erudite probat Suarez, tomo 3, *de*

Digitized by Google

Religione, l. 2, c. 16, n. 18 et 19. » (Antonius a S. Spiritu, *Directorium regularium*, tractatu 3, disp. 1, sect. 2, n. 68.)

Doctrinam hanc, utpote communiorem et peremptoriis rationibus fundatam, omnino tenendam existimarem, nisi ei adversari videretur Benedicti XIV auctoritas. Quare subjicienda nunc et diligenter expendenda clarissimi Pontificis hac de re verba.

PROPOSITIO III^a^. — *Doctrinæ sub propositione præcedenti expositæ adversari videtur Benedictus XIV.* — Exstabant in Germania moniales, *virgines Anglicanæ* nuncupatæ, absque clausura et votis solemnibus degentes, quarum regulas approbaverat et confirmaverat Clemens XI. Exortas postmodum nonnullas, quoad illarum virginum conventus seu conservatoria, controversias, ut dirimeret Benedictus XIV, edidit constitutionem suam *quamvis justo* (30 aprilis 1749, in ejus bullario, tomo 3, n. 7); ubi, inter alia, pronuntiat, virgines illas *vere religiosas* non esse, nec ipsarum vota pro solemnibus habenda. Quam decisionem ut ratione etiam veram ostendat, hæc subjungit (§ 13) valde attendenda verba : « Si enim ad « essentiam status vere religiosi requiritur, ut religio seu « ordo in hujusmodi statu Apostolicæ sedis confirmatione sta« biliatur (juxta canonicas sanctiones, de quibus in capite « unico *de religiosis domibus*, in 6), nec sufficit ab eadem « Apostolica sede obtinuisse duntaxat approbationem et con« firmationem regularum, quas aliqua virorum aut mulierum « societas sibi observandas præscripserit; si vota paupertatis, « obedientiæ et castitatis, ab Anglicanis virginibus emissa ad « formam regularum a Clemente XI approbatarum, conjun« cta dici nequeunt cum expressa aut tacita professione in « aliquo ordine per sedem Apostolicam, ut præfertur, appro« bato; clare patet, et statum virginum Anglicanarum non « esse statum veræ religionis, et vota quæ ab ipsis fiunt sim« plicia ad summum vota, non vero solemnia, censeri debere, « ad tramites decretalis Bonifacii Papæ VIII, quæ unica exstat « sub titulo *de voto et voti redemptione*, in 6. »

Digitized by Google

Ibi aperte dicit Benedictus XIV, ad essentiam status religiosi requiri, ut ordo seu societas a sede Apostolica confirmetur quatenus *status religiosus;* nec sufficere alicujus societatis virorum aut mulierum regulas a sede Apostolica fuisse approbatas, ut societas hæc status religiosi essentiam habere censenda sit. Ergo ad hoc ut nova societas in statu religioso constituatur, existimavit Benedictus XIV non sufficere *simplicem approbationem* regulæ seu formulæ instituti illius societatis, quantumvis regula illa contineat cætera omnia, ad status religiosi rationem necessaria; sed requiri insuper ut sedes Apostolica societatem hanc *expresse in statum religiosum* erigat et confirmet. Hic videtur esse transcriptorum clarissimi Pontificis verborum sensus obvius; et fateor frustra me laborasse ut ad alium ea detorquerem.

Jam vero hoc sensu intellecta laudati Pontificis verba, præcedenti propositioni aperte adversantur; et consonant e contra Pelizzario et aliis canonistis, quorum opinionem sub propositione prima descripsimus.

Insuper ex iis verbis, sic intellectis, sequeretur societatem Jesu, postquam a Paulo III et Julio III approbata fuit, essentiam status religiosi non habuisse; siquidem neuter ex illis Pontificibus eam expresse erexit *in statum religiosum,* aut *in religionem;* sed uterque institutum illud simpliciter approbavit, nulla facta mentione *status religiosi,* vel *religionis,* aut *religiosi ordinis* sive *congregationis.* Quod certe admitti nequit, cum sanctus Pius V expresse declaraverit, vi prædictarum approbationum, *singulas hujusmodi Societatis personas vere et non ficte mendicantes* FUISSE, *esse et fore; et inter aliorum religiosorum mendicantium ordines connumerari debere.*

Quid ergo concludendum de præfatis Benedicti XIV verbis? Notandum est in eo constitutionis suæ loco Pontificem non definire, sed rationes deducere, quæ veram probent jam prolatam definitionem. Definierat nempe *virgines Anglicanas non esse veras religiosas.* Ut autem perspectum faciat rem ita esse, theologice ratiocinatur et citata verba subjungit.

Digitized by Google

Porro aliam esse Romani Pontificis auctoritatem in definiendo, aliam vero in exponendis rationibus quibus definitionis veritas pandatur, tradunt theologi (vide Melchiorem Cano, *de Locis theologicis*). Priori infallibilitas adscribitur, non item posteriori. Absit autem ut dicere audeam Benedictum XIV (etsi ratiocinando, non definiendo) a sincera doctrina vel minimum deflexisse in constitutione Apostolica. Id tantum adnotabo, non potuisse me citata ipsius verba præcedentis propositionis doctrinæ accommodare. Atque id inde contigisse suspicor, quod verba illa non bene intellexerim. Quare difficultatem doctioribus enodandam relinquo. Interea vero dictam præcedentem conclusionem, utpote communius receptam, et peremptoriis (ut mihi videtur) rationibus fultam, liceat cum Suaresio retinere.

§ III.

Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio, ut novum institutum erigatur in religionem stricte sumptam, id est, trium votorum solemnium.

PROPOSITIO I^a^. — *Requiritur ut, vel in ipsamet approbationis formula, vel in formula novi instituti in quam cadit approbatio, exprimatur vota fore solemnia.* — Etenim si mentio duntaxat fieret de votis perpetuis, absque ulla voce qua eorum solemnitas indicaretur, immerito vota hæc ut solemnia haberentur. Nam solemnitas, non est de essentia votorum, nec de essentia status religiosi; sed aliquid accidentale votis annexum. Ergo sub denominatione votorum substantialium religionis, aut etiam votorum perpetuorum, non comprehenditur eorum solemnitas; ac proinde ut adsit, necesse est id exprimi. Præterea votorum solemnitas secum trahit impedimentum dirimens matrimonii. Vota autem alicujus societatis hominum non debent censeri, imo nec esse possunt impedimentum dirimens matrimonii, nisi Ecclesia id statuerit. Porro Ecclesia decrevit quidem vota *solemnia* fore impedimentum

Digitized by Google

dir'mens; at minime id decrevit quoad alia vota. Ergo nisi exprimatur, vota in aliquo religioso instituto emittenda solemnia fore, non erunt per se (1) impedimentum dirimens, nec proinde solemnia.

PROPOSITIO IIª. — *Quando formula novi instituti, in quam cadit approbatio, sufficienter exprimit vota fore solemnia, sufficit sola vox* APPROBAMUS, *ut institutum illud in religionem stricte sumptam erigatur.* — Dicimus in hoc casu sufficere simplicem approbandi actum, etiam per solam vocem *approbamus* expressum; ac proinde opus non esse tunc, ut approbationis formula enuntiet, sive votorum solemnitatem, sive erectionem in *religionem formalem* seu stricte sumptam.

1° Non opus est ut approbationis formula votorum solemnitatem exprimat. Nam, ex hypothesi, solemnitas hæc exprimitur in formula instituti approbandi : hoc autem posito, impossibile est approbari novum institutum, juxta hanc formulam intellectum, quin hoc ipso approbentur vota ut solemnia; ergo inutiliter in formula approbationis adderetur, approbari institutum *cum votis solemnibus.* Ergo sola vox *approbamus*, modo cadat in formulam instituti, in qua exprimitur vota fore solemnia, votorum in hocce instituto emissorum solemnitatem certo inducit.

2° Nec opus est, in dicto casu, ut in approbationis formula exprimatur, novum institutum in religionem stricte sumptam erigi. Nam, ex probatis superiori propositione, id non requiritur, ut novum institutum essentiam status religiosi habeat, seu ut novum institutum sit vera religio. Aliunde ex modo dictis, id non requiritur ut vota sint solemnia. Ergo id non requiritur, ut novum institutum sit *vera religio cum votis solemnibus.* Sed vera religio cum votis solemnibus, est præcise id quod vocatur religio formalis seu stricte sumpta : ergo,

(1) Dicimus *per se;* quia potest sedes Apostolica votum etiam simplex erigere in impedimentum dirimens; et ita reapse factum est a Gregorio XIII quoad vota simplicia Scholasticorum societatis Jesu. Sed necesse fuit hoc expressis verbis decerni; alioquin hæc eadem vota dirimentis impedimenti vim nequaquam habuissent.

Digitized by Google

in dicto casu, ad erigendum novum institutum in religionem stricte sumptam, sufficit simplex actus approbandi, atque adeo sola vox *approbamus*.

Nota. — Si quæras quibus locutionibus sufficienter exprimi censenda sit votorum solemnitas, respondemus, aptas ad id omnino censendas esse hasce formulas : *solemniter profitebuntur ; solemnem emittent professionem ; consilia evangelica solemni voto profitebuntur*. Et in praxi adhiberi solent locutiones istiusmodi, prout compertum habebit, qui in Bullario Romano constitutiones perlegerit, quibus varii religiosi ordines approbatione Pontificia donati sunt. Sufficientes autem non forent formulæ hujusmodi : *substantialia religionis vota emittent ; peracto novitiatus anno profitebuntur*. Patet ex dictis.

§ IV.

Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio ut novum institutum erigatur in congregationem proprie religiosam, id est quæ habeat essentiam status religiosi, cum votis simplicibus?

I. Requiritur ut, vel in formula approbationis, vel in formula novi instituti, in quam cadit approbatio, sufficienter exprimatur emittenda fore tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ. Si enim de votis in utraque formula sileatur, vel si emittendum fore dicatur unum duntaxat aut alterum ex istis votis, novum illud institutum, quatumvis approbatum, status religiosi essentiam non habebit. Sequitur ex doctrina superius exposita (parte 1, sect. 2), de necessitate triplicis hujusce voti, ad constituendam status religiosi essentiam. Dicimus autem requiri ut emittendum triplex illud votum statuatur, *vel in ipsamet approbationis formula, vel in formula novi instituti* quod approbatur. Non enim necesse est ut Pontifex ipse id dicat; sed etiamsi sola voce *approbamus* utatur, si vox illa cadat in formulam instituti, quæ essentialia omnia status religiosi exprimat, non potest institutum illud status religiosi rationem non habere ; quod satis patet ex dictis.

Digitized by Google

II. Necesse non est ut exprimatur triplicis voti *perpetuitas*, modo tamen contrarium non dicatur. Nam quando de voto triplicis consilii evangelici mentio fit *simpliciter*, id est, nihil addendo, intelligitur de voto absoluto, ac proinde perpetuo.

III. Item necesse non est exprimere, vota recipienda fore nomine congregationis et nomine Dei, ab aliquo ad id potestatem habente; modo tamen contrarium non exprimatur. Nam quando permittit sedes Apostolica vota in aliqua congregatione fieri, censetur facultatem facere hujusce congregationis superiori vota illa et traditionem, qua vovens Dei servitio sese mancipat, rite acceptandi. In pluribus tamen bullis novas congregationes approbantibus, expressam reperies facultatem hanc vota recipiendi, superioribus approbati novi instituti concessam. Quod ego puto ad tutius apponi; non autem quod omnino necessarium sit, ut novum institutum religiosi status essentiam habeat. Sicut etiam quandoque in approbationis formula ponitur, vota in novo instituto emittenda, fore *substantialia religionis* vota : quæ quidem locutio optima est ad arguendam in novo instituto status religiosi essentiam; non tamen ad id necessaria est, cum possit idem ex aliis verbis sufficienter constare.

IV. Necesse non est exprimi, vota fore *simplicia*, modo tamen nullæ adsint voces quæ eorum solemnitatem enuntient. Nam superiori paragrapho firmavimus, religiosum institutum non censendum esse approbatum cum votis solemnibus, nisi id exprimatur. Ergo si non exprimatur votorum solemnitas, hoc ipso pro simplicibus habenda erunt. Ergo ut sint simplicia, necesse non est hoc exprimi, sed sufficit ut non exprimatur contrarium.

Digitized by Google

§ V.

Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio, ut novum institutum erigatur in congregationem improprie religiosam, id est, ita ut non habeat status religiosi essentiam.

PROPOSITIO I^a. — *Necesse est ut, vel in formula Pontificiæ approbationis, vel in formula quæ approbanda proponitur, exprimatur aliquid religiosi status proprium.* — Nisi enim approbatio caderet in modum vivendi, aliquid de statu religioso habentem, novum institutum dici non posset *congregatio religiosa*, etiam *improprie;* siquidem non distingueretur a mera confraternitate seu pio sæcularium personarum sodalitio. Unde ut novum institutum evadat congregatio religiosa *improprie dicta*, necesse est ut aliquid sibi usurpet de statu religioso; verbi gratia, ut habeat vitam communem sub alicujus superioris regimine, sive absque ullis votis, sive cum tribus votis ad tempus, sive cum solo voto castitatis.

PROPOSITIO II^a. — *Necesse est ut novum institutum, vel tria vota perpetua non habeat, vel (si habeat) ut nequeant vota hæc a quoquam, nomine sedis Apostolicæ, acceptari.* — Debet nempe alterutrum ex dictis sufficienter exprimi, aut in approbationis Pontificiæ formula, aut in formula novi instituti in quam cadit approbatio. Nam si hæc duo simul adessent, nimirum si tria vota perpetua in novo instituto emittenda forent, et ab aliquo (ad id facultatem habente) acceptanda, jam inesset huic instituto vera et tota religiosi status essentia: nec posset a sede Apostolica institutum illud approbari, quin hoc ipso approbaretur tanquam congregatio *proprie religiosa*. Nequit enim facere Romanus Pontifex, institutum aliquod approbando, ut institutum hoc non sit id quod est ex essentia sua. Et ideo, prout supra jam adnotavimus, cum vellet congregatio *Missionis* (des Lazaristes) habere tria vota perpetua, et nihilominus remanere mere sæcularis, opus fuit in approbationis bulla ex-

Digitized by Google

presse decernere, ut nemo vota hæc acceptaret nomine congregationis aut sedis Apostolicæ. Et nisi clausulam hanc addidisset Summus Pontifex, Lazaristarum congregatio non esset sæcularis, sed proprie religiosa; habens nempe status religiosi essentiam et veritatem.

CAPUT V.

DE ROMANI PONTIFICIS INFALLIBILITATE IN APPROBANDIS RELIGIOSIS ORDINIBUS.

Prænotanda. — 1° In approbatione Pontificia novæ alicujus religionis, quatuor implicite continentur sedis Apostolicæ judicia : *primo*, judicium quo declaratur novum illud institutum esse omni ex parte honestum, nec quidquam includere bonis moribus contrarium; *secundo*, judicium quo declaratur huic instituto, auctoritate Pontificia approbato et confirmato, inesse veri status religiosi rationem seu essentiam; *tertio*, judicium quo declaratur institutum illud esse utile ad perfectionem acquirendam; *quarto*, tandem, judicium quo pronuntiatur illius instituti introductionem opportunam esse ac utilem, eo tempore quo introducitur. Quod illa quatuor judicia in actu approbandi contineantur, facile perspici potest. Etenim *primo*, continet approbatio judicium de honestate novi instituti; siquidem vox *approbare*, in suo naturali et obvio sensu, idem significat ac *bonum judicare* et *licentiam exequendi concedere*, prout jam supra notavimus. *Secundo*, approbare novum institutum quatenus religionem, seu ut sit ordo religiosus, idem est ac judicare seu declarare institutum illud, sic approbatum, habere status religiosi essentiam. *Tertio*, cum status religiosus sit essentialiter status perfectionis acquirendæ, pronuntiare aliquod institutum esse verum statum religiosum, est hoc ipso pronuntiare illud esse aptum et utile ad consequendam perfectionem. *Quarto*, Summus Pontifex non daret

Digitized by Google

licentiam introducendi novum institutum, nisi ejus introductionem existimaret opportunam et utilem; ac proinde hoc ipso quod illud approbet, implicite pronuntiat de ipsius introductionis opportunitate.

2° Quando expenditur quæstio de infallibilitate Romani Pontificis in approbandis religiosis ordinibus, tria priora judicia, in approbatione contenta, sedulo distinguenda sunt a quarto judicio, novi instituti opportunam introductionem concernente. Nam, ut mox videbimus, infallibilitas, de tribus prioribus judiciis intellecta, omnino certa est et tenenda. De quæstione vero, an Summus Pontifex errare possit opportunam judicando novi ordinis religiosi introductionem, aliquatenus tolerata videtur in scholis disputatio.

3° Quando simpliciter et absque ulla explicatione agitur de infallibilitate Papæ in approbandis religiosis ordinibus, solet infallibilitas illa intelligi quoad tria priora judicia modo memorata. Intelligitur nempe Papam non posse errare, honestum pronuntiando novum institutum, et declarando illud esse vere statum religiosum, ac proinde etiam statum perfectionis.

4° Infallibilitatem in hoc sensu intellectam defendunt, tanquam omnino certam et tenendam, Divus Thomas et probati quique doctores communiter. Huic tamen doctorum consensui malesana singularitate contradicendum duxit Melchior Canus, quem perstringit Suaresius in hunc modum : « In quo puncto « non satis caute locutus est Cano (libro 5, *de Locis*, cap. 5), « indicans posse Pontificem errare in approbanda religione..., « quia religionis approbatio non pertinet ad doctrinam fidei, « nec ad mores Ecclesiæ universalis, sed ad particularem vi- « vendi modum cujusdam familiæ; et ideo non est inconve- « niens, quod in hac approbatione errare possit Pontifex, « quia Spiritus sancti assistentia solum pro universali Ecclesia « illi promissa est. » (*De Religione*, tomo 3, l. 2, cap. 17, n. 18.) His prænotatis, sit

PROPOSITIO I^a. — *Romanus Pontifex infallibilis est in appro-*

Digitized by Google

laudis religiosis ordinibus, id est, in pronuntiando aliquod religiosum institutum esse in se honestum, et habere status religiosi essentiam, et esse ad acquirendam perfectionem utile.— « Omnino « sentiendum et dicendum est, non posse errare Pontificem « in approbatione religionis, quoad judicium de honestate, et « sufficientia talis modi vivendi ut sit status perfectionis ac- « quirendæ, seu religionis... Potestque generaliter suaderi, « quia Pontifex approbando religionem aliquam, quasi cano- « nizat illam ut sanctam et honestam, et obligat omnes fideles « ad id credendum. Ergo sicut non potest errare in canoni- « zatione alicujus sancti, ut est certum..., ita neque in con- « firmatione religionis errare potest. Et ideo damnatur « Wiclefus in concilio Constantiensi, sessione 8, eo quod « religiones approbatas ausus est damnare : eadem enim ratio « in singulis quæ in omnibus militat. Ideoque concilium Late- « ranense, sub Innocentio III, capite 13, dixit in universum, « bonum et piam esse religionem auctoritate Pontificis con- « firmatam. Facit etiam decretum Hilarii... dicens : *Nulli fas « sit Apostolica decreta contemnere.* Quod referens sanctus « Thomas (opusculo 19 *contra impugnantes relig.*, cap. 4) ait : « *Cum aliqua religio per sedem Apostolicam instituta est, mani- « feste sese damnabilem ostendit, qui talem religionem damnare « conatur.* Denique ratio est, quia Pontifex errare non potest « in his quæ ad mores pertinent, cum gravi detrimento uni- « versalis Ecclesiæ : talis autem esset prædictus error : quia, « licet non tota Ecclesia observet modum vivendi unius reli- « giosis approbatæ, nihilominus talis religio pro universa « Ecclesia approbatur, et omnibus fidelibus proponitur ut « via secura, non solum ad salutem, sed etiam ad perfectio- « nem. Ergo error in tali approbatione in universalis Eccle- « siæ perniciem, quantum in se est, redundaret. » (Suarez, *de Religione*, lib. 2, c. 17, n. 18.)

Thesim probat postea Suaresius in particulari quoad unumquodque trium judiciorum, in approbatione Pontificia contentorum :

Digitized by Google

« Unum (ex illis judiciis) est, talem modum vivendi ex « omni parte honestum esse, nihilque contra bonos mores « includere. Et in hoc *certissimum est*, imo *de fide* esse vide- « tur, non posse Pontificem errare, approbando religionem; « alioquin mala pro bonis approbaret, induceretque fideles « in errorem bonis moribus contrarium : quia quod a Ponti- « fice in una religione ut honestum approbatur, fieri potest « a quolibet studioso fideli, etiamsi talem religionem non « profiteatur, si aliunde statui suo non repugnet. Et ideo « quod pro una religione approbatur, de se universæ Eccle- « siæ proponitur ut honestum, sive credendum, sive operan- « dum... Sicut Augustinus dixit, *de eo quod universa Ecclesia « facit, quin ita faciendum sit disputare, insolentissimæ insaniæ « esse,* ita nos dicimus, de his quæ Pontifex in una religione « approbat facienda, dubitare an honesta sint, insolentissimæ « insaniæ esse...

« Aliud judicium est, quo declaratur, talem modum vi- « vendi suis votis firmatum, et Pontificia auctoritate admis- « sum et confirmatum, esse verum religiosum statum. Et huic « etiam judicio non potest subesse falsitas : tum quia, cum « requisita de jure divino ad statum religiosum sint nota in « Ecclesia, non solum certo, sed etiam evidenter constare « potest, an in illo statu reperiantur : tum etiam quia ea, « quæ ex parte Ecclesiæ necessaria esse possunt ad talem « statum constituendum, ab ipsomet Pontifice... adhibentur, « et ideo ex ea parte non potest error committi : tum deni- « que, quia esset talis error perniciosus Ecclesiæ, et bonis « moribus contrarius...

« Hinc sequitur, in tali approbatione aliud judicium certum « includi, nimirum talem modum vivendi, per se spectatum « et ex vi instituti, esse utilem ad perfectionem acquiren- « dam. Nam hoc includitur in essentia veri status religiosi, ut « supra ostensum est. » (Suarez, loco citato, n. 19, 20 et 21.)

Propositio II[a]. — *Infallibilis etiam dicendus videtur Romanus Pontifex, quatenus judicat opportunam esse alicujus novi ordi-*

Digitized by Google

nis religiosi approbationem et introductionem. — Propositio præcedens omnino certa est et tenenda; et qui eam impugnaret, a sana doctrina procul dubio aberrare censendus foret. At præsens thesis non ita est extra omnem omnino controversiam posita. Etenim aliqui doctores admiserunt absolute posse contingere, ut Papa erret, *utilem* existimando novi religiosi ordinis erectionem (vide Suaresium, loco citato, n. 22). Contigisse autem aliquando errorem ejuscemodi, a nullo reperio dictum, præterquam a Melchiore Cano, de quo sic adnotat Suaresius : « Cano, non tantum de possibili, sed etiam de « facto loquitur; et cum tanta exaggeratione, ut sic scribat : « *In hoc sæculo tam multæ sunt religiones a Summo Pontifice con-* « *firmatæ, ut qui eas omnes tueri voluerit, tanquam Ecclesiæ vel* « *utiles, vel necessarias, hic imprudentiæ, ne dicam stultitiæ no-* « *mine, jure optimo summis rationibus arguetur.* Ubi tacite, et a « fortiori, ipsos Pontifices Summos, qui posteriores religiones « confirmarunt, imprudentiæ et stultitiæ arguit : nam si ipsa- « rum defensores talem notam merentur, multo magis ipsi « conditores seu authores. At hic gravissimus excessus est, « ne quid majus dicam. » (*De Religione,* tomo 3, lib. 2, cap. 17, n. 22.) Quo prænotato de contraria nonnullorum opinione, dicimus errare non posse Romanum Pontificem, opportunam et utilem existimando novæ alicujus religionis approbationem et introductionem. Nam si hac in re falleretur, novus ab ipso approbatus religiosus ordo, utpote Ecclesiæ nocivus, vel saltem inutilis, non esset quid Deo acceptum. Ergo nec esset practice status ad perfectionem acquirendam idoneus. Ergo novum hunc ordinem universis fidelibus proponendo tanquam statum perfectionis, eos deciperet. Item, hoc ipso quod novum illud institutum inutile aut nocivum Ecclesiæ foret, non posset dici simpliciter et omni ex parte honestum et sanctum : ergo error in ipsummet judicium de novi ordinis honestate caderet; quod nequaquam admitti posse modo probatum est. Unde prorsus derelinquenda minus

Digitized by Google

considerate a Melchiore Cano hac de re dicta; atque ex iis duntaxat colligendum, quam facile sinistra in novas religiones opinio ac zelotypia viros etiam gravissimos obcæcare, atque in transversum agere valeat.

PROPOSITIO III^a. — *Novum institutum non censendum est approbatum, nisi juxta formulam Pontifici exhibitam, et cum limitibus in approbatione expressis.* — « Oportet advertere, inquit « Suarez, sermonem esse de approbatione religionis, quoad « illam rationem præceptaque vivendi, quæ Pontifici expresse « confirmanda proponuntur. Nam si postea specialia statuta et « constitutiones ab ipsa religione fiant, non habent hunc gra- « dum certitudinis, etiamsi auctoritate a Papa concessa facta « sint, donec in particulari ipsi innotescant, et illa confirmet; « quia, ut dixi, assistentia Spiritus Sancti non est delegabilis; « et ideo, licet illa commissio Papæ valorem et auctoritatem « præbeat legibus ad obligandum, si honestæ sint, non tamen « præbet illam infallibilem directionem in cavendo omni « errore, qui in ipsa lege constituenda misceri potest, malam « vel inutile pro bono et utili præcipiendo. » (*De religione*, tomo 3, lib. 2, c. 17, n. 20.)

Addidimus, *et sub limitibus in approbatione expressis.* Nam quandoque approbantur, præter certa quædam instituti substantialia, ipsæ etiam in extensum regulæ; sed huic regularum approbationi apponitur limitatio hæc : modo nihil in eis inhonestum sit, et Tridentinis sanctionibus contrarium. De quo in exemplum adducemus congregationis *Fratrum Scholarum Christianarum* approbationem. Sic nempe decrevit Benedictus XIII constitutione *in Apostolica* (septimo calendas februarii 1724 : « Pius Dei famulus Joannes Baptista de la « Salle... quoddam institutum sub titulo *Fratrum Scholarum* « *Christianarum* nuncupatorum, et sub infra scriptis regulis « per sedem Apostolicam approbandis et confirmandis... « fundavit..., videlicet (*et ibi describitur tota regularum series,* « *tum subjicitur*) : Nos igitur... institutum et regulas hujus-

Digitized by Google

« modi, et in eis contenta quæcunque (licita tamen et honesta,
« ac sacris canonibus et constitutionibus Apostolicis, ac con-
« cilii Tridentini decretis non adversantia) Apostolica aucto-
« ritate approbamus, confirmamus, etc. »

Digitized by Google

SECTIO II.

De canonica norma novas regularium domos constituendi.

Dicemus 1° an ad novi conventus erectionem requiratur sedis Apostolicæ beneplacitum ; 2° an et quatenus necessaria etiam sit Episcopi licentia ; 3° an et quatenus novi conventus erectioni sese opponere valeant regulares jam in loco existentes ; 4° an et quatenus parocho jus competat eidem erectioni sese opponendi ; 5° quisnam ad novi conventus erectionem requiratur religiosorum numerus ; 6° an requisita quoad novi conventus virorum erectionem requirantur etiam in erigendis monialium conventibus ; 7° an requisita pro erigendis novis conventibus pariter requirantur, quando alicubi regulares priscum suum conventum reassumunt.

CAPUT I.

AN AD NOVI CONVENTUS ERECTIONEM REQUIRATUR BENEPLACITUM APOSTOLICUM.

Pro quæstionis hujus gravitate, ac non parva etiam difficultate, visum est eam in distinctos paragraphos, ut sequitur, distribuere.

§ I.

Memorantur juris textus, e quibus pendet quæstionis solutio.

I. *Decretalis Gregorii X, anni* 1273. — Habetur in *sexto*, libro 3, sub titulo 17 *de Religiosis domibus*, capite *Religionum*.

Digitized by Google

In ea sic decernitur : *Nec de novo domum vel aliquem locum acquirant..., sine Sedis ejusdem* (nempe sedis Apostolicæ) *licentia speciali.* Sed hoc decernitur duntaxat quoad *mendicantes* ordines, *post dictum concilium* (Lateranense œcumenicum sub Innocentio III) *adinventos*, et *confirmatos* a sede Apostolica, et *quibus ad congruam sustentationem reditus aut possessiones habere professio sive regula quælibet interdicunt, sed per quæstum publicum tribuere victum solet incerta mendicitas.* Postea ab hoc suo decreto excipit Gregorius X, tum Eremitas sancti Augustini et Carmelitas, eo quod ante dictum Lateranense concilium exstiterint ; tum Dominicanos et Franciscanos, ob evidentem Ecclesiæ utilitatem.

Unde illa decretalis non attingebat ordines non mendicantes ; nec moniales, cum de iis non loquatur ; nec Eremitas et Carmelitas; nec Dominicanos et Franciscanos, nec etiam alios mendicantes post dictum concilium Lateranense institutos et approbatos, nisi in hypothesi quod bona in communi possidere non possent ; quæ hypothesis post concilium Tridentinum desiit esse vera, quoad mendicantes omnes, præter Capuccinos et Minores de Observantia ; si quidem aliis omnibus data est facultas possidendi in communi. Proinde si nulla alia hodie exstaret hac de re juris dispositio, dicendum foret non requiri licentiam sedis Apostolicæ ad novi conventus erectionem, nisi quoad Capuccinos et Minores de Observantia; sufficere autem quoad alios omnes licentiam Episcopi. Etenim extra controversiam est, jure antiquo, potuisse nova monasteria erigi cum sola Ordinarii licentia. Quod jus permansisse censendum est, quandiu ei non fuit derogatum.

II. *Decretalis Bonifacii XIII, anni* 1298. — Habetur in *sexto*, libro 5, sub titulo 6, *de excessibus Prælatorum*, capite *cum ex eo*. In ea sic decernitur : *Prohibemus ne deinceps aliquis vel aliqui de prædictis ; in aliqua civitate, castro, villa seu loco quocunque, ad habitandum domos vel loca quæcunque de novo recipere... præsumant, absque sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentio-*

Digitized by Google

nem. Postea expresse a suo decreto excipit Bonifacius VIII Eremitas Cum autem dicat *aliquis vel aliqui de prædictis*, decretum non attingit nisi eos de quibus antea locutus erat. Porro locutus erat tantummodo de mendicantibus. Unde illa decretalis non attingit ordines non mendicantes, siquidem loquitur tantum de mendicantibus ; nec moniales, siquidem de illis non loquitur ; nec eremitas, siquidem illos expresse excipit. Imo non censenda est hodie attingere mendicantes quibus a concilio Tridentino data est facultas possidendi in communi. Nam ratio ob quam latum est hoc Bonifacii decretum, videtur eadem esse ac præcedentis decretalis Gregorii X ; ne scilicet ii *quibus victum tribuere solet incerta mendicitas*, si nimis multi in eadem regione degant, necessaria ad vitæ sustentationem non inveniant. Unde si jus hodie foret determinandum ex solis duobus præmissis decretalibus, dicendum foret non requiri ad novi conventus erectionem sedis Apostolicæ beneplacitum, nisi quoad Capuccinos et Minores de Observantia : quoad cæteras autem religiosas familias dari locum juri antiquo, vi cujus erigi conventus poterant cum sola Ordinarii licentia.

III. *Decretum Tridentinum*. — Loquendo de domibus tam virorum quam mulierum, et sive possidentium sive non possidentium immobilia, sic statuere Tridentini Patres (sess. 25, *de regularibus* capito 3, circa finem) : *Nec de cætero similia loca erigantur, sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta*. Ibi de necessitate beneplaciti Apostolici omnino siletur ; et necessaria declaratur licentia Episcopi. Quid juris inde sequatur, expendimus infra.

IV. *Bulla* INSTAURANDÆ *Innocentii X*, 22 *octobris* 1652.— Illam in extenso reperies apud Ferraris, verbo *conventus*, art. 1, n° 5. Equidem prohibet ne erigantur novi conventus, sive mendicantium, sive non mendicantium, absque licentia sedis Apostolicæ. At non loquitur de monialibus ; et insuper lata non est nisi quoad Italiam et adjacentes insulas, prout

Digitized by Google

expresse in textu ipso habetur, et adnotant communiter canonistæ.

Jam notos habet lector juris textus, e quibus pendet solutio propositæ quæstionis, an nempe novi conventus religiosorum et monialium erigi valeant cum sola Episcopi licentia. Non enim alios reperio a doctoribus allegatos; sed tota inter ipsos disceptatio circa præmissorum intelligentiam vertitur.

§ II.

Exponitur sententia Fagnani, qui concludit necessarium non esse de jure communi licentiam sedis Apostolicæ, nisi quoad Capuccinos et Minores de Observantia.

« Quæro an monasteria tam virorum quam mulierum erigi « possint de licentia solius Episcopi? — Pro solutione qua- « tuor tempora sunt distinguenda. *Primum tempus* est juris « communis antiqui : et secundum hoc monasteria regularium « absque dubio erigi poterant auctoritate Episcopi diœcesani. » Ibi affert Fagnanus varia documenta jus illud testantia.

« *Secundum tempus* est constitutionis Bonifacii VIII (capite « unico *de excessibus Prælatorum*, in 6), qua prohibetur ne « deinceps liceat fratribus mendicantibus nova loca aut mo- « nasteria alicubi ad habitandum suscipere, seu olim suscepta « mutare, vel alio transferre, absque speciali sedis Apostoli- « cæ licentia, quæ de illa prohibitione mentionem faciat. « Excipiuntur tamen acquirentes loca pro eremitica vita du- « cenda. Et hæc prohibitio, adjectis pœnis, fuit postea inno- « vata in Clementina *cupientes* (in principio, *de pœnis*). Unde « hoc tempore inspecto, adempta erat Episcopis facultas « (quam habebant ex dispositione antiquorum canonum) « quoad monasteria et loca *Ordinum mendicantium duntaxat;* « sed salva erat quoad eremitas, et non mendicantes.

« *Tertium tempus* est concilii Tridentini, quod (in capite 3, « in fine, sessione 25, *de regularibus*) statuit per hæc formalia « verba, videlicet: *Nec de cætero similia loca* (id est monasteria

Digitized by Google

« et domus tam virorum quam mulierum, bona immobilia « possidentes vel non possidentes) *erigantur, sine Episcopi, in « cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obtenta.* Et posito « hoc decreto, in dubium vertitur an monasteria hodie erigi « possint de licentia solius Episcopi. » Ibi citat Fagnanus canonistas negantes ; tum sic prosequitur :

« Tu dicas, quoad loca eremitica et monasteria ordinum « non mendicantium rem carere omni difficultate ; quia fa- « cultas quam Episcopi habebant de jure veteri similia loca « erigendi, fuit illis expresse præservata in dicto capite « unico (1) quoad loca eremitica : et quoad monasteria non « mendicantium non fuit illis adempta, cum prohibitio « illa loquatur tantummodo de *mendicantibus*.

« Quo vero ad mendicantes (exceptis Capuccinis, et Mino- « ribus de Observantia S. Francisci), videtur idem dicendum. « Nam prohibitio Bonifacii VIII, in dicto capite unico, locum « habet in illis mendicantibus, quibus victum tribuit incerta « mendicitas, et qui reditus aut possessiones ex regula vel « constitutione habere non possunt, juxta textum in capite « unico *de religiosis domibus,* libro 6. At ex Concilio Triden- « tino (dicto capite 3, in principio) regularibus quorumcun- « que Ordinum, prædictis tantum exceptis, licet bona immo- « bilia possidere ; et consequenter in eis videtur cessare « prohibitio Bonifaciana. » In confirmationem ibi adducit inter alia Fagnanus constitutionem Clementis VIII *quoniam ad institutum,* et hujus confirmativam *Romanus Pontifex* Urbani VIII, tum sic concludit : « Patet igitur non esse admit- « tendum intellectum eorum qui dixerunt, Concilium (in dicto « capite, in fine) non sustulisse constitutionem Bonifacii VIII ; « sed præter licentiam sedis Apostolicæ, voluisse ut adhibe- « retur etiam licentia Ordinarii : imo enim, ex sententia « sacræ Congregationis, ubi erectio fit de licentia Papæ, « Ordinarii licentia non est necessaria ; et ubi fit de licentia

(1) Nempe tituli *de excessibus Prælatorum,* in 6.

Digitized by Google

« Ordinarii, non est necessaria licentia Papæ, sed tan-
« tummodo servari debet solemnitas constitutionis Clementis;
« et ita multoties vidi observatum. Nam eadem sacra Con-
« gregatio, tam me secretario, quam anteactis temporibus,
« multas monasteriorum erectiones probavit ab Ordinariis
« factas absque licentia sedis Apostolicæ... Quin etiam hanc
« facultatem novum monasterium erigendi sacra Congregatio
« nec denegavit vicario generali Episcopi, ad id speciale
« mandatum habenti.

« *Quartum tempus* est bullæ sanctissimi Domini nostri In-
« nocentii X, quæ incipit *instaurandæ*, me secretario compi-
« latæ..., ac publicatæ 22 octobris 1652. » Ibi adducit Fagnanus hujus bullæ textum, quo prohibetur quælibet erectio monasterii virorum, sive mendicantium, sive non mendicantium, absque licentia sedis Apostolicæ. Sed bulla hæc non loquitur de monialibus, nec lata est nisi quoad Italiam et adjacentes insulas. Ex quibus circumstantiis sic concludit Fagnanus : « Quia hæc bulla loquitur de monasteriis virorum,
« et nondum egressa est fines Italiæ et insularum adjacentium,
« propterea in monasteriis monialium, et ultra montes, ser-
« vabis ante dictam temporum distinctionem : nam quod non
« mutatur, stare non prohibetur. » (In cap. *non amplius*, *de constitutionibus*.)

Postea fuse probat Fagnanus fieri non posse monasteriorum erectiones cum sola licentia vicarii generalis Episcopi, nisi mandatum speciale ad id habeat.

Nihilominus contrariam esse praxim quoad novos erigendos *monialium* conventus fatetur Fagnanus (in capite *grave*, tituli *de officio Ordinarii*, libri 1 decretalium, n. 53), in hunc modum : « Consuevit quandoque dubitari, an Episcopis liceat or-
« dinaria auctoritate monasterium monialium erigere in vim
« dicti capitis 3, sessionis 25 *de regularibus*. Practica est, ut
« erectiones fiant a sede Apostolica, tum propter gratias,
« indulgentias, privilegia et exemptiones, quæ ab illa impe-

Digitized by Google

« trantur ; tum propter facultatem educendi abbatissam ex « aliis monasteriis pro novi monasterii institutione. Cum enim « hæc facultas fuerit Episcopis adempta per constitutionem « Pii V super clausura monialium, ut idemmet Pius V decla- « ravit, illa non consuevit concedi, nisi pro monasteriis eri- « gendis auctoritate Apostolica. Supplicationes autem reji- « ciuntur a Sanctissimo ad Congregationem Episcoporum et « regularium ; in qua examinantur conditiones et qualitates « ad id requisitæ ; nempe ut erectio non fiat pro pauciori « numero quam duodecim monialium choristarum : ut dos « constituatur, non in censibus, sed in bonis stabilibus frugi- « feris, ac liberis ab omni onere, et fidei commisso purificato « aut purificando ; et non minoris redditus pro dicto numero « duodecim, quam trecentorum ducatorum aureorum et ma- « joris pro locorum qualitate, ultra dotes ordinarias a puellis « deferendas ; ut monasterium erigatur intra mœnia in loco « salubri, ac libero a prospectu ; ut fabrica, clausura, ecclesia « interiori et exteriori, loco pro novitiis distincto, atque « omnibus officinis sit sufficienter instructum ; et alia id ge- « nus. »

Nota. — Expositam sententiam (quod nempe extra Italiam non requiratur beneplacitum Apostolicum, nisi quoad Capuccinos et Minores de Observantia) ideo *Fagnani sententiam* vocavimus, ut a præcipuo ejus propugnatore nominaremus ; non autem quod solus aut cum paucissimis eam laudatus scriptor defendat. Etenim Pitonius, disceptatione 36, n. 1, beneplacitum Apostolicum pro novi conventus erectione, extra Italiam haud necessarium a multis auctoribus existimari, sic adnotat : « Quod tamen (beneplacitum Apostolicum) non re- « quiritur in fundationibus extra Italiam, sed intra, Fagnanus « (in cap. *non ampliùs*, n. 71, *de instit.*) ; Passerinus (in cap. « *unica*, n. 7, 11, 46, *de exces. Præl.*) ; Torrecilla (var. alle- « gat., tract. 8, consult. 2, difficult. 1, n. 15 et 16) ; Pigna- « tellus (consult. 91, n. 13, tom. 10) ; Frances (var. resol., « c. 27, n. 55, ubi quod in Hispania non requiritur nisi con-

Digitized by Google

« sensus Ordinarii); a Spiritu sancto (tractatu 2, disput. 1, « sect. 4, § 2, n. 187); Donatus (in *praxi*, tom. 1, tract. 1, « tit. *de monasteriis ædif.*, quæst. 13 et 14); qui reprobant « decisionem in Cæsaraugustana fundationis conventus, « 18 martii 1657, coram Bevilaqua. »

Item moderni Bollandiani (*Examen libri Mariani Verhoeven*, tom. 1, pag. 182, edit. 1847) plures doctores Fagnani sententiæ adhærentes enumerant in hunc modum : « Indubius « asserebat vir (1) juris peritissimus, ad fundandum extra « Italiam insulasque adjacentes monasterium solam Ordinarii « licentiam sufficere (2). Idem docebat Reiffenstuel, sæ- « culo XVIII ineunte scribens : *Et certe*, inquiebat (3), *id « ipsum fieri et passim practicari videmus in Germania.* « Nec aliter circa idem tempus opinabantur Wiestner (4), « Engel (5), Schmier (6), Leurenius (7); atque ad medium « circiter sæculum XVIII non dubitabat P. Cherubinus « Mayr (8) Schmalzgruebero vitio vertere quod propter « solam Bullam Innocentianam auctoribus Summi Pontificis « licentiam universaliter requirentibus adhæserit (9). Ex enu- « meratis hisce scriptoribus unus Schmier restrictione qua- « dam utitur, dicendo : *Nisi forsan aliud stylo Curiæ Romanæ « receptum sit;* cæteri loquuntur asseveranter. Eadem asse- « veratione Fagnanianam sententiam ex Passerini auctoritate

(1) Nempe Fagnanus.

(2) In lib. 3 Decretal. de Institut., c. *Non amplius*, num. 55 et seqq., p. 177 et 178, edit. Colon. 1703.

(3) Jur. can. univ. lib. 3, tit. 48, num. 38 et 39, tom. 3, pag. 726 et 727, edit. Antuerp. 1755.

(4) Instit. canon., lib. 3, tit. 31, num. 27, pag. 303.

(5) Colleg. univ. Jur. can., part. 2, lib. 3, tit. 36, num. 3, pag. 884 et 885, edit. Salisb. 1739.

(6) Jur. can., tom. 2, lib. 3, tract. 1, part. 2, cap. 2, sect. 1, § 3, pag. 320.

(7) For. eccl., lib. 3, quæst. 997, num. 2, pag. 693.

(8) Trismeg. Jur. Pontif. lib. 3, tit. 36, num. 25, pag. 618.

(9) Jur. eccl. univ. tom. 3, tit. 36, num. 28, 29 et 30, pag. 392, edit. Neapol. 1738.

Digitized by Google

« proponebat P. Antonius Bremond anno 1740 sub ipsius « Benedicti XIV oculis (1). »

§ III.

Sententia Benedicti XIV (2), quæ et communior, necessarium asserens beneplacitum Apostolicum, non solum in Italia et adjacentibus insulis, sed ubique terrarum.

En Benedicti XIV verba : « Statuit sacra Tridentina syno- « dus (sess. 25, *de regularibus*, cap. 3), ne monasteria seu « domus, tam virorum, quam mulierum, de cætero erigan- « tur, *sine Episcopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius* « *obtenta*. Hinc vero aliqui inferunt, ad erectionem novi mo- « nasterii in aliqua diœcesi, sufficere licentiam Episcopi diœ- « cesani, absque eo quod Romani Pontificis auctoritas ad id « requiratur ; et maxime ubi agatur de Episcopis ultra montes « constitutis ; propterea quod Innocentii X constitutio (quæ « habetur numero 27, in *Bullario Romano*, tom. 4), quæque « Romani Pontificis auctoritatem in hujusmodi erectionibus « necessariam declarat, de Italia et adjacentibus insulis tan- « tummodo loquitur. At, cum jampridem ante Tridentinum « concilium regularibus interdicta fuerit novorum monaste- « riorum acquisitio sine expressa licentia sedis Apostolicæ (ut « videre est in capite *religionum*, § *confirmatos, de religiosis* « *domibus*, in 6, et in capite *cum ex eo, de excessibus Prælа-* « *torum*, eodem libro 6), satis patet, nihil a Tridentino de- « tractum fuisse ejusdem Apostolicæ sedis auctoritati jam « præcedenter stabilitæ ; sed illud duntaxat statutum fuisse, « ut, præter eam, Episcopalis quoque auctoritas et licentia « in iisdem erectionibus interveniret. Quare communis hodie, « et in tribunalibus recepta est opinio, non licere regularibus, « tam intra quam extra Italiam, nova monasteria, aut con-

(1) Bullar. Ord. Præd. tom. 8, tract. de consens. Bull., tit. 1, quæst. 2, num. 8, pag. 38, ex Passerino, in Sext. Decretal. tom. 5, pag. 364 et seqq.

(2) Sicut priorem opinionem *sententiam Fagnani* vocavimus, ita hanc a Benedicto XIV, utpote inter ipsius defensores auctoritate præcipuo, nuncupamus.

Digitized by Google

« ventus, sive collegia fundare, sola Episcopi localis auctori-
« tate ; sed Apostolicæ sedis licentiam præterea necessariam
« esse. » (Benedictus XIV, de syn. diœc. l. 9, c. 1, n. 9.)

Eamdem doctrinam reperies apud Ferraris (voce *conventus*, art. 1, n. 13 et sequentibus); atque ibidem, numero 38, aliena manu sic additur : « Beneplaciti Apostolici necessitas locum
« sibi vindicat, etiamsi agatur de fundatione novi conventus
« extra Italiam ; eo ipso quod descendit a sacris canonibus,
« qui ubique gentium obligant, ut observarunt Benedi-
« ctus XIV (de syn. diœc. lib. 9, c. 1, n, 5), P. Giraldi, et
« Rota (in Eystetensi, fundationis hospitii, 10 maii 1727,
« § *quæ omnia*, coram Gamach.) ; ubi quod aliter dicendum
« esset, si dicta necessitas descenderet a constitutione inci-
« piente *instanrandæ*, Innocentii X, utpote quæ non egredi-
« tur Italiam insulasque adjacentes. »

Idem tenuit Monacelli : « In novis fundationibus, inquit,
« non solum exigitur consensus Ordinarii, sed etiam sedis
« Apostolicæ copulative ; et tam intra quam extra Italiam et
« ultra montes ; prout firmavit Rota (coram Celso, decisione
« 60, n, 97 ; et in *Cæsaraugustana* fundationis conventus,
« 18 maii 1657, coram Bevilacqua) ; quod est contra Fagna-
« num (in cap. *non amplius, de institut.*, n. 71), putantem
« quod ultra montes, fundationes fieri possunt cum sola li-
« centia Ordinariorum. » (Parte 1, tit. 6, formula 19, adnot. 31.) Consonat Tamburinius (*de jure Abbatissarum*, disp. 33, q. 1, n. 6).

§ IV.

Quid ex præmissis, quoad jus commune, concludendum videatur.

I. Haud perspicere potui quomodo Benedicti XIV sententia logice deducatur e textibus, quos ad eam fulciendam adducit clarissimus Pontifex. Etenim non invocat bullam *instaurandæ* Innocentii X, sed adnotat ipsam latam fuisse duntaxat quoad Italiam et adjacentes insulas. Nec conclusionem suam dedu-

Digitized by Google

cit e textu Tridentino; sed textum intelligit ita ut nihil juri antea vigenti derogatum fuerit, quoad beneplaciti Apostolici necessitatem, et addita duntaxat fuerit necessitas obtinendæ etiam ab Episcopo licentiæ. Non aliud scilicet conclusionis suæ fundamentum allegat laudatus Pontifex, quam duas supra citatas decretales Gregorii X et Bonifacii VIII (id est, caput *religiosum, de religiosis domibus;* et caput *cum ex eo, de excessibus Prælatorum*, in *sexto*). Jam vero ex tenore utriusque hujus decretalis haud videtur inferri posse beneplaciti Apostolici necessitas universaliter, seu quoad religiosos et moniales omnes; sed duntaxat quoad mendicantes qui in communi bona immobilia possidere prohibentur, id est, quoad solos Capuccinos et Minores de Observantia. Ita visum est Fagnano, qui textus illos diligenter discussit, et quæstionem ex professo tractavit. Et fateor non posse me perspicere in quo deficiat eximii illius doctoris ratiocinatio. Ut adeo non parum mirer communem evasisse sententiam, de necessaria sedis Apostolicæ licentia, ad cujusvis conventus erectionem, extra Italiam et adjacentes insulas.

II. Quod tamen revera communis illa sententia evaserit, et a Romanis tribunalibus et congregationibus pro regula habeatur, tanquam certum affirmat Benedictus XIV, citatis supra verbis. Atque id minus considerate ab ipso assertum dicere vetat tanti scriptoris auctoritas. Semel autem præsupposito, et Benedicti XIV tempore invaluisse, et etiamnum perseverare assertam ab ipso sacrarum congregationum praxim (eum hæc privatorum scriptorum opinionibus prævalere debeat), sequitur hodie ad novi conventus erectionem necessarium esse beneplacitum Apostolicum, etiam extra Italiam et adjacentes insulas: proinde nullam fore ac irritam fundationem, ex solius Ordinarii licentia peractam.

Digitized by Google

§ V.

Jus particulare Italiæ et adjacentium insularum quoad requisitum in erigendis conventibus sedis Apostolicæ beneplacitum.

I. *Quid statuerit Innocentius X, in constitutione* Instaurandæ, *anni* 1652. — Hujus celebris bullæ historiam fuse retulit Fagnanus (in caput *relatum, ne clerici vel monachi*); qui hac de re scite omnino scribere potuit, cum ipse præcipuam operam, tum compilandæ constitutioni, tum urgendæ ipsius exsecutioni navaverit. In ea autem bulla decernitur in hunc modum: *Hoc perpetuo prohibemus edicto, ne deinceps aliquis regularium ordinum, mendicantium vel non mendicantium, congregationis, societatis, et cujusvis alterius instituti, etiam societatis Jesu, in aliqua civitate, castro, villa, seu loco, ad habitandum domos, vel loca quæcunque, de novo recipere, seu monasteria, conventus vel collegia incipere vel fundare præsumat, absque sedis Apostolicæ licentia speciali, plenam et expressam faciente de prohibitione hujusmodi mentionem in scriptis, et gratis concedenda, prævia examinatione Congregationis, negotiis Episcoporum et regularium præpositæ. Si secus egerint, ipso incurrant pœnas privationis, inhabilitatis ut supra inflictas: et nihilominus receptiones, fundationes et erectiones sint ipso jure nullæ et invalidæ; et domus ac loca ipsa, et personæ in eis degentes omnimodæ jurisdictioni, visitationi, correctioni Ordinarii loci plene in omnibus subjaceant. Intendimus autem in præmissis, etiam ultra Italiam et insulas adjacentes, prout expedire viderimus, providere.*

Jam diximus constitutionem hanc non spectare nisi ad Italiam et adjacentes insulas, prout extra controversiam est apud doctores, et ex ipso tenore omnino constat. Ultima autem transcripta verba mentem Pontificis quoad cæterarum regionum religiosos ordines satis pandunt. Duo nempe quoad Italiam et adjacentes insulas hac sua constitutione peregerat: parvos conventus suppresserat; et ad novæ cujuslibet regularium domus erectionem, necessariam sanxerat sedis Aposto-

Digitized by Google

licæ licentiam. Id in cæteris etiam regionibus exsequi animo revolvebat. Quod tamen, morte paulo post secuta, non perfecit.

II. *Decretum S. Congregationis super disciplina regulari deputatæ.* — Die 23 februarii 1717 prodiit italico idiomate decretum præfatæ Congregationis, quod in latina lingua sic refert Ferraris (voce *conventus*, art. 1, n. 35) : « Generalibus « ordinum renovatur prohibitio alias injuncta non procedendi « ad fundationem novorum conventuum et monasteriorum, « intra Italiam ac insulas adjacentes, nisi prius conventus vel « monasterii fundandi redditum sufficientia et subsistantia « coram sacra Congregatione justificata fuerit. »

III. Ex præmissis dispositionibus hæc deducenda videntur : 1° Nec licite nec valide potest erigi novus religiosorum conventus in Italia et adjacentibus insulis, quin expressam in scriptis licentiam sedes Apostolica concesserit. 2° Licentia hæc non conceditur nisi prius sacra Congregatio ad id deputata rem examinaverit, et ipsi constiterit veros esse et sufficientes conventus seu monasterii erigendi redditus. 3° Secus facta erectio est ipso jure irrita, et conventus necnon personæ in eo degentes Ordinarii correctioni et omnimodæ jurisdictioni subjacent. 4° Disposita in bulla *instaurandæ* non videntur attingere moniales, sed duntaxat virorum ordines. Nam præterquam quod nulla inest expressa de monialibus mentio, in hoc sensu constitutionem intellexit Fagnanus, qui eam compilaverat. Putavit nempe, prout supra vidimus, eam ad moniales non extendi.

Atque idem tenet Ferrante (*Elementa juris canonici*, p. 141, edit. Romæ 1854) : « Hæc autem requisita, inquit, locum non « habent in fundandis hospitiis regularium, vel domibus con- « gregationis clericorum sæcularium, vel monasteriis qua- « rumcunque monialium : pro iis enim omnibus sufficit au- « ctoritas Ordinarii (1). »

(1) Josephus Ferrante, anno 1803 vita functus, jus sacrum Romæ docuit in Academia sapientiæ.

Digitized by Google

Nihilominus in contrarium adducitur sacræ Congregationis praxis: qua nempe nullas declarat et irritas conventuum monialium in Italia erectiones, Pontificia licentia destitutas; et nuper etiam pronuntiatam esse nullitatem ejusmodi quoad erectionem cujusdam conventus monialium Carmelitarum, de sola Ordinarii licentia in civitate Rietensi erecti, seu potius post violentam expulsionem reassumpti, ad me perlatum est.

§ VI.

Videtur non requiri sedis Apostolicæ beneplacitum quoad congregationes quæ solemnia vota ex instituto non habent.

Cum enim jus antiquum, vi cujus erigi poterant nova monasteria et novi conventus cum sola Ordinarii licentia, fuerit olim jus commune, decreta quibus huic juri derogatum est sunt stricte interpretanda. Unde extendenda non sunt, nisi ad eas religiosas familias, de quibus expresse loquuntur. Porro in iis non fit mentio de regularibus nisi cum iis locutionibus, quæ indicant proprie dictos religiosos ordines, eos nempe in quibus vota solemnia emitti solent; id satis constat ex textibus ipsis supra relatis. Unde ad erigendam novam domum alicujus congregationis, quæ, vel nulla vota, vel non perpetua, vel simplicia duntaxat, emittere solet, videtur sufficere licentia Episcopi.

Et quidem quoad congregationes presbyterorum sæcularium collegialiter viventium, et sola auctoritate Ordinarii fundatas, rem fuisse resolutam a Romanis Congregationibus, refert Ferraris (voce *conventus*, art. 1. n. 32) in hunc modum : « Talia tamen requisita locum non habent nec exigun-
« tur pro congregationibus presbyterorum sæcularium colle-
« gialiter viventium, et sola auctoritate Ordinarii fundatis et
« erectis. Sic decisum refert Nicolius (in *Flosculis*, verbo *con-*
« *ventus*, n. 1) : Sub decretis super erectione novorum con-
« ventuum non comprehenduntur congregationes presbyte-
« rorum sæcularium in communi viventium, erectæ auctori-
« tate Ordinarii : S. Congregatio Episcoporum et regularium,

Digitized by Google

« Caputaquensi, 13 januarii in 1628 : et hanc sententiam te-
« nuit quoque S. Congregatio Concilii, 9 augusti 1629, ex
« libro 12 decretorum, folio 298. »

§ VII.

An in translatione conventus ad alium situm ejusdem loci applicandæ veniant leges canonicæ de novi conventus erectione.

Duplex contingere potest casus : vel nempe conventus in loco jam existentes privilegium habent, ne ibidem citra determinatam distantiam alii erigantur ; vel illo privilegio carent. Quæstionem seorsim quoad utrumque casum expendamus.

PROPOSITIO I^a. — *In casu non existentis præfati privilegii, transferri potest conventus ad alium situm ejusdem loci, non servatis constitutionibus novi conventus erectionem respicientibus.* — 1° Aliqui olim canonistæ putarunt pro tali translatione requiri Episcopi licentiam, abstrahendo a regularium privilegiis (vide apud Lauretum de Franchis, *controversiæ inter Episcopos et regulares*, pag. 137, edit. Romæ 1656). Idque fundant, non textu Tridentino (sess. 25. c. 3 de ref.), quo prohibetur ne *nova* monasteria erigantur sine licentia Episcopi, nec constitutionibus Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII circa novos erigendos conventus (quia tunc non fit erectio novi conventus, sed translatio) ; ast adducunt caput *si quis*, 16, q. 7, et nonnullos alios textus.

2° « Cum limitatione autem procedunt Lezana..., Cespedes... ;
« nimirum, ut non possit mutari monasterium de uno oppido
« aut civitate ad aliam : intra tamen eamdem civitatem, mu-
« tari possit sine consensu Ordinarii. » (Pasqualigus apud de Franchis, loco citato, pag. 137.)

3° Quamvis autem olim exstiterit præfata opinandi varietas, quando quæstio expenditur *ex solo jure communi*, communiter admittunt doctores haud requiri licentiam Episcopi *ob communicationem privilegiorum*. « Ratione tamen privilegiorum (ait

Digitized by Google

« Pasqualigus, loco citato) possunt intra eamdem civitatem « seu oppidum transferre, quia ad hoc habent sufficientem « facultatem regulares communicantes in privilegiis, ex pri- « vilegio Clementis IX ordini Minorum, etc. »

4° Quidquid olim hac de re disputaverint canonistæ, omnino tenenda est posita conclusio; posse nempe *transferri* conventum ad alium situm ejusdem loci, non servatis constitutionibus *novorum conventuum erectionem* respicientibus; tum quia satis per se patet translationem conventus ad alium situm ejusdem loci, non esse proprie novi conventus erectionem; tum præcipue quia pluries S. Congregationes Romanæ ita declararunt. Indicatas ejusmodi declarationes videre est apud Ferraris (voce *conventus*, art, 1, n. 11, 12, et 46), et apud Monacelli (parte 1, tit. 6, formula 19, n. 4 et seqq.). Attendenda præsertim declaratio, quam ibi, numero 4, refert Monacellus, in hunc modum : « Non sunt enim prædictæ consti- « tutiones servandæ in translatione conventus, qui fit in alio « situ ejusdem loci, vel ob periculum ruinæ fabricæ conven- « tus antiqui, vel insalubritatem aeris, vel aliud grave in- « commodum; quia hæc non dicitur nova fundatio. Et oppo- « sitiones aliorum regularium obstare non valent. Sic respon- « dit S. Congregatio Episcoporum et regularium in *Gerun- « densi*, 19 septembris 1687, his verbis : *Sacra Congregatio, « in causa et causis vertentibus, inter fratres Carmelitas calcea- « tos civitatis Gerundensis ex una; et patres societatis Jesu, Car- « melitas excalceatos ejusdem civitatis, et litis consortes, ex al- « tera partibus; de et super translatione, fundatione et constru- « ctione Ecclesiæ et conventus dictorum fratrum Carmelitarum « calceatorum in domibus de Abrich per ipsos inhabitatis; par- « tibus auditis; referente Eminentissimo S. Cæciliæ; censuit « et declaravit, supradictæ translationi, fundationi et constru- « ctioni Ecclesiæ et conventus eorumdem fratrum Carmelitarum « calceatorum, in præfatis domibus de Abrich, constitutiones « Apostolicas non obstare.* » Cujus decreti exemplar aut hentic- cum habeo.

Digitized by Google

PROPOSITIO II^a. — *Etiam in casu existentis dicti privilegii, translationi ad alium situm ejusdem loci applicandæ non veniunt constitutiones de novi conventus erectione; nisi forte privilegium ad impediendam etiam ejusmodi translationem expresse extenderetur.* — « Neque sunt attendendæ, ait Ferraris, dictæ con« stitutiones Apostolicæ, etiamsi translatio fiat ad situm, in « quo reperiantur constructi conventus aliarum religionum, « quæ privilegium habent, quod novi conventus non erigan« tur, nisi servata certa distantia. Unde regulares neque tunc « possent se opponere tali translationi. » Id firmat Ferraris variis decisionibus S. Congregationis Episcoporum et regularium (voce *conventus*, art. 1, n. 12 et 47). Ex iis declarationibus præcipue attendenda est, quam retulit Monacelli (parte 1, tit. 6, formula 19, adnot. 5), exstante penes ipsum exemplari authentico. Unde merito concluditur apud Ferraris (loco citato, n. 47) derelinquendum esse Pignatellum et alios nonnullos canonistas, qui contrarium olim docuerant.

Diximus nisi *forte privilegium ad casum meræ translationis expresse extendatur;* quia tandem si expresse decernat summus Pontifex, ne possit in aliquo situ alius, præter existentes, conventus, etiam *per modum translationis*, construi, dubium non est quin vi hujus privilegii impediri possit cujuslibet conventus ad situm istum translatio. Unde conclusio nostra respicit duntaxat privilegia quibus interdicitur *novi conventus erectio* citra determinatam distantiam. Cujus discriminis ratio est, quod verba *novi conventus erectio* per se non comprehandant *meram translationem* conventus ad alium loci ejusdem situm.

CAPUT II.

AN ET QUATENUS AD NOVI CONVENTUS ERECTIONEM NECESSARIA ETIAM SIT LICENTIA EPISCOPI : ET QUOMODO AB ORDINARIIS SIT PROCEDENDUM, QUANDO EJUSMODI LICENTIA AB IPSIS EXPOSTULATUR.

PROPOSITIO I^a. — *Licet jam habeatur beneplacitum Apostoli-*

Digitized by Google

cum, adhuc necessaria est licentia Episcopi, nisi forte in indulto Pontificio expresse concederetur, ut absque dicta licentia conventus erigi posset. — Nam, ut supra vidimus, Episcopi licentiam omnino necessariam Tridentini Patres (ses. 25, c. 3) decreverunt; ita ut etiam inanem et irritam declaraverint novi conventus erectionem, absque dicta licentia peractam. Quod autem beneplacitum Apostolicum jam obtentum non liberet a necessitate obtinendæ insuper licentiæ Episcopalis, tenent doctores communiter. De quo sic inter alios Pasqualigus : « An si summus Pontifex concedat Ecclesiam aut con-« ventum regularibus, requiratur adhuc licentia et consensus « Episcopi? Affirmative resolvendum est. Ita etiam Venerus... « Cespedes... Donatus... Rodriguez... Et casus est decisus « in capite *pastoralis, de privilegiis*, ubi decernitur quod « regulares obtinentes ecclesias pro suo usu non possunt, in-« consulto Episcopo, in ipsarum possessionem introire. Quia « scilicet concessio censetur facta salvo jure Episcopi; et « ideo ut non sit necessarius ejus consensus, requiritur, « quod in concessione specialiter exprimatur, quod, non re-« quisito ipsius consensu, possint possessionem apprehendere. « Nam tunc summus Pontifex auctoritate propria supplet « consensum Episcopi. Ex quo deducitur : quod, stante con-« cessione summi Pontificis, posset Episcopus *suspendere* « executionem, et rescribere eidem Pontifici, si judicaret « non expedire tales religiosos admitti ad locum concessum. » (Pasqualigus, in additionibus ad Lauretum de Franchis, *controversiæ inter Episcopos et regulares*, pag. 158, edit. Romæ 1656.)

Diximus in thesi *nisi forte in indulto Pontificio expresse concederetur conventum erigendi facultas, absque ulla Episcopi licentia*. Quia si Pontifex id diceret, hoc ipso a Tridentina sanctione, licentiam Episcopi exigente, dispensaret, ut patet.

PROPOSITIO II^a^. — *Dictam licentiam concedere nequit Vicarius generalis Episcopi, absque speciali mandato, neque Vicarius capitularis, sede vacante.* — Vide id probatum a Pasqualigo (in

Digitized by Google

additionibus ad *controversias inter Episcopos et regulares* Laureti de Franchis, pag. 157, edit. Romæ 1656). Et notet lector, ita hodie prorsus tenendum, quamvis olim res aliquatenus disputata fuerit apud doctores, quoad Vicarium generalem Episcopi. De quo videri etiam potest Fagnanus (in cap. *non amplius*, tituli *de institutionibus*).

PROPOSITIO III^a. — *Novum conventum erigendi licentiam denegare nequit Episcopus, nisi ex justa causa; et contra injustam ipsius denegationem datur appellatio.* — Extra controversiam est conclusio hæc apud doctores. Probatur autem,

1° Ex eo quod Tridentina Synodus non censenda sit voluisse, ut Episcopus pro libitu posset licentiam hanc denegare. Si enim valeret Episcopus ex libitu et sine rationabili causa novorum conventuum fundationes impedire, id aperte in damnum religionis cederet. Dum ergo statuunt Tridentini Patres, ne fieri valeant ejusmodi fundationes absque Ordinarii licentia, id intelligendum est eo sensu, quod ad Episcopum pertineat judicare, num expediat, an vero e contra noxia sit nova fundatio : debeat autem licentiam concedere quoties nullam habet rationabilem denegandi causam. Proinde, si absque rationabili causa deneget, patere censenda est appellatio.

2° Ex constitutione *cum alias* Gregorii XV, 17 augusti 1622, § 4, ubi sic statuitur : « Si vero a decreto seu decretis per Ordi-« narios prædictos in causis hujusmodi ferendis legitime ap-« pellari contigerit, ex nunc prout ex ea die, qua appellatio « interponetur, ea ad eamdem sacram Congregationem, una « cum toto negotio principali devoluta censeatur ; appella-« tioneque hujusmodi pendente, nihil innovandum esse ; irri-« tumque et inane quidquid secus super his a quoquam qua-« vis auctoritate scienter vel ignoranter contigerit attentari « decernens ; quibuscunque in contrarium facientibus, non « obstantibus. » Quoties ergo regulares, absque rationabili causa ab Episcopo licentiam sibi denegari existimant, appellationem interjicere possunt. Quæ appellatio habet effectum

Digitized by Google

suspensivum, et totum negotium ad S. Congregationem Episcoporum et regularium devolvit.

3° Ex concordi doctorum sententia : satis erit nonnullos e præcipuis subjicere :

« Ordinario tamen licentiam denegante pro fundatione « conventus, est recurrendum ad sacram Congregationem « Episcoporum et regularium; non autem ad Nuncium : « Gregorius XV, constitutione incipiente *cum alias*, § 4 ; « Rota, parte 12, decisione 289, n. 12; et parte 13, deci- « sione 87, n. 10. » (Ferraris, voce *conventus*, art. 1, n. 18.)

« Quod si ejusmodi consensum Ordinarius injuste præstare, « recusaverit, poterit appellari ab ejus decreto, etiam quoad « effectum suspensivum, ad S. Congregationem Episcoporum « et regularium, quæ consensum potest ac debet supplere, « juxta constitutionem Gregorii, § 4, quod fuse alias monui. » (Pignatellus, t. 1, consultatione 179, n. 45.)

« Non negabam ego assumptum...; quod scilicet, ubi Or- « dinarius, absque justa causa, istum consensum denegaret, « recursus haberi possit ad superiores, qui illum suppleant; « cum non agatur de actu faciendo ex gratia et mera libera- « litate, sed ex justitia... Quoniam in libito Ordinarii, ces- « sante justa causa, aliisque requisitis accedentibus, reposi- « tum esse non debet..., denegare introductionem regula- « rium in loco. » (Cardinalis de Luca, *de regularibus*, discursu 29, n. 13.)

Scholium. — Hinc patet *quomodo ab Ordinariis sit procedendum, quando novos in ipsorum diœcesibus erigendi conventus licentiam regulares expostulant.* — Non enim tunc Episcopo liberum est, ut nullis servatis formalitatibus, licentiam statim concedat vel deneget; sed, causa cognita, vocatisque et auditis iis, quos infra vocandos et audiendos dicemus, interponendum est Episcopale decretum, dictam licentiam concedens vel denegans. Ejusmodi decreti, novum conventum erigi concedentis formulam exhibet Monacellus (*formularium legale*, parte 1, tit. 6, formula 19) in hunc modum :

Digitized by Google

« N. Episcopus N. — Tibi reverendo Patri N., Ordinis N., « Provinciæ N. provinciali, ut una cum diffinitorio, cujus con- « sensum exhibuisti, ac servatis in reliquis constitutionibus « ordinis, constito Nobis duodecim religiosos tuæ religionis « commode sine aliorum detrimento sustentari posse, mona- « sterium seu conventum in loco N., hujus nostræ diœcesis ex- « struere et fundare possis, sine tamen præjudicio ecclesia- « rum parochialium dicti loci ac nostræ cathedræ, licentiam et « facultatem, quantum ad Nos spectat, concedimus, et con- « sensum præstamus, dummodo aliquid relevans, quod fun- « dationi obstare possit, non superveniat. Datum... — Epi- « scopus N. — N. Cancellarius Episcopalis. »

Quoad denegandam licentiam, equidem posset Episcopus, justas adesse denegationis causas existimans, nullum decretum conficere, et solummodo a concedenda licentia abstinere. Sed tunc possent regulares appellare ; et S. Congregatio, Episcoporum et regularium negotiis præposita, ab Episcopo denegatæ licentiæ rationes exquireret. Unde, cum rationes illas debeat tunc Episcopus deducere, nisi prius in decreto denegationis exposuerit, consultius videtur, ad celeriorem causæ expeditionem, ut etiam pro deneganda licentia ejusmodi Episcopale decretum conficiatur. Ejus autem formula facile ex præcedenti, mutatis mutandis, concinnari poterit.

CAPUT III.

AN ET QUATENUS NOVI CONVENTUS ERECTIONI SESE OPPONERE VALEANT REGULARES JAM IN LOCO EXISTENTES.

Quæstionem expediemus sub duplici paragrapho : primo nempe juris textus, ad rem facientes, memorabimus : tum quid inferendum sit determinabimus.

Digitized by Google

§ I.

Recensentur varia hac de re jura.

I. In constitutione *quoniam* Clementis VIII, 23 julii 1603, sic decernitur : « Declaramus locorum Ordinarios non posse « licentiam ad novos conventus cujuscunque mendicantium « Ordinis, in civitatibus et locis eorum ordinariæ jurisdictioni « subjectis erigendos impertire, nisi vocatis et auditis aliorum « in eisdem civitatibus et locis existentium conventuum prio- « ribus seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus, et « causa servatis servandis cognita, constiterit, in eisdem ci- « vitatibus et locis novos hujusmodi erigendos conventus, « sine aliorum detrimento commode sustentari posse. Si vero « ab eorum, in hujusmodi causis, sententiis, ad Nos et Aposto- « licam sedem provocari et appellari contigerit, ipsos Ordi- « narios tamdiu erectionem novorum conventuum suspendere « debere, quousque a Nobis et Apostolica sede in eadem « causa pronuntiatum exstiterit; et irritum nihilominus et « inane decernentes quidquid secus super his, a quoquam, « quavis auctoritate, scienter vel ignoranter contigeret at- « tentari. »

II. In constitutione *cum alias*, 17 augusti 1622, qua præcedentem confirmavit et ampliavit Gregorius XV, agitur de regularibus cujuslibet ordinis et instituti : et prohibetur ne ullibi novus ipsorum conventus erigatur, « nisi in eo saltem duo- « decim fratres aut monachi seu religiosi inhabitare, ac ex « redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant; ac « priores seu procuratores aliorum monasteriorum, conven- « tuum, seu domorum aliarum religionum..., non solum in « prædictis, *sed etiam in aliis per quatuor millia passuum cir-* « *cumvicinis locis*, ad id vocati et auditi fuerint, *vel alias* « Ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii, con- « ventus seu domus regularis sic erigendi seu erigendæ, abs-

Digitized by Google

« que detrimento religiosorum, in monasteriis seu domibus « ante in civitatibus seu locis hujusmodi erectis, degentium, « ibi in numero duodecim commode et congrue manuteneri « et ali posse. » Postea decernit Gregorius XV, ut, si appelletur a sententia Ordinarii, causa ad S. Congregationem Episcoporum et regularium devolvatur. In hoc documento diligenter notanda est disjunctiva *vel alias*, quam sublineavimus; quia, ut dicetur infra, liberum relinquit Episcopo ut omittat requirere consensum aliorum religiosorum, quando aliunde ipsi satis constat, posse novum conventum erigi, absque cæterorum detrimento.

§ II.

Determinatur an et quatenus, ad novi conventus erectionem, requiratur aliorum loci conventuum consensus.

PROPOSITIO Iª. — *Si aliunde satis constet Episcopo, novum conventum absque aliorum detrimento erigi posse, licentiam erigendi concedere potest, quin vocet et audiat aliorum conventuum superiores aut procuratores.* — Id quidem non poterat Episcopus ante Gregorii XV constitutionem ; siquidem Clemens VIII absolute prohibuerat ne Ordinarii dictam licentiam impertirent, *nisi vocatis et auditis aliorum conventuum prioribus seu procuratoribus.* Ast Gregorius XV addidit, *vel* nisi *alias Ordinariis locorum constiterit* novum conventum constitui posse absque aliorum detrimento. Ex hac autem disjunctiva, sequitur, non teneri Episcopum ad vocandos et audiendos alios religiosos, quando ipsi constat nullum ex nova fundatione redundare in cætera monasteria detrimentum. Et ita rem a canonistis fuisse communiter intellectam, vide apud Ferraris (voce *conventus*, art. 1, n. 21). Adducemus duntaxat Pasqualigum, qui sic de illa quæstione disserit : « Occurrit ulterius « dubitandum, an pro causæ cognitione requiratur necessario, « quod audiantur superiores seu procuratores aliorum con-

Digitized by Google

« ventuum in ordine ad consensum? Affirmant Riccius...,
« Novarus...; quia constitutio Clementis VIII absolute re-
« quirit hanc convocationem. At non esse necessariam te-
« nent Joannes Maria Novarus..., Cespedes..., Donatus...;
« quia Gregorius XV in constitutione supra relata addit, quod
« possunt Ordinarii introducere novas religiones, *vel* obtento
« assensu aliorum religiosorum, *vel alias* si eis constiterit
« posse sine aliorum detrimento commode sustentari... Quod
« arbitrium concessum Episcopis non fuit revocatum per con-
« stitutionem Urbani VIII super monasteriorum erectione,
« sicut putavit Peirinus..., imo fuit confirmatum; siquidem
« confirmat tam decretum Clementis VIII quam Gregorii
« XV. » (Lauretus de Franchis, *Controversiæ inter Episcopos et regulares*, cum additionibus Pasqualigi, pag. 139, edit. Romæ 1656.)

PROPOSITIO II^a. — *Si Episcopo non constet an nova erectio aliis conventibus detrimentum allatura sit, tenetur priores aut procuratores conventuum, tum in loco ipso, tum extra usque ad quatuor millium distantiam positorum, vocare et audire.* — Nam hoc ipso quod non verificetur posterius membrum disjunctivæ, a Gregorio XV positæ, urget absolute membrum prius; quo nempe laudatus Pontifex præcipit vocari et audiri alios conventus usque ad quatuor millia passuum distantes.

PROPOSITIO III^a. — *Quocunque modo licentiam dederit Episcopus, remanet aliis conventibus ab ea appellandi facultas, cum effectu etiam suspensivo.* — Nam appellatio hæc cum effectu suspensivo expresse decernitur in supra citatis Clementis VIII verbis; et fuit a constitutione Gregorii XV confirmata: addidit duntaxat Gregorius XV, ut ejusmodi appellatio ad S. Congregationem Episcoporum et regularium devolveretur.

PROPOSITIO IV^a. *Præfata juris dispositio, de requirendo consensu vicinorum conventuum, non respicit conventus monialium, sed virorum tantummodo.* — Hanc tenendam sententiam, contra veteres nonnullos canonistas, asserit Monacelli (*Formularium legale*, parte 1, tit. 6, formula 19, adnot. 17): « Quia,

Digitized by Google

« inquit, monasteria monialium non fundantur in paupertate, « sed cum assignatione et redditibus certis, qui sufficiant pro « illarum manutentione ; cessatque omne aliud præjudicium, « a constitutionibus Apostolicis et decretis consideratum, tam « quoad quæstum, quam quoad sacramentorum perceptionem, « ac eleemosynarum pro missis, necnon sepultura. Et hanc « sententiam verissimam esse demonstrat praxis sacræ Con- « gregationis , quæ requisita constitutionum Apostolicarum, « de quibus nunc loquimur, non exigit pro monialibus ; sed « habita informatione et consensu Episcopi Ordinarii, ac con- « stito fabricam monasterii esse tutam ac sufficientem, saltem « pro duodecim monialibus, concedit gratiam fundationis, « nemine alio vocato ; ut decies et vigesies per spatium « 14 annorum vidi, præ manibus decreta habui, et extendi. »

CAPUT IV.

QUODNAM SIT JUS PAROCHO, NOVI CONVENTUS IN PAROCHIÆ SUÆ TERRITORIO ERECTIONEM PRÆPEDIENDI.

Lectorem præmonemus, ne quorumlibet canonistarum conclusionibus hac in re fidat. Quidam enim, juris textus haud satis attente perpendentes, et valde diversas inter se quæstiones conjungentes, de præsenti argumento confuse disseruerunt, et parochis eas partes tribuerunt, quæ revera ad ipsos non pertinent. Ut ergo facilius perspici possit veritas, totam illam materiam in sequentes paragraphos distribuendam duximus : 1° an teneatur Episcopus, antequam erigi novum conventum permittat, parochum vocare et audire : 2° an necessarius sit parochi prævius consensus,ut canonice ad dictam erectionem procedi possit : 3° quænam sint damna seu præjudicia, ob quæ potest parochus novi conventus erectioni sese opponere : 4° an jus parochis hac in re competens, etiam deservientibus ad nutum amovibilibus competere censendum sit.

Digitized by Google

§ I.

Num teneatur Episcopus, antequam novum conventum erigendi licentiam concedat, parochum citare seu vocare, ut eum audiat.

Prænotanda. — Sedulo ab invicem distinguendæ sunt tres illæ quæstiones: *An teneatur Episcopus parochum vocare, ut eum audiat: an possit parochus ultro comparere, et tunc debeat Episcopus eum audire*: *an necessarius sit parochi consensus, ita ut invalida sit Episcopi licentia, nisi parochus erectioni consenserit.* Ex eo quod non teneatur Episcopus parochum vocare, non sequitur denegandum esse parocho jus Episcopum adeundi, suamque oppositionem erectioni conventus declarandi. Non enim sese excludunt hæc duo: quod Episcopus non teneatur parochum vocare, et tamen teneatur eum audire, si veniat, et oppositionis suæ rationes deducere velit. Pariter etiamsi teneretur Episcopus parochum vocare et audire, non ex hoc solo inferendum foret, necessarium esse parochi *consensum*. Stare enim possunt hæc duo: ut Episcopus teneatur aliquos audire, et tamen, non obstante eorum dissensu, licite et valide agere possit. Id quoad ecclesiæ cathedralis canonicos ostendimus, in tractatu *de Capitulis*: in multis scilicet tenetur Episcopus eorum consilium exquirere, non tamen sequi. Ex tribus autem dictis quæstionibus, unam duntaxat (aliis ad sequentes paragraphos rejectis) in præsentiarum expendimus; nempe, an teneatur Episcopus parochum citare seu vocare, ut eum audiat. Quo prænotato sit

Propositio I^a^. — *Plures canonistæ sustinuerunt vocandum esse parochum: imo et invalidam fore Episcopi licentiam, si formalitas hæc prætermitteretur.* — Citabimus Pignatellum, Cardinalem Petra, Schmalzgrueber, Leurenium et Reiffenstuel.

1° *Doctrina Pignatelli.* — Necessarium existimavit auctor ille, non tantum ut prævio vocetur et audiatur parochus, sed etiam ut *consentiat*: « Insuper, inquit, exigitur perne-

Digitized by Google

« cesse consensus parochi sive capituli penes quod residet « cura animarum, infra cujus parochiæ limites conventus « ædificandus est; sine quo ædificari non potest. Nam cum « in nova ecclesia sepeliri debeant fidelium corpora, mini- « strari sacramenta, aliaque plura fieri, ex quibus potest ge- « nerari præjudicium parocho, illius consensus ita est neces- « sarius, ut absque eo fundatio novi monasterii non sustinea- « tur. » (Tomo 1, consultatione 179, n. 52.) « Quod autem a « constitutionibus non exigatur consensus parochi sive capi- « tuli, falsum est. Eam in constitutione Clementis, quæ fuit « prima de hac re, ita habetur : *Motu proprio et ex certa « scientia harum serie declaramus, locorum Ordinarios non posse « licentiam ad novos conventus quibusvis etiam mendicantibus Or- « dinibus, in civitate et locis eorum ordinariæ jurisdictioni sub- « jectis erigendos, impertiri, nisi vocatis et auditis in eisdem ci- « vitate et locis existentibus conventuum prioribus, seu procurato- « ribus; et aliis enteresse habentibus, et causa (servatis servandis) « cognita constiterit, in eisdem civitate et locis novos ejusmodi « erigendos conventus sine aliorum detrimento commode sustentari « posse.* Certum quippe est, verbis illis, *et aliis interesse ha- « bentibus*, parochum, sive capitulum collegiatæ vel cathedra- « lis intelligendum esse. » (Ibidem, n. 68.)

2° *Doctrina Cardinalis Petra.* — Existimat necessario *audiendum* esse parochum, ob constitutionem Clementis VIII; at simul sustinet non requiri ipsius *consensum* : « Stante dicta « speciali provisione, est pro forma ut parochus tunc audia- « tur, prout alii interesse forsan habentes; alias actus est « nullus, cum in dicta constitutione adsit decretum irri- « tans, prout advertunt Gratianus... Pignatellus...» (Tomo 1, constitutio 2, Paschalis II, sect. 1, n. 31). Ostenderat jam citatus auctor, non esse necessario vocandum parochum, si agatur de erigenda alia quam regularium ecclesia. Ut autem clarius exponat discrimen inter utrumque casum, dicit non necessario vocandum esse parochum, quando erigenda est ecclesia sæcularis; quia id regulatur *jure communi*, et jus

Digitized by Google

commune vocandum tunc parochum non præcipit : at vero necessario audiendum esse parochum, si agatur de erigenda ecclesia regularium, ob specialem dispositionem Clementis VIII : in neutro autem casu requiri parochi consensum. En ipsius verba : « Hæc est sola differentia circa jus commune, « et formam Clementinæ quoad conventus, quia scilicet primum remittit cognitionem Episcopo extrajudicialem, et sic « non tenetur aliquem vocare : secunda vero mandat vocari « *interesse habentes*. Unde in utroque casu proprie loquendo, « nullus requiritur consensus parochi pro auctorizando actu ; « sed tantum habet hic jus opponendi pro suo interesse ; « tum quia dictæ constitutiones talem consensum non demandant (sed solum exprimunt, ut parochus vocari debeat, ad effectum opponendi, quatenus, causa cognita, ejus « præjudicio consulatur), tum etiam quia, cessante tali præjudicio, nequit actus impugnari. Præterquam quod etiamsi « ageretur de præjudicio ejus ecclesiæ, neque posset præstare assensum, quia saperet alienationem jurium ecclesiasticorum... Unde corollarie procedendo in hanc re, pro « erectione ecclesiæ sæcularis, non requiritur citatio parochi, neque consensus ; sed tantum potest se opponere si « cognoverit ejus præjudicium, et debet audiri ejus oppositio. In fundatione tamen regularium ecclesiarum, debet « necessario citari, et causa judicialiter expediri ; et quatenus non dissenserit parochus, datur executioni licentia « Apostolica : alias (1) potest appellare. » (Loco citato, n. 32 et seq.)

Doctrina Schmalzgrueber. — « Requiritur... 3°, ut accedat « consensus parochi, vel capituli penes quod residet cura « animarum, et intra cujus parochiæ limites monasterium « ædificandum est... Estque hic adeo necessarius, ut absque « eo fundatio novi monasterii non sustineatur. Pignatellus... » (In titulum 36, libri 3 decretatium, n. 35.)

(1) Id est, si parochus nolit acquiescere.

Digitized by Google

Doctrina Leurenii. — « Citandos et audiendos parochos loco-
« rum... tanquam probabilius et juri conformius contra Pas-
« serinum... tenet Reiffenstuel. » (Forum ecclesiasticum, tom. 3, q. 997, n. 3).

Doctrina Anacleti Reiffenstuel. — « Controvertunt hic aliqui
« an inter citandos et audiendos etiam sint parochi locorum.
« Passerinus siquidem, Pasqualigus... et alii putant eos nec
« citandos nec audiendos esse. Verum contraria opinio, vi-
« delicet quod parochi ante consensum audiendi sint, proba-
« bilius et juri conformius videtur... Idque probatur ex bulla
« Clementis VIII..., ubi expresse prohibetur, ne Episcopus
« consensum præbeat, nisi prius *vocatis et auditis* religiosis
« præexistentibus in tali loco, et (nota bene) *aliis interesse*
« *habentibus*. Atqui parochi in hujusmodi causa etiam interesse
« habent; cum contingere posset quod ex nova monasterii
« constructione eorum oblationes aliave jura parochialia ita
« diminuerentur, ut sustentationem non amplius habeant. »
(In titulum 48, libri 3 decretalium, n. 33.)

Est ergo revera plurium doctorum opinio, vocandum et audiendum esse parochum; atque alias invalidam fore licentiam ab Episcopo concessam. Quam opinionem, cum nos impugnaturi simus, voluimus in antecessum præcipuos ipsius patronos, et rationes ab ipsis allegatas in medium adducere; quo facilius lector perspicere possit, num merito conclusioni oppositæ adhæreamus.

PROPOSITIO II^a^. — *Alii doctores tradunt, haud teneri Episcopum ad citandum seu vocandum parochum.* — 1° In hac sententia fuit Passerinus, cujus doctrinam sic breviter exponit P. Bremond (Bullarium ordinis Prædicatorum, tom. 8, tract. de consens. bull., tit. 1, quæst. 2, n. 10, pag. 39) : « Notan-
« dum... quod Gregorius XV... *disjunctive* loquitur. Cum
« enim dixisset vocandos et audiendos esse cæteros religiosos,
« addit : *vel alias Ordinariis locorum constiterit,* etc... Ex hac
« disjunctione Passerinus... colligit, *primo* quod consensus
« aliorum religiosorum non est absolute necessarius, et, si

Digitized by Google

« nulla legitima ratione fulti dissentiant, ipsis invitis, Epi-
« scopus licentiam concedere potest : secus si justa de causa
« dissentiant. Ubi obiter notat idem celeberrimus scriptor,
« hac de re illud solum detrimentum attendi debere, quod de
« præsenti immineat contra jus quæsitum, non vero contra
« jus seu lucrum acquirendum in futuro. *Secundo* idem censet
« de cæteris interesse habentibus. *Tertio* idem docet de
« parocho, *quem putat in hac causæ cognitione vocandum non*
« *esse*. *Quarto* colligit, quod detrimentum concursus populi ad
« ecclesias in loco præexistentes non est attendendum, ut ex
« eo negetur erectio novi conventus. *Quinto* quod si con-
« ventus erigendus habet redditus sufficientes pro sustenta-
« tione, potest erigi, etiam invitis aliis religiosis. »

2° Pro eadem sententia stetisse Bordonum et alios quosdam, constat ex ipso Pignatello (tom. 1, consult. 179, n. 35 et seq.).

3° Eidem sententiæ adscribendus est Pasqualigus, prout testatur Reiffenstuel in hunc modum : « Passerinus... Pasqua-
« ligus... et alii putant eos (*nempe parochos*) nec citandos nec
« audiendos esse. » (In tit. 48, libri 3 decretalium, n. 33.)

4° Eamdem sententiam ex professo, atque, ut mihi videtur, peremptorie sustinuerunt moderni Bollandiani (*examen libri Mariani Verhoeven*, pag. 497 et seq., edit. 1847).

Ex adductis concludendum est, rem inter canonistas controverti. Proinde *communis* dici nequit eorum opinio, qui putant teneri Episcopum ad vocandum parochum, antequam novi conventus erigendi licentiam concedat, et invalidam esse illam licentiam, si concedatur non audito parocho.

PROPOSITIO III^a. — *Ad fulciendam priorem opinionem, esse scilicet vocandum parochum, immerito invocatur Rotæ et nonnullorum canonistarum auctoritas.* — Ad Rotam quod attinet, non una semper fuisse ipsius hac de re sententia videtur. Quod ex collatis sequentibus decisionibus patebit. »

1° Die 22 junii 1615, coram Manzanedo (*recentium*, parte 2, pag. 573), prodiit decisio, qua valida pronuntiatur Cæsarau-

Digitized by Google

gustani Archiepiscopi licentia, pro erigendo quodam mendicantium monasterio. Quæ autem objiciebantur contra hujus licentiæ valorem confutat Rota in hunc modum : « Licet pro « erigendo novo regularium collegio seu monasterio, olim « requireretur specialis sedis Apostolicæ licentia (cap. 1, *de* « *Excess. præl.* in 6; Clem. *cupientes, de pœnis*), hodie tamen « hujusmodi facultas fuit Ordinariis attributa per S. concilium Tridentinum (sess. 25, *de regul.*, c. 3). Renovatur per « particularem constitutionem F. R. Clementis VIII; in qua « præscribitur forma Ordinariis, circa hujusmodi licentias « concedendas. Quæ fuit ad unguem per Ordinarium Cœsaraugustanum servata, *cum citaverit omnes conventus mendicantium* (1), et sibi constiterit, nullum eis posse ex nova « collegii erectione præjudicium inferri; ex quo redditus illi « relicti per Ugonem... sufficiunt ad congruam sustentationem collegialium; qui propterea non cogerentur mendicare, et consequenter non diminuerent eleemosynas aliorum mendicantium, nec aliquod eis damnum inferrent.

« Quibus non obstat pro erectione hujusmodi collegii non « concurrere requisita (in c. *ad audientiam*, il 1, *de eccl. ædif.*; « et in concilio Trid., sess. 21, cap. 4); quia prædicta jura « loquuntur de erectione novæ *parochiæ* intra limites alterius, « non autem collegii seu alterius Ecclesiæ *non parochialis*.

« Minus obstat, quod erecto isto collegio, Christifideles « poterunt in illius Ecclesia eligere sepulturam, facere celebrari missas et anniversaria, quod redundat in præjudicium « ecclesiæ del Pilar, in qua prædicta hucusque facta fuerunt. « Quia negatur hujusmodi præjudicium, cum simus *in facultativis;* ex quo quilibet potest ad libitum ubilibet pia opera « facere, et sibi sepulturam eligere. Et in omnem eventum « tale præjudicium non esset considerabile ad effectum impediendi novi collegii erectionem, juxta doctrinam Bartoli..., Aymonis..., Alexii...

(1) Notat lector, de parochi citatione mentionem nullam fieri.

Digitized by Google

« Ultra quod, prædicta constitutio Clementis *consideravit* « *tantummodo præjudicium quod potest inferri ecclesiis Fratrum* « *mendicantium*, ne propterea eleemosynarum erogandarum « in novum collegium detrimentum patiantur, *non autem aliis* « *ecclesiis.* »

Ergo revera tunc Rota censuit, per hæc Clementinæ constitutionis verba *et aliis interesse habentibus* non comprehendi parochum, et putavit parochi citationem non esse de formalitatibus a dicta constitutione præscriptis.

2° Duas alias in eumdem sensum Rotæ decisiones memorat ipsemet Pignatellus (tom. 1, decis. 179, n. 53).

3° In oppositam autem sententiam abiit Rota (in *Toletana manutentionis*, 9 aprilis 1657, coram Meltio). Siquidem ibi n. 23 sic expresse habet : « Neque dicere valet, ut constitu- « tiones prædictæ emanaverint pro indemnitate mendicantium « tantum, unde isti solummodo, et non alii, de tali nullitate « opponere possint ; quia contrarium colligitur ex illorum « lectura ; et signanter ex ea Clementis VIII ; in qua signanter « disponitur, quod citari debeant omnes interesse habentes, « ibi : *et aliis interesse habentibus.* Et in specie, quod parochi « sint legitimi contradictores ad opponendum contra funda- « tionem novi monasterii, ac super tali prætensione audiri « debeant, tenent Lapus... Guidopus... » (Parte 12 *recentium*, pag. 172.) Exstant et aliæ decisiones, quæ parochum sub verbis *et aliis interesse habentibus* comprehendunt.

4° Postea tamen in pluribus decisionibus, ut ostendat Rota parochis competere jus sese opponendi, non jam invocat dicta verba Clementis VIII *et aliis interesse habentibus*, sed argumentum illud silentio prætermittens (quasi invalidum agnoverit), adducit alia jura et canonistas. Vide in *Cæsaraugustana fundationis*, 4 februarii 1659 (recentium, parte 11, decis. 309, pag. 422) ; item, parte 13, decisiones 87, 115, 225 ; et partis 19 tomo 2, decisionem 489.

Ex his Rotæ variationibus colligat lector, immerito hujus tribunalis auctoritate niti eos, qui contendunt parochos de

Digitized by Google

necessitate esse vocandos, utpote sub verbis Clementinæ *et aliis interesse habentibus* comprehensos.

Immerito etiam nonnullos doctores adducunt, quasi sibi patrocinantes. Sit in exemplum Barbosa, qui (*de officio et potest. Episcopi*, parte 2, alleg. 26, n. 5) sic habet : « In concedenda « hujusmodi licentia debet Episcopus maxime attendere, si « monasterium aut alterius cujuscunque erectio præjudicet « quoquo modo ecclesiæ parochiali : eo namque casu assen- « tiri minime debet ; et curato licet contradicere, audiendus- « que est in sua prætensione, ex Guidonis Papæ decisione « 370. » Ex his verbis nonnulli inferunt, juxta Barbosæ sententiam, necessario vocandum esse parochum ; qua formalitate omissa, invalidam fore licentiam. At immerito. Quidquid ibi asserit Barbosa, et ego admitto ; et tamen nego teneri Episcopum ad vocandum parochum. Jus habet parochus contradicendi, et casu quo Episcopum adeat ad contradicendum, debet audiri. Id dicit Barbosa. At non dicit necessariam parochi citationem. Nec dicit necessariam, eo quod comprehendatur parochus sub verbis Clementis VIII *et aliis interesse habentibus ;* præsertim cum nitatur auctoritate Guidonis Papæ, qui longe ante Clementem VIII devixerat.

Propositio IV^a^. — *Non tenetur Episcopus, antequam novum conventum erigendi licentiam concedat, parochum citare seu vocare.* — Etenim ad id teneretur, vel vi constitutionum Pontificiarum circa novarum conventuum erectiones, vel ex aliis Ecclesiæ decretis. Atqui neutrum dici potest.

I. *Pontificiæ constitutiones de novis conventibus erigendis, dictam formalitatem nequaquam requirunt.* — Ex istis constitutionibus, unica, in gratiam oppositæ sententiæ, phrasis obtenditur ; qua nempe Clemens VIII (constitutione *quoniam*, 23 julii 1603) sic decernit : « Declaramus, locorum Ordinarios « non posse licentiam ad novos conventus... erigendos im- « pertiri, *nisi vocatis et auditis aliorum... conventuum prioribus « seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus*, et causa (ser- « vatis servandis) cognita, constiterit, in eisdem civitatibus

Digitized by Google

« et locis novos hujusmodi erigendos conventus, sine aliorum « detrimento commode sustentari posse... Irritum nihilominus « et inane decernentes quidquid secus... contigerit atten- « tari.» Hoc nixi textu, sic fidenter argumentantur dictæ opinionis patroni : verba hæc *et aliis interesse habentibus*, procul dubio designant cæteros, præter regulares, qui interesse habent; atqui de horum numero est parochus; ergo parochus vocandus et audiendus est. Respondetur omnino falsam esse *majorem*. Nimirum dictæ voces non designant *cæteros*, præter regulares; sed designant *cæteros regulares*, qui sub *priorum* et *procuratorum* nomine non comprehenduntur, quales sunt Abbates, Provinciales, Guardiani, etc. Probatur id :

1° *Ex grammaticali sensu.* — Dum, enumeratis aliquibus, additur *et aliis*, isti alii, vi sensus grammaticalis, intelligendi sunt ejusdem speciei ac jam enumerati; sed enumerati fuerant aliqui conventuum superiores et officiales, nempe *priores* et *procuratores*; ergo additæ voces *et aliis* intelligendæ sunt de cæteris conventuum superioribus et officialibus, qui vi sui muneris ad id interesse habent. Et notetur, mutilam et insufficientem futuram fuisse, quoad regulares, Pontificis enumerationem, si vocandos duntaxat edixisset *priores* et *procuratores*; quia multi sunt conventus qui, non a *prioribus*, sed a diversi nominis superioribus reguntur. Item plures conventus pro gerendis negotiis procuratoribus non utuntur; ita ut (pro variorum ordinum constitutionibus) vel ad conventus prælatum, vel ad capitulum, vel ad aliquos alios officiales pertineat nomine conventus agere, contractus inire, et alia ejusmodi negotia expedire. Hos ergo ut comprehenderet Pontifex addidit, *et aliis interesse habentibus*. Probatur :

2° *Ex ultimo phraseos membro.* — Decernit quippe Pontifex concedendas ab Episcopis non esse licentias, « nisi constiterit « *novos* hujusmodi erigendos conventus sine *aliorum* detri- « mento commode sustentari posse. » Dum ibi dicitur *aliorum*, profecto intelligendum est *conventuum*, per oppositionem ad *novos*. Attendat autem lector, post has voces sine detri-

Digitized by Google

mento *aliorum* (conventuum), nequaquam addi *aut parochiarum*, vel aliquid simile. Sed loquitur Pontifex de *solo* præexistentium conventuum *detrimento*. Porro si per *alios interesse habentes*, intellexisset alios præter regulares (verbi gratia, parochos), vocibus *sine detrimento aliorum* (conventuum), procul dubio addidisset *vel sæcularium ecclesiarum*. Probatur :

3° *Ex scopo dictarum constitutionum, circa erigendos novos conventus statuentium.*— Quod in hunc solum finem intenderit Clementis VIII constitutio, ut damnum quoad præexistentes conventus præcaveret, indicat ipsius proœmium : « Quoniam « ad institutam regularium locorum et personarum reforma- « tionem promovendam et conservandam maxime pertinet, « ut quibuscunque *domibus et monasteriis regularium* is tan- « tum numerus religiosorum qui commode ibi ali possit, con- « tineatur, ac eo pariter spectat ut in quibuscunque civitati- « bus et locis novæ domus et monasteria... non erigantur, « nisi in iisdem..., *aliorum domorum et monasteriorum in eis* « *existentium habita ratione*, commode sustentari posse digno- « scantur : *hac* igitur *consideratione* ducti, etc. » In dicto sensu constitutionem illam Rota intellexerat, antequam aliqui canonistæ tricas huic rei intexuissent ; prout testantur hæc ipsius verba (decisionis 22 junii 1615, sub præcedenti propositione relatæ) : « Prædicta constitutio Clementis consideravit « *tantummodo* præjudicium quod potest inferri *ecclesiis fra-* « *trum mendicantium*, ne propter eleemosynas erogandas in « novum collegium detrimentum patiantur, *non autem aliis* « *ecclesiis*. » Idem indicat decretum Gregorii XV. Non enim alia ferendi hujus decreti ratio adducitur quam quod « non « habita debita eleemosynarum *cujuscunque monasterii, con-* « *ventus seu domus ratione, monachi seu fratres aut religiosi* ibi « degentes manuteneri nequeant, et ad tam exiguum numerum « reducantur, ut cultus divinus in *eorum* ecclesiis destituatur, « ibique *regularis disciplina*, ut convenit, conservari non va- « leat. » Ibi de parochialibus seu sæcularibus ecclesiis mentio nulla. Præterea, quamvis in proœmio decreti dicatur, juxta

Digitized by Google

Clementis VIII sanctionem, vocandos esse *priores seu procuratores, et alios interesse habentes*, nihilominus in corpore ejusdem decreti dicitur, erigendos non esse novos conventus, *nisi priores seu procuratores aliorum monasteriorum... vocati et auditi fuerint ;* nequaquam autem additur, *et alii interesse habentes*. Et tandem in utroque decreto intendi *solummodo* interesse seu bonum spirituale et temporale regularium, facile perspiciet lector, conferendo hæc Clementis verba : « *Novos* « hujusmodi erigendos conventus sine *aliorum* detrimento « commode sustentari posse constiterit, » cum Gregorii XV, « Ordinariis locorum constiterit, religiosos monasterii, conven- « tus seu domus regularis sic erigendi vel erigendæ, absque « detrimento *religiosorum in monasteriis seu domibus, ante in* « *civitatibus seu locis hujusmodi erectis degentium*, ibi in numero « duodecim commode et congrue manuteneri et ali posse. »

Ergo revera Pontificiæ de erigendis novis conventibus constitutiones, nequaquam decernunt vocandum esse parochum, antequam licentiam concedat Episcopus.

II. *Neque id requirunt illa alia Ecclesiæ decreta.* — Equidem cavere debet Episcopus, ne per novi conventus erectionem lædantur parochi seu ecclesiæ parochialis *jura*, et potest parochus si præjudicium dictis juribus inferatur, a decreto episcopali erectionem concedente appellare ; imo et audiri debet parochus, si ante concessam licentiam Episcopum adeat, et oppositionem faciat ; et hæc omnia juris communis textibus probari possunt : at vero quod teneatur Episcopus eum vocare, et ex omissa illa formalitate invalida sit episcopalis concessio, non aliunde inferunt aliqui canonistæ, nisi ex dictis Clementis VIII et Gregorii XV constitutionibus : et fatentur omnes formalitatem hanc, nisi per dictas constitutiones præcipiatur, nullatenus necessariam dici posse. Cum ergo (ut probavimus) dictæ constitutiones circa novorum conventuum erectionem edita, nequaquam præfatam vocandi parochi formalitatem requirant, eam nullatenus requiri merito colligitur.

Digitized by Google

§ III.

Ut valeat Episcopus novum erigendi conventum licentiam concedere, non requiritur prævius parochi consensus.

PROBATIO I^a. — *Ex eo quod non requiratur ut citetur seu vocetur parochus.* — Nam si requireretur prævius parochi consensus, a fortiori necesse foret eum citari seu vocari : atqui, ex dictis superiore paragrapho, non requiritur ut citetur aut vocetur : ergo neque requiritur ut consentiat.

Nota. — Etiamsi necessaria foret prævia parochi citatio seu vocatio, ut nonnulli canonistæ existimant, falsum nihilominus foret requiri ipsius consensum ; quod sequentibus probationibus evincitur.

PROBATIO II^a. — *Ex tenore Pontificiarum constitutionum circa novos erigendos conventus.* — Nam dictus parochi consensus requireretur, vel vi constitutionis Clementis VIII, vel vi decreti Gregorii XV. Atqui neutrum dici potest :

1° Non requiritur prævius parochi consensus vi constitutionis Clementis VIII (*quoniam*, 23 julii 1603). Nam ibi quidem declaratur, « Ordinarios non posse licentiam ad novos con-« ventus erigendos impertiri, *nisi vocatis et auditis aliorum* « *conventuum prioribus seu procuratoribus, et aliis interesse ha-* « *bentibus*, et constiterit novos conventus sine aliorum detri-« mento commode sustentari posse : » at vero de requisito eorumdem consensu ne verbum quidem in hac constitutione reperitur. Ergo etiamsi voces istæ *et aliis interesse habentibus* parochos quoque comprehenderent, non sequeretur prærequiri ipsorum consensum ; sed duntaxat *vocandos* eos esse atque *audiendos ;* quod valde diversum est. Tenetur, verbi gratia Episcopus, ut valide procedat, canonicorum consilium in nonnullis materiis expetere et audire ; et tamen ipsis etiam dissentientibus valide agere potest. Item pro dismembranda parochia, tenetur parochum citare et audire ; et tamen ipso dissentiente valide potest dismembrationem decernere (vide

Digitized by Google

quoad canonicos tractatum meum *de Capitulis*; et quoad parochiarum dismembrationem tractatum meum *de Parocho*).

Nec objicias ex Clementis VIII constitutione, *debere Ordinarios*, casu quo interjiciatur appellatio, *erectionem suspendere*. Aliud enim est, quod post factam appellationem ultra procedere nequeat Episcopus; aliud, quod irrita sit data ab ipso licentia, ob non obtentum prævio parochi consensum. Hæc nempe dictæ constitutionis clausula non plus dicit quam juris communis axioma, *appellatione pendente nihil innovetur*. Ergo 1° ex constitutione Clementis VIII nequaquam necessarius probari potest prævius parochi consensus.

2° Sed neque necessarius est parochi consensus ex decreto *cum alias* (17 augusti 1622), Gregorii XV jussu edito. Advertat lector discrimen inter illud decretum et Clementis VIII constitutionem. Clemens VIII nullorum *consensum* requirebat: at vero in Gregorii XV decreto, tanquam formalitas ad valorem actus requisita necessarius decernitur aliquorum (at nequaquam parochorum, ut mox probabitur) consensus. En decreti verba: « Volens quod... conventus... non erigantur, « nisi priores seu procuratores aliorum conventuum... ad id « vocati et auditi fuerint, *ac tali erectioni consenserint*; vel « alias Ordinariis locorum constiterit, religiosos conventus... « sic erigendi..., absque detrimento religiosorum in... locis « hujusmodi... degentium, ibi in numero duodecim commode « et congrue manuteneri et ali posse. Si vero conventus, domus, congregatio vel societas hujusmodi instituendæ erunt, « *nullique alii regulares ibi reperientur*, Ordinarii locorum nihilominus diligenter inquirant, an locorum incolæ et habitatores, quorum et consensum requirant ac adhibeant, « hujusmodi duodecim religiosos... commode alere et manu- « tenere valeant... Irritumque et inane quidquid secus... « contigerit attentari decernentes. » Ex illis decreti verbis manifestum fit, quorumnam et quibus in casibus requiratur consensus: nempe,

Primo, requiritur consensus aliorum loci conventuum: non

Digitized by Google

tamen semper; sed duntaxat in certo quodam casu. Necessarium esse ipsorum consensum evincunt verba hæc, *nisi erectioni consenserint*. Non semper esse necessarium consensum hunc, sed duntaxat in aliqua hypothesi, evincunt sequentia verba, *vel alias Ordinariis constiterit*, novos religiosos absque aliorum detrimento commode ali posse. Quoties ergo satis constat Episcopo, novum conventum absque aliorum detrimento ali posse, horum consensus nequaquam requiritur. Imo tunc neque necesse est *vocari et audiri* aliorum conventuum priores seu procuratores. Neque enim absolute et sine limitatione decernit Gregorius XV eos esse vocandos et audiendos, atque expectandum eorum consensum, sed cum hac disjunctiva, *vel alias Ordinariis constiterit*.

Secundo, requiritur consensus incolarum loci: non tamen semper; sed in quibusdam casibus. Etenim non requiritur ille consensus, nisi quando *nulli alii regulares ibi reperiantur*. Unde quoties in civitate vel districtu, ubi erigendus est novus conventus, jam exstant alii regulares, necesse non est incolarum consensum requirere et adhibere. Item non requiritur dictus incolarum consensus, nisi in hypothesi quod novus conventus per ipsorum eleemosynas sustentandus sit, prout manifestum faciunt verba hæc, *an incolæ duodecim religiosos commode alere valeant*. Unde quoties novi conventus absque incolarum eleemosynis convenienter sustentari valent (quoties nempe fundantur cum sufficientibus redditibus), nequaquam necesse est intervenire incolarum consensum.

Tertio, parochi autem consensum nullibi et nullo in casu requirit decretum Gregorii XV. Non requirit illum consensum in proœmio, ubi commemorat verba Clementis VIII, haud nempe erigendos novos conventus, *nisi vocatis et auditis aliorum prioribus seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus*: nam ibi dicitur tantum esse *vocandos et audiendos;* non autem dicitur necessarium esse ipsorum *consensum*. Præterea jam supra probavimus, hisce vocibus *et aliis interesse habentibus*, non designari parochos, sed *cæteros religiosos* interesse haben-

Digitized by Google

tes, qui sub *priorum* et *procuratorum* denominatione non comprehenduntur.

Nec requiritur parochorum consensus in eo decreti loco, ubi occurrunt voces istæ, *ac tali erectioni consenserint*. Nam voces istæ referuntur ad personas in phrasi enumeratas. Porro in phrasi, neque sub proprio nomine, nec etiam sub denominatione *interesse habentium*, memorantur parochi. Dicitur nempe, *nisi aliorum conventuum priores seu procuratores erectioni consenserint;* et post verba *priores seu procuratores*, non additur *et parochi;* imo nec additur, *et alii interesse habentes*.

Ast, inquis, verba hæc *et alii interesse habentes* ibi subaudienda sunt. — Esto, subaudienda sint, quatenus designant *cæteros religiosos* interesse habentes, præter priores et procuratores. At nego esse subaudienda, quatenus comprehenderent parochos. Nam, ut supra ostendimus, harum constitutionum totus scopus et contextus in id intendit, ut jam existentium conventuum læsio devitetur, et novorum prosperitati consulatur ; ac ne verbo quidem exprimunt Pontifices, se agere de vitando sæcularium parochiarum detrimento. Hoc posterius juri communi (quo sufficienter de hoc provisum est ut mox videbitur) reliquerunt. Unde, ubi Gregorius XV consensum requirit *priorum seu procuratorum* aliorum conventuum, gratis et absone fingitur subaudiendum esse *et parochorum*.

Bene potuit Pontifex subaudiendo prætermittere voces illas *et aliis interesse habentibus*, quatenus designant cæteros prælatos regulares; quia nonnullis enumeratis, facile idem intelligebatur de cæteris religiosis, pro suis respective muniis, interesse habentibus. At vero si intendisset et parochos comprehendere, nequaquam id subaudiendum reliquisset, cum nullibi de vitando parochiarum detrimento expresse locutus antea fuerit. Atque id magis patefaciunt proxime subnexa verba, « vel alias Ordinariis locorum constiterit, religiosos con-« ventus erigendi *absque detrimento religiosorum in locis hujus-« modi degentium* ali posse. » Non dicitur *absque detrimento* alio-

Digitized by Google

rum *religiosorum, aut parochorum;* sed duntaxat *absque detrimento* aliorum *religiosorum*. Quod si fingas et ibi subaudiendum *aut parochorum*, volens tibi fucum facis.

Præterea, etiamsi concederetur (quod omnino falsum existimamus) ibi subaudiendas esse voces *et alii interesse habentes*, et his vocibus comprehendi parochos, non requireretur eorum consensus, nisi quando alias Ordinario non constat fieri posse erectionem absque parochialis ecclesiæ detrimento. Additur siquidem in eadem phrasi, *vel alias Ordinariis locorum constiterit* religiosos *conventus erigendi absque detrimento* aliorum *religiosorum* (fingamus subaudiendum esse *aut parochorum*) *commode ali posse*. Ergo si Episcopo satis constet, nullum redundare in parochum detrimentum, nullo egebit parochi consensu. Porro in praxi quasi semper Episcopo constare potest, an sequatur necne parochi aut parochiæ detrimentum; præsertim cum ipsi liberum sit de hoc quantum voluerit inquirere, et etiam parochum de hac re audire. Ergo in praxi poterit semper Episcopus parochi consensum prætermittere.

Ergo revera consensum parochi non requirit decretum Gregorii XV, aliunde nec Clementis VIII constitutio. Ergo decreta Pontificia circa novos erigendos conventus parochi consensum nequaquam requirunt.

PROBATIO III^a^. — *Ex evidente falsitate rationum, quibus nituntur canonistæ, necessarium parochi consensum existimantes.* — Non negamus nonnullos reperiri canonistas, qui necessarium illum consensum reputaverint. Præcipuus Pignatelli, qui rem ex professo probare conatus est. Cæteri fere, aut hujus argumenta reproducunt, aut nominant duntaxat antecessores aliquos huic opinioni adhærentes. Unde rationes, quibus opinio ista nititur, ad eas reduci posse videntur, quas deduxit Pignatellus.

Porro evidenter falsas esse hujusmodi rationes facile probari potest. Jam Pignatelli textum præcipua ex parte citavimus (superiore paragrapho, propositione 1). Duas ibi allegatas rationes perpendamus.

Digitized by Google

Prima ratio. — « Cum in nova ecclesia sepeliri debeant « fidelium corpora, ministrari sacramenta..., ex quibus po- « test generari præjudicium parocho, illius consensus ita est « necessarius, ut absque eo fundatio novi monasterii non « sustineatur. » (Tom. 1, consult. 179, n. 52.) Et postquam præter parochi consensum cætera etiam requisita enumeravit, sic concludit (ibidem. n. 72) : « Hæc omnia pro forma funda- « tionis novi conventus... servari debent, sine quibus li- « centia et fundatio sunt ipso jure nulla. »

Quæ Pignatelli ratiocinatio sic breviter exprimi potest : necessarius est consensus parochi, si novi conventus erectio ipsi damnum inferre possit ; atqui erectio hæc parocho damnum inferre potest ; ergo necessarius est parochi consensus. Quis porro non videat majorem hujus syllogismi falsam omnino esse? Ex eo quod novi conventus erectio possit in damnum parochi vergere, merito quidem arguitur jus parochi præjudicium illud repellendi. At illatum sibi damnum sufficienter repellere potest, appellando a decreto Episcopi, erectionem concedentis, et probando lædi jura sua per ejusmodi erectionem ; et revera, si hoc probet, S. Congregatio licentiam ab Episcopo datam annullabit. Minime autem necesse est, ut nequeat Episcopus licentiam concedere ante obtentum parochi consensum ; quia licet possit Episcopus licentiam hanc absque parochi consensu valide concedere, adhuc potest parochus jura sua tueri, casu quo per ejusmodi licentiam vere læderentur. Unde sic aperte falsum ostendi potest Pignatelli ratiocinium : ideo duntaxat necessarius prætenditur parochi consensus, ut possit tueri jura sua ; sed jura sua bene tueri potest, etiamsi prævius ipsius consensus non requiratur : ergo ex dicta ratione perperam concluditur necessarium esse prævium parochi consensum, et irritam ipso facto esse Episcopi licentiam ante hunc consensum datam.

Quam absona sit dicta Pignatelli ratiocinatio perspici etiam potest, eam applicando casui dismembrationis parochiæ. Profecto contingere potest ut, per episcopale dismembrationis

Digitized by Google

decretum, injustum parocho damnum inferatur. Ergo, si valeret ratio Pignatelli, prærequireretur etiam, pro dismembranda parochia, consensus parochi. Et tamen certum est, minime requiri consensum illum, prout tanquam indubitatum tradunt omnes (non excepto Pignatello) doctores. Potest duntaxat parochus appellare a decreto dismembrationis; sed stat decretum illud, quandiu per superius tribunal annullatum non fuerit.

Secunda ratio.—Illam desumit Pignatellus ex sæpe memoratis Clementis VIII verbis, *et aliis interesse habentibus*: « Quod « autem (inquit) a constitutionibus non exigatur consensus « parochi sive capituli, falsum est. » Et postquam citavit Clementis VIII constitutionem, subjungit : « certum quippe « est verbis illis, *et aliis interesse habentibus*, parochum, sive « capitulum collegiatæ vel cathedralis, intelligendum esse. » (Tom. 1, consult. 179, n. 68.) In hisce tam validis assertionibus evidenter erravit Pignatellus, et quidem dupliciter : 1° Sub his verbis *et aliis interesse habentibus* comprehendi parochum, nequaquam est *certum*, ut asserit præfatus auctor, sed *controversum*; prout supra probavimus. 2° Erravit insuper, consensus parochi necessitatem arguendo ex Clementis VIII constitutione. Quid enim hac constitutione decernitur? « Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos conven- « tus erigendos impertiri, *nisi vocatis et auditis conventuum « prioribus seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus.* » Demus, sub ultimis verbis comprehendi parochos. Quid concludi posset? Hoc solum : *vocandos et audiendos* etiam parochos. At Pignatellus infert necessarium parochi *consensum*. Unde ipsius ratiocinatio huic æquivalet : *Vi Clementinæ constitutionis vocandi et audiendi sunt etiam parochi; ergo necessarius est ipsorum consensus*. In quo ratiocinio adeo evidens est *consequentis* falsitas, ut mirum sit ab erudito canonista perspectam eam non fuisse. Ex eo quod quis prævio *vocandus* et *audiendus* sit, nequaquam sequitur requiri ipsius *consensum*. Potest nempe lex ecclesiastica pro valore actus requirere præ-

Digitized by Google

viam aliquorum citationem, et eorumdem consensum nequaquam exigere. Atque ita de facto jus disposuit quoad plures materias, prout noto notius est. Tenetur, verbi gratia, Episcopus canonicos in nonnullis audire, seu consilium ipsorum requirere; et simul validum est ipsius decretum, dissentiente capitulo editum. Pariter in dismembranda parochia, tenetur Episcopus parochum citare et ipsius sententiam audire: at valet dismembrationis decretum, dissentiente parocho. Unde revera duæ memoratæ Pignatelli rationes vim nullam habent.

Adducit præterea Rotæ auctoritatem: sed neque id vim habet: cum pro et contra, in hac materia, hujus tribunalis decisiones occurrant, prout supra vidimus. Adde a Pignatello adduci nonnulla Rotæ dicta, quæ ad rem non faciunt.

Jam vero præter modo confutatas Pignatelli rationes, haud potui apud cæteros canonistas ullas alias alicujus momenti reperire, in gratiam opinionis, necessarium parochi consensum asserentis. Ut adeo a rejicienda illa opinione, tanquam prorsus falsa, deterrere non debeat aliquot canonistarum illam sustinentium auctoritas.

§ III.

Quænam sint damna seu præjudicia, ob quæ potest parochus novi conventus erectioni sese opponere.

Prænotanda. — Hactenus probatum est, necessarium non esse ut consentiat parochus; imo neque ut ab Episcopo vocetur et audiatur.

An vero nihilominus sese opponere valeat parochus, ratione præjudicii seu detrimenti, quod ipsi per novam fundationem inferretur, hic nunc expendendum venit.

Et *primo* quidem, dari *aliqua* saltem præjudicia, ob quæ sese opponere et appellare possit parochus, omnino certum est, et ab omnibus admissum; neque in hoc est difficultas. At *secundo*, ubi devenitur ad quæstionem, *quænam* sint præjudicia illa, quibus emergentibus, a novi conventus erectione absti-

Digitized by Google

decretum, injustum parocho damnum inferatur. Ergo, si valeret ratio Pignatelli, prærequireretur etiam, pro dismembranda parochia, consensus parochi. Et tamen certum est, minime requiri consensum illum, prout tanquam indubitatum tradunt omnes (non excepto Pignatello) doctores. Potest duntaxat parochus appellare a decreto dismembrationis ; sed stat decretum illud, quandiu per superius tribunal annullatum non fuerit.

Secunda ratio.—Illam desumit Pignatellus ex sæpe memoratis Clementis VIII verbis, *et aliis interesse habentibus* : « Quod « autem (inquit) a constitutionibus non exigatur consensus « parochi sive capituli, falsum est. » Et postquam citavit Clementis VIII constitutionem, subjungit : « certum quippe « est verbis illis, *et aliis interesse habentibus*, parochum, sive « capitulum collegiatæ vel cathedralis, intelligendum esse. » (Tom. 1, consult. 179, n. 68.) In hisce tam validis assertionibus evidenter erravit Pignatellus, et quidem dupliciter : 1° Sub his verbis *et aliis interesse habentibus* comprehendi parochum, nequaquam est *certum*, ut asserit præfatus auctor, sed *controversum* ; prout supra probavimus. 2° Erravit insuper, consensus parochi necessitatem arguendo ex Clementis VIII constitutione. Quid enim hac constitutione decernitur ? « Locorum Ordinarios non posse licentiam ad novos conven- « tus erigendos impertiri, *nisi vocatis et auditis conventuum « prioribus seu procuratoribus, et aliis interesse habentibus.* » Demus, sub ultimis verbis comprehendi parochos. Quid concludi posset? Hoc solum : *vocandos et audiendos* etiam parochos. At Pignatellus infert necessarium parochi *consensum*. Unde ipsius ratiocinatio huic æquivalet : *Vi Clementinæ constitutionis vocandi et audiendi sunt etiam parochi ; ergo necessarius est ipsorum consensus*. In quo ratiocinio adeo evidens est *consequentis* falsitas, ut mirum sit ab erudito canonista perspectam eam non fuisse. Ex eo quod quis prævio *vocandus* et *audiendus* sit, nequaquam sequitur requiri ipsius *consensum*. Potest nempe lex ecclesiastica pro valore actus requirere præ-

Digitized by Google

viam aliquorum citationem, et eorumdem consensum nequaquam exigere. Atque ita de facto jus disposuit quoad plures materias, prout noto notius est. Tenetur, verbi gratia, Episcopus canonicos in nonnullis audire, seu consilium ipsorum requirere; et simul validum est ipsius decretum, dissentiente capitulo editum. Pariter in dismembranda parochia, tenetur Episcopus parochum citare et ipsius sententiam audire: at valet dismembrationis decretum, dissentiente parocho. Unde revera duæ memoratæ Pignatelli rationes vim nullam habent.

Adducit præterea Rotæ auctoritatem: sed neque id vim habet: cum pro et contra, in hac materia, hujus tribunalis decisiones occurrant, prout supra vidimus. Adde a Pignatello adduci nonnulla Rotæ dicta, quæ ad rem non faciunt.

Jam vero præter modo confutatas Pignatelli rationes, haud potui apud cæteros canonistas ullas alias alicujus momenti reperire, in gratiam opinionis, necessarium parochi consensum asserentis. Ut adeo a rejicienda illa opinione, tanquam prorsus falsa, deterrere non debeat aliquot canonistarum illam sustinentium auctoritas.

§ III.

Quænam sint damna seu præjudicia, ob quæ potest parochus novi conventus erectioni sese opponere.

Prænotanda. — Hactenus probatum est, necessarium non esse ut consentiat parochus; imo neque ut ab Episcopo vocetur et audiatur.

An vero nihilominus sese opponere valeat parochus, ratione præjudicii seu detrimenti, quod ipsi per novam fundationem inferretur, hic nunc expendendum venit.

Et *primo* quidem, dari *aliqua* saltem præjudicia, ob quæ sese opponere et appellare possit parochus, omnino certum est, et ab omnibus admissum; neque in hoc est difficultas. At *secundo*, ubi devenitur ad quæstionem, *quænam* sint præjudicia illa, quibus emergentibus, a novi conventus erectione absti-

Digitized by Google

nendum sit, haud adeo plana res est, nec unus omnium loquendi modus.

Cujus difficultatis solutioni ut viam sternamus, distinguenda omnino visa est duplex *præjudiciorum* species, nimirum : præjudicium *stricte sumptum*, quo quis privatur commodo, ad quod *jus habebat :* et præjudicium *improprie dictum*,quo quis privatur quidem commodo aliquo, sed ad quod *jus non habebat*. De quo ut exemplum a rebus infimis desumamus, utramque præjudicii speciem perpendamus relate ad mercatorem, in aliqua civitatis via genus aliquod negotiationis exercentem. Si quis merces ejus furetur aut incendat, præjudicium *proprie dictum* ipsi infert ; quia *jus* ipsius lædit. At vero si quis in eadem civitatis via sese constituens, eamdem mercaturam exerceat, ita ut prior ibi existens mercator jam minus lucretur, *improprie dictum* duntaxat præjudicium ei infertur, quia *jus* non habebat ut solus ibi mercaturam hanc exerceret. Hinc relative etiam ad parochum distingui possunt præjudicia proprie dicta, seu *jurium parochialium læsiva,* et præjudicia improprie dicta, seu *jurium parochialium non læsiva*. His prænonatis, sit,

QUÆSTIO I^a^. — *Quænam sint parochialia jura?* — « Enumerat « autem jura parochialia præ cæteris Abbas (*in Rubri. de pa- « rochiis,* n. 2), ubi docet parochiale jus consistere, 1° in eo « ut parochiani diebus festis de præcepto audiant missam in « parochiali ecclesia (cap. 2, *de parochiis*) ; quamquam id « hodie consilium potius quam præceptum videatur : 2° ut « parochiani recipiant sacramenta a parocho (cap. *nullus de « parochiis*) ; quod hodie reducitur ad Eucharistiam in Paschate « et in morte, ad extremam unctionem, et matrimonium : « 3° ut sepeliantur fideles in sua parochia, nisi habuerint se- « pulchrum majorum, aut in alia ecclesia elegerint sepultu- « ram ; quibus in casibus reservantur parocho juxta consti- « tutiones ac consuetudines diœceseum quædam emolumenta « parochialia : 4° ut ecclesiæ parochiali solvantur decimæ et « oblationes, juxta tamen consuetudinem uniuscujusque diœ- « cesis. » (De Bonis, *de Oratoriis publicis*, cap. 10, n. 176.)

Digitized by Google

Non aliter intellecta et enumerata jura parochialia reperies apud Giraldum, apud Rotam, et Lucium Ferraris (vide hac de re dicta in meo tractatu *de Parocho*).

Hinc inferendum venit, dari nonnulla, quæ, licet parocho vel parochiali ecclesiæ proficua, non tamen parochialibus juribus accensenda sunt. Tales sunt, verbi gratia, fidelium oblationes spontaneæ, id est, quæ parocho *ex justitia* non debentur, sed ex mera liberalitate ipsi erogantur. Harum imminutio verum parocho præjudicium infert: nullatenus tamen hac imminutione læditur jus ipsius parochiale, cum (ex hypothesi) jus in eas oblationes non habeat. Item magnus populi concursus ad audiendum in parochiali ecclesia sacrum, eidem ecclesiæ non parum proficuus est. Major siquidem tunc ex sedilium locatione redditus. Si tamen populus magna ex parte ad alias ecclesias divertat, nullum parochiale jus læditur; quia fidelibus liberum est alibi quam in parochiali ecclesia sacri audiendi præcepto satisfacere. Item parocho et parochiali ecclesiæ proficuum est, quod fideles non in alia quam in parochiali ecclesia sepulturam plerumque eligant. A quo more si recedant fideles, et in nova aliqua ecclesia sepeliri procurent, verum inde exurget parochi et parochialis ecclesiæ detrimentum: at nullum violabitur parochiale jus; quia jus habent fideles alibi quam in parochiali ecclesia sepulturam sibi eligere. Item in honorem parochi cedit, ac proinde in aliquam ipsius utilatem, quod plurium parochianorum confessiones audiat. Si tamen, ipso relicto, alios pro sacramento pœnitentiæ presbyteros parochiani adeant, nullum lædunt parochiale jus; quia parocho suo confiteri non tenentur.

Quæstio II^a^. — *An possit parochus novi conventus erectioni sese opponere, ob præjudicia jurium parochialium læsiva?* — Supponimus licentiam Pontificiam, quam regulares pro nova fundatione obtinuissent, dictis parochialibus juribus *expresse* non derogare. Si enim jura aliqua parochiæ *expresse* supprimeret Papa, nulla foret difficultas. At quando jus tertii expresse non tollit sedes Apostolica, jus illud intactum relinquere censenda

Digitized by Google

est. Unde quæstio tantum esse potest de Episcopo; an nempe ita valeat novi conventus erectionem permittere, seu decernere, ut sequatur læsio *parochialium jurium*? Respondeo: *quoties nova conventus erectio lædit aliquod e supra enumeratis juribus parochialibus, potest parochus sese opponere, et appellationem ab episcopali concessione interjicere.* Estque doctrina hæc unanimiter recepta, atque omnino tenenda. Potest autem sic breviter probari: nequit Episcopus contra jus commune seu contra universales Ecclesiæ leges statuere. Porro jure communi sancitum est, ne nova exstruatur (sive regularis sive sæcularis) ecclesia, cum præjudicio alterius. Sic enim habetur capite *intellexímus* (1, tituli 32 *de novi operis nuntiatione*): *Nulla ecclesia in præjudicium est alterius construenda.* Hoc capite, aliisque nonnullis textibus innixi doctores, unanimiter tradunt præservanda esse parochi seu parochialis ecclesiæ jura, dum intra ipsius territorium aliquis novus conventus erigitur. Unum aut alterum adducamus: « In concedenda « hujusmodi licentia debet Episcopus maxime attendere, si « monasterium aut alterius cujuscunque erectio præjudicet « quoquomodo ecclesiæ parochiali: eo namque casu assentiri « minime debet; et curato licet contradicere, audiendusque « est in sua prætensione. » (Barbosa, de *Officio Episcopi*, parte 2, alleg. 26, n. 5.) « In concedenda ejusmodi licentia « debet animadvertere ne præjudicetur aliis ecclesiis (capite « *ecclesiæ*, et capite *quicunque*, 16, q. 1), præsertim vero pa- « rochiali: eo namque casu licet curato contradicere, et ædi- « ficationem impedire. » (Paxjordanus, *Elucubrat. divers.*, lib. 5, tit. 8, n. 39.) « Adverte in casu quo nova ecclesia ir- « rogat præjudicium parochiæ, tunc potest rector parochialis « comparere adversus novam constructionem, et est audien- « dus. » (Laurentius de Nicollis, *Praxis canonica*, tom. 1, lit. E, § 1, n. 7.) Notet lector, hisce juris textibus et doctorum sententiis, parocho tribui jus sese opponendi, si nova erectio parochiali ecclesiæ *præjudicium* inferat. Porro vox illa *præjudicium* in iis textibus intelligenda *saltem* est de præjudicio

Digitized by Google

stricte dicto, seu jurium parochialium læsivo. Dicimus *saltem* etc.; quia, num etiam intelligenda sit de præjudiciis improprie dictis, seu jurium parochialium non læsivis, sequenti quæstione expenditur.

QUÆSTIO III ª. — *An possit parochus novi conventus erectioni sese opponere, etiam ob præjudicia parochialium jurium non læsiva?* — Veram nunc et omnino practicam difficultatem attingimus. Nam quod per novi conventus erectionem lædantur *jura parochialia*, est casus fere chimericus. Siquidem ex eo quod regularium domus alicubi fundetur, nequaquam sequitur ad parochum non pertinere viatici, extremæ unctionis, matrimoniique ministrationem, et divinæ Eucharistiæ in Paschate porrectionem. Item illæsum remanet jus parochi ad decimas, et ad oblationes ex justitia ipsi debitas. Item in parochiali ecclesia adhuc de jure sepeliendi sunt parochiani, qui sepulcrum majorum non habent, nec alibi sepulturam elegerunt. In his consistunt jura parochialia (ut dictum est supra, quæst. 1); et nullum ex his ob novi conventus erectionem immutatur, aut in discrimen adducitur. Unde tunc solummodo appellare posset parochus *ob læsa jura parochialia*, quando Episcopus aliquod ex istis juribus ad novum monasterium decreto suo transferret; vel quando novi monasterii ædes, ob vicinitatem nimiam, aliave de causa, parochiæ ædibus aut fundo nocumentum inferrent, vel parochiales functiones perturbarent. Erit autem is casus, ut patet, rarissimus.

Atvero quod per novi conventus erectionem parocho et parochiali ecclesiæ inferantur *præjudicia improprie dicta*, seu jurium parochialium non læsiva, casus est frequentissimus. Imo vix ullibi fundari potest regularium (sacro præsertim exercendo ministerio addictorum) ecclesia et domus, quin ejusmodi præjudicia, plus minusve notabilia, consequantur. Ex quo enim exstabit, intra parochiæ territorium, aliqua Dominicanorum, Franciscanorum, aliorumve similium, domus cum adjuncta ecclesia sua, ecclesiam hanc fideles frequenter adibunt, ibique missam et sacras conciones audient: proinde

Digitized by Google

minor erit in parochiali ecclesia populi concursus; et sic minuetur ex sedilium locatione proveniens redditus. Item ex iis oblationibus, quæ ex justitia parocho non debentur, et quæ solebant eidem parocho, aliisve loci sæcularibus clericis erogari, haud paucæ ad regulares transferentur. Item in novi conventus ecclesia multi sepulturam eligent, qui, non existente illo conventu, in parochiali ecclesia sepulturam habuissent. Hæc, inquam, merito eventura supponuntur, quando novus conventus alicubi constituitur. Hinc si ob ejusmodi præjudicia sese legitime opponere possit parochus, vix ulla erit novi conventus erectio cui obstare non valeat. Consequenter, non ab Episcopis aut a sede Apostolica, sed a parochis tota fere pendebit ordinum religiosorum per varias diœceses existentia et propagatio. Id prænotamus, ut advertat lector quanti momenti et quam practica sit proposita quæstio.

Solvenda autem videtur in hunc modum : *Regulariter loquendo, neque ob secuturam imminutionem concursus populi in parochiali ecclesia, neque ob imminutionem oblationum spontanearum parocho obvenientium, neque ob alia ejusmodi præjudicia parochialium jurium non læsiva, jus habet parochus novi conventus fundationem impediendi.*

Probatio I^a^. — Ex eo quod sæculares ecclesiæ seu oratoria publica erigi valeant, quamvis parochus dicta præjudicia opponat. — Etenim 1° quod frustra parochus, ad impediendam intra parochiæ suæ fines alicujus sæcularis ecclesiæ aut oratorii publici constructionem, præfata præjudicia opponat, omnino certum est. Ad quod patefaciendum sat erit ea subjicere, quæ hac de re deducta fuerunt, in causa *Sarsitanensi* 19 decembris 1772 (*Thesaurus resol.*, t. 41, p. 303) : « Plu« ries, tam in ista S. Congregatione, quam in altera Episco« porum et regularium, actum est de constructione publici « oratorii. Non obstante parochi oppositione, eadem S. Con« gregatio Episcoporum et regularium facultatem concessit « ædificandi novum oratorium, in *Januensi* 5 septembris « 1692, *salvis tamen juribus parochialibus*. Similiter in *Nucerina*

Digitized by Google

« obstiterat parochus, non solum ob timorem deficientiæ « eleemosynarum, sed etiam ne populi frequentia imminue- « retur, ac interponeretur difficultas explicationi cathechesis, « sacrisque supplicationibus. Cum tamen Episcopus in actu « visitationis facultatem impertitus fuisset construendi orato- « rium, nonnullis adjectis conditionibus, et *sine præjudicio* « *jurium parochialium*, re delata ad eamdem S. Congre- « gationem die 12 martii 1693, rescriptum prodiit : *Serventur* « *disposita per Episcopum*. Eademque fuit pro constructione « oratorii sententia in *Placentina* 20 maii 1697, licet parochus « et Episcopus dissentirent.

« Sacra autem hæc Congregatio, nulla de parochi dissensu « habita ratione, licentiam ædificandi oratorium concessit in « *Maceratensi* 10 mai 1687, cum obligatione congruæ dotis, « et *salvis juribus parochialibus*. Item in *Theatina* 29 julii 1690, « quamvis Archiepiscopus dissentiret, ne villici propriam pa- « rochiam desererent. Ac demum in *Foroliviensi* 16 januarii « 1694, in qua parochus ob proximitatem ecclesiæ paro- « chialis contradixerat.

« Ex his arguit Monacellus (*Formularium*, tit. 6, form. 10, « n. 15) despiciendum esse præjudicium parochiis obven- « turum ex imminutione concursus et eleemosynarum, cum « ex præscripto concilii Tridentini (sess. 24, c. 4 *de ref.*) hor- « tandi quidem, non tamen cogendi sint fideles ad parochia- « lem ecclesiam diebus festis adeundam. »

In alia autem causa, anno 1840, sic adnotabatur : « Nihi- « lominus explicant doctores, etiam dissentientibus parocho « et Antistite, posse interdum ad construendas ecclesias vel « oratoria publica deveniri. Cum enim nullum aliud jus com- « petat parocho, quam tuendi jura sua parochialia, his præ- « servatis, nullum ipsius consensum requiri firmatur per Car- « dinalem Petra (ad Const. Paschalis II, sect 1, n. 16 et seq., « tom. 1); et colligitur ex textu in canone *quicunque*, 16, q. 1. « Episcopus vero, quoniam justis et rationabilibus concur- « rentibus causis assensum suum denegare non potest, jam

Digitized by Google

« si illum irrationabiliter neget, appellari poterit ad judicem;
« qui vel ædificandi facultatem concedat, vel Episcopum
« compellat ut præstet ædificationi consensum... Nec discre-
« pant sacri hujus ordinis resolutiones. » (In *Cæsenatensi*,
« 6 junii 1840, § *nihilominus*, *Thesaurus resol.*, tom. 100.)

Ex his patet quid prætendere possit parochus circa sæculares ecclesias seu oratoria publica, intra fines parochiæ ædificanda : potest nempe exigere ut præserventur ipsius *jura parochialia* : At nequaquam potest oratorii publici extructionem impedire, ex eo quod imminutio concursus populi in parochiali ecclesia, et oblationum sibi ex mera parochianorum liberalitate obvenientium, aliave similia præjudicia, jurium parochialium haud læsiva, secutura sint.

2° Inde autem merito infertur, nec posse parochum novi conventus erectioni obstare, ob secutura hæc eadem præjudicia, jurium parochialium non læsiva. Ideo enim non omittitur oratorii publici seu novæ ecclesiæ sæcularis extructio, quamvis dicta parochi præjudicia secutura sint, quia præ magno ex ecclesiarum multiplicatione exurgente spirituali bono, despicienda existimantur præjudicia illa parochi, jurium ipsius non læsiva. Sed multo majus animarum bonum (regulariter loquendo) ex novi conventus et ecclesiæ regularium erectione oritur, quam ex sæcularis oratorii fundatione. Ergo a fortiori nequibit parochus, prætextu dictorum præjudiciorum, novi conventus erectionem præpedire.

Objicies. — Quamvis parochus ob dicta præjudicia nequeat publici oratorii erectionem impedire, poterit nihilominus obstare ne regulares conventum intra ipsius parochiæ fines sibi constituant, si hoc ei jus tribuat : atqui juris textus id ei vindicant : ergo. — *Respondeo* : nego minorem. Nullus enim adduci potest juris textus quo decernatur, posse parochum novi conventus erectioni sese opponere, ob prædicta præjudicia ; prout patebit ex sequenti probatione.

PROBATIO II^a^. — Ex eo quod dicta parochorum prætensio nullo juris textu fulciri valeat, — 1° perperam provocaretur

Digitized by Google

ad Apostolicas constitutiones Clementis VIII, Gregorii XV et Urbani VIII, quæ de novorum conventuum erectione varia decreverunt. Nam ibi quidem statuitur, ne novi regulares introducantur, nisi absque aliorum jam ibi existentium *præjudicio* commode ali valeant : sed de præcavendo parochi aut parochialis ecclesiæ præjudicio, nihil in iis constitutionibus disponitur ; prout duobus superioribus paragraphis ostendimus. Nimirum dicti Pontifices, quoad præcavendum parochi præjudicium, nil novi statuerunt, sed jus antea vigens prout erat reliquerunt. At

2° Neque alii juris textus parocho tribuunt, ut sese novi conventus erectioni opponere valeat, ob dicta præjudicia parochialium jurium non læsiva. Nullus enim ex istis textibus exclusive agit de novi conventus seu ecclesiæ regularis erectione. Sed generatim decernunt exstruendas non esse novas ecclesias (sive regulares sive sæculares) cum aliarum jam existentium præjudicio. Præcipuus ex istis textibus est caput *intelleximus* (1, tituli 32 *de novi operis nuntiatione*), in quo sic decernitur : *Nulla ecclesia in præjudicium est alterius construenda.* Dum dicitur *nulla ecclesia,* intelligendum est tam de sæcularibus quam de regularibus. Unde jus ibi statutum quoad novæ ecclesiæ regularis erectionem, idem omnino est quod de construenda sæculari ecclesia seu oratorio publico. Sed, ex præcedenti probatione, certum est construi posse novam ecclesiam sæcularem seu oratorium publicum, quamvis sequatur imminutio concursus populi in parochiali ecclesia, necnon imminutio oblationum parochi, et alia ejusmodi præjudicia parochialium jurium non læsiva ; ergo dum dicitur, in citato textu, in *præjudicium alterius*, voces illæ intelligendæ sunt de præjudicio stricte sumpto, id est, *jurium* alterius ecclesiæ læsivo.

Hæc autem interpretatio capitis *intelleximus*, aliis etiam ejusmodi textibus ad rem facientibus applicanda venit. Dum enim disponunt exstruendam non esse ecclesiam cum aliarum præjudicio, id æque decernunt quoad sæculares et regulares ecclesias.

Probatio III^a^. — Ex absurdis quæ alias sequerentur. —

Digitized by Google

Quando enim sedes Apostolica religiosum aliquem ordinem approbat, utique illum approbat quatenus domos et conventus juxta proprii instituti normam fundaturum. Cum nempe illi religiosi debeant communiter vivere, neque vivere valeant sub dio, nec in aere, nec sub terra, necesse prorsus est, ut sicut alii homines collegialiter degentes, ædes seu conventus habeant. Imo approbantur quatenus ecclesias seu oratoria publica habituri, quando de iis sunt, qui ex instituto sacra ministerii munia exercere debent. Jam vero conventum cum ecclesia publica nullibi habere possunt, quin hoc ipso immineant loci illius parocho præjudicia de quibus loquimur. Cum nempe fidelibus liberum sit in quocunque publico oratorio audiendi sacri præcepto satisfacere, multi regularium ecclesiam adibunt, et sic minor erit in parochiali ecclesia concursus. Item facile continget ut aliquid de liberis oblationibus quæ parocho fieri solebant, ad conventum transferatur. Ergo si valeant parochi, ob ista præjudicia, jurium parochialium non læsiva, conventuum fundationes impedire, etiam impedire poterunt ne propagentur, imo ne ullibi fere existant ejusmodi religiosi ordines. Ergo poterunt parochi inanem reddere quamlibet sedis Apostolicæ ejusmodi ordinum approbationem ; seu, quod idem est, poterunt impedire ne existant et propagentur religiosi ordines, quos Ecclesia vult existere et propagari. Quod quam absonum sit, nemo non videt.

Nec objiciatur, dispositum a Tridentina synodo fuisse, ut novorum conventuum erectio a licentia Ordinariorum dependeret ; et tamen id non impedire quin sufficienter religiosi ordines propagentur. Nam Episcopi licentiam illam denegare nequeunt, nisi ex justa causa ; et causa hæc non semper, imo raro adest. At vero si parochi legitime valeant novæ fundationi obstare, ob secuturam imminutionem concursus populi in parochiali ecclesia, aliaque ejusmodi præjudicia, *semper* obstandi causam justam habebunt ; nec proinde poterit ullus Dominicanorum, Franciscanorum, Jesuitarum, aliorumque activæ aut mixtæ vitæ addictorum regularium con-

Digitized by Google

ventus ullibi inchoari. Cum enim unaquæque diœcesis in parochias sit distributa, ubicunque volent regulares illi conventum erigere, statim aderit loci parochus, oppositionem interponens, et dicta præjudicia (quæ revera ex novi conventus fundatione necessario consequentur) obtendens.

PROBATIO IV^a. — (Remissive)—Ex praxi sacrarum congregationum. — Argumentum illud, quod præcipuum et omnino peremptorium foret, cogor ad alium tractatum remittere, quia in præsentiarum opportuna documenta præ manibus non habeo. *Thesauri* resolutionum S. Congregationis Concilii volumina pervolvi, ut causam aliquam invenirem, in qua ageretur de parocho novi conventus erectioni, dictorum præjudiciorum prætextu, sese opponente. Sed nec pro nec contra quidquam inveni. Nec mirum : ejusmodi enim causæ, non S. Congregationi Concilii, sed alteri, Episcoporum et regularium negotiis præpositæ, committuntur. Hujus autem posterioris S. Congregationis decisiones non fuerunt editæ. Haud dubito quin in ipsius archiviis multa de præsenti quæstione reperiantur. Autumo nempe multoties ab Eminentissimis hujus S. Congregationis Patribus decisum, posse ad novi conventus erectionem procedi, non obstantibus parochi, dicta præjudicia obtendentis, reclamationibus ; id est non obstante quod ex novi conventus erectione secutura sit imminutio concursus populi in parochiali ecclesia, et imminutio oblationum quæ libere parocho fieri solebant, et alia similia præjudicia, quibus jura parochialia stricte dicta non læduntur.

Confirmatio. — Ex eo quod a remota antiquitate ita jus hac de re intellectum fuerit. — Anno 655 concilium Toletanum nonum, moderare volens nimiam Episcoporum in fundandis novis monasteriis liberalitatem et zelum, sic decernebat : « Quisquis itaque Episcoporum in parochia sua monasterium « construere forte voluerit, et hoc ex rebus Ecclesiæ, cui « præsidet, ditare decreverit, non amplius ibidem quam et « quinquagesimam partem dare debebit; ut, hac tempera- « menti æquitate servata, et cui tribuit, competens subsidium

Digitized by Google

« conferat, et cui tollit, damna gravia non infligat. Ecclesia « vero quæ monasticis non informabitur regulis, aut quam « pro suis munificare voluerit sepulturis, non amplius quam « centesimam partem census Ecclesiæ cui præsidet, ibidem « conferre licebit; ea tamen cautela servata, ut tantummodo « quæ placuerit, ex his duabus remunerandam assumat. » (Pueyo, collectio conciliorum Hispaniæ, pag. 479). Ibi permittitur novi conventus erectio, cum ecclesiæ cathedralis præjudicio. Et notetur permitti alienationem quinquagesimæ partis bonorum pro monasterii fundatione : pro fundatione autem ecclesiæ sæcularis, centesimæ tantum.

Capitulare Caroli Magni, editum ad Salz, anno 804, sic disponebat : « Quicunque voluerit in sua proprietate ecclesiam « ædificare, una cum consensu Episcopi in cujus parochia « fuerit, licentiam habeat. Verumtamen omnino providen- « dum est ut aliæ ecclesiæ antiquiores propter hanc occa- « sionem ullatenus suam *justitiam* aut *decimam* non perdant, « sed semper ad antiquiores ecclesias persolvantur. » (Apud Gratianum, can. 44, causæ 16. q. 1, sub nomine concilii Wormatiensis.) Ergo tunc temporis liberum erat cuique, cum Episcopi consensu, ecclesias sive regulares sive sæculares exstruere, modo aliis loci ecclesiis non subtraheret *decimas* et *justitiam*. Dicebatur autem *justitia* « jus quod alicui in re « quavis competit sive in ejus redditibus, » ut ait Ducange (Glossarium mediæ et infimæ latinitatis, voce *justitia*). Non ergo obstabat secutura imminutio concursus populi, in aliis quibuslibet ecclesiis, aut imminutio in oblationibus quæ libere aliarum ecclesiarum rectoribus fieri solebant. Sed præservabatur duntaxat jam existentibus loci ecclesiis *decimarum* solutio, et jus in possessiones suas, et debitos ipsis redditus.

Equidem quando sancti Dominici et sancti Francisci ordines, multiplicatis eorum conventibus, mirifice propagari cœperunt, exortæ sunt sæcularium clericorum querelæ, de allato sibi in re temporali præjudicio. Sic enim exprobrabant, teste sancto Bonaventura : *surripitis clericis eleemosynas, quæ*

Digitized by Google

ipsis darentur, si vos non essetis. At reponebat Seraphicus Doctor (*Libellus Apologeticus....* tom. 5 operum, pag. 700, edit. Venet. 1754) :

« Omnia quæ ipsis jure debentur in oblationibus, decimis « et aliis, vel de approbata eis consuetudine dari solent a « populo, nos potius suademus eis dari, quam impediamus; « imo hortamur populum eis ista non subtrahere, nec in alios « pios usus erogare, et jus suum cuique tribuere, etiam pec- « catori. Si autem quandoque quærunt consilium ubi secun- « dum Deum melius sit dare eleemosynam ad quam non te- « nentur ex debito, dicimus libere quod ibi sit melius ubi « major est indigentia vel major Dei honor exhibetur, et ipsis « dantibus exinde efficaciora orationum suffragia provenire « creduntur, vel quo ipsorum devotio ad benefaciendum pro « Deo ferventius inclinatur. » Cui responsioni addere juvat aliam, qua idem sanctus Ecclesiæ Doctor sequentes convellit criminationes Fratribus Minoribus objectas : « Cum nulli de- « beretis facere injuriam vel damnum inferre, hoc non ser- « vatis : quia sæpe contra voluntatem plebanorum recipitis « domos in eorum parochiis; unde eis multum perit de obla- « tionibus et aliis proventibus, dum vos occupatis loca in « quibus alii habitarent qui eis ista persolverent. Item sæpe « sine licentia Episcoporum intratis eorum diœceses. Ali- « quando, inconsultis dominis terræ vel civitatis, domos re- « cipitis in eisdem. » Ad has igitur querelas quid Sanctus? « Non omnia, inquit (1), quæ fiunt contra voluntatem ali- « cujus, ad injuriam ejus fiunt. Cum ergo cives alicujus « oppidi nos vocant, et locant nos apud se in tali loco ubi « etiam possent Judæos locare, vel aream pro ludis facere, « vel horrea seu stabula, de quibus nihil proveniret plebano « loci, etiam si nos ibi non essemus, non facimus eis inju- « riam ullo modo. Sumus etiam non deterioris conditionis « quam alii Christiani vel religiosi, quibus conceditur domos

(1) Loco citato, pag. 710 et 711.

Digitized by Google

« recipere et loca, ubicunque dantur ab eis qui habent jus « liberum dandi eis; maxime cum per sedem Apostolicam sit « Ordo noster approbatus, et in subsidium animarum in Ec- « clesia destinatus, et hoc bonum per aliorum malitiam non « debeat impediri. Si enim nunquam deberemus morari nisi « de voluntate clericorum, vix unquam in Ecclesia possemus « diu morari; dum per se, aut incitati per alios, ejicerent nos « de parochiis suis potius quam hæreticos vel Judæos. Epi- « scopis etiam nullam facimus injuriam, cum non gravemus « eos in aliquo, sed juvemus prædicando et consulendo « eorum subditis ut devotius obediant, et onus regiminis « eorum tanto portabilius fiat eis, de quo in judicio extremo « oportet eos reddere rationem. Si autem movet eos quod « sumus exempti a jurisdictione ipsorum quoad nos ipsos, « tunc e converso consolentur quod liberiores sunt, quod pro « nobis non tenentur reddere rationem; ut de nostra gu- « bernatione carent honore, ita sint liberi a sollicitudine et « labore, excepta providentia pietatis et inter nos in suæ pacis « unitate servanda. Domino etiam terræ vel villæ non fa- « cimus injuriam, si eo inconsulto quandoque vocati a civibus, « mansionem recipimus in villa, ubi liberum esset eis (si vel- « lent) theatrum facere vel locare Judæos vel locum relin- « quere vacuum; quia de ipsius fundi possessione nil ei sub- « trahimus, nec aliquid proprietatis nobis de illo vindicamus; « maxime cum cives amore nostræ commorationis ibidem « domino refundant aliunde, si quid forte de area nostra de- « beret annuos census percipere, si nolit pro Deo carere. « Nam, si etiam contingeret nos post hæc a loco penitus dis- « cedere, nec venderemus aream, nec alicui partem tradere- « mus; sed, sicut concessum est nobis, eis ad quos pertinet « dominium relinqueremus. Ipsum quoque oratorium no- « strum non fit parochiali ecclesiæ præjudicium, in quo nec « oblationes ejus ad Missam percipimus, nec aliquos homines, « ab ipsa nobis attrahimus, quin omnia jura sua viventes et « mortui ecclesiæ parochiali persolvant. De sepultura vero

Digitized by Google

« constat ex jure communi, quod si apud nos eligunt sepeliri, « possent, et alibi, si vellent, ubicunque, sine præjudicio « parochialis ecclesiæ hoc facere ; nec ad hoc possent in aliquo « impediri. »

Ex his patet quam antiquum sit jus novos conventus fundandi, quin obstare possit ecclesiæ parochialis rector, modo præserventur *jura* ipsius *parochialia*, quamvis in cæteris ad quæ jus non habet, imminutionem et præjudicium aliquod patiatur.

Diximus autem in thesi, *regulariter loquendo;* quia sicubi forte parochus ad honestam sustentationem non haberet nisi spontaneas fidelium oblationes, et ex novi conventus erectione harum imminutio notabiliter secutura sit, justa utique id causa censebitur fundationem denegandi; prout vel ex ipsa naturali æquitate concludendum videtur.

§ IV.

An jus parochis competens sese novorum conventuum erectioni opponendi, ob læsa parochialia sua jura, etiam curatis ad nutum amovibilibus competere censendum sit?

Prænotanda. — 1° Duplex distinguenda curatorum amovibilium species : curatorum nempe *vicariorum*, qui solam habent curam *actualem*, seu solum exercitium curæ, stante penes alium *habituali* cura; et curatorum *non vicariorum*, qui, licet ad nutum alicujus sint amovibiles, habent tamen habitualem simul et actualem curam, ita ut nullius sint vicarii. — 2° Solent plerique canonistæ de priori duntaxat curatorum amovibilium specie mentionem facere : hoc ipso nempe quod curatus sit amovibilis, seu non habeat beneficium curatum perpetuum, supponunt eum esse *vicarium* alterius, qui sit rector principalis et curam habitualem retineat, verbi gratia, alicujus monasterii vel capituli, cui parochia annexa sit, vel etiam ipsiusmet Episcopi, cujus mensæ parochia unita existat. Et revera ante erectas anno 1802 Galliæ et Belgii *succursales*,

Digitized by Google

difficile probaretur, per duo aut tria proxime elapsa sæcula, aliquos exstitisse curatos amovibiles, qui non forent dicto modo alicujus monasterii, collegiive aut alterius rectoris principalis seu habitualem curam retinentis, *vicarii*. Nihilominus, etsi de facto nulli aut fere nulli exstiterint curati amovibiles *non vicarii*, potuissent tamen existere. Quod enim fundari valeat parochialis ecclesia cum hac conditione, ut curatus habitualem simul et actualem curam habeat, et tamen ad nutum alicujus amovibilis sit, negari posse non videtur, nec apud aliquem canonistam negatum inveni. — 3° Existimo ego hodiernarum Galliæ et Belgii *succursalium* rectores, ad posteriorem curatorum amovibilium speciem esse referendos; id est, esse eos ad nutum Episcopi amovibiles, et tamen non esse alicujus alterius, habitualem curam retinentis, *vicarios;* prout exposui in meo tractatu *de Parocho*. In ipsa enim harum succursalium erectione statuta fuit manualitas seu amovibilitas; et aliunde nullum exstat documentum aut etiam indicium de facta illarum succursalium, sive cum mensa episcopali, sive cum aliquo alio beneficio, unione. — 4° Posita autem veritate duplicis hujus speciei curatorum amovibilium, quoad utramque solvenda venit quæstio proposita; an scilicet novi conventus erectioni sese opponere valeant.

Propositio I^a^. — *Curati ad nutum amovibiles, si sint vicarii, sese opponere nequeunt novorum conventuum erectionibus; sed hoc pertinet ad eos penes quos residet habitualis cura.* — Id sufficienter firmat Ferraris (voce *conventus*, art. 1, n. 46-49) in hunc modum : « Circa consensum parochi non importune « quæritur, utrum is præstari debeat ab eo qui obtinet curam « habitualem, an ab illo qui curam obtinet actualem? Præ- « standum esse ab obtinente curam habitualem, tenuit Rota « *in dict. Eystet. Fundationis hospitii* 10 *maii* 1726, § Rursus, « *cor. bon. mem. Gamaches.* Non omittendum vero quod in ejus « casu ille qui obtinebat curam actualem, non erat perpe- « tuus, sed amovibilis ad nutum. At idem dicendum videtur, « etiamsi ille qui curam actualem obtinet, sit perpetuus; nam

Digitized by Google

« et hic plus juris sibi asserere nequit quam simplex exer-
« citium curæ, ut respondit Rota, *in Ariminen. Functionum,*
« *super primo dubio* 13 *junii* 1746, § 2 *et* 6, *cor. bon. mem.*
« *Lan.* Consensus autem de quo agitur, non est præstandus
« ratione exercitii curæ. »

PROPOSITIO II^a. — *Curati ad nutum amovibiles, si non sint simul vicarii (verbi gratia, Galliæ et Belgii succursalistæ), quoad faciendam novorum conventuum fundationibus oppositionem, idem jus habere videntur ac parochi perpetui.* — Id sequitur ex eo quod habeant habitualem etiam curam. Tunc scilicet non adest aliquis rector principalis, ad quem jus illud pertineat. Ergo ipsismet succursalistis, licet ad nutum amovibilibus, jus illud adscribendum est.

CAPUT V.

DE REQUISITO RELIGIOSORUM NUMERO, UT NOVI CONVENTUS VIRORUM ERIGI VALEANT.

I. Tridentina synodus (sess. 25, *de reg.*, cap. 3) decrevit in hunc modum : *In prædictis autem monasteriis et domibus, tam virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel non possidentibus, is tantum numerus constituatur, ac in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode possit sustentari.*

II. Gregorius XV, constitutione *cum alias*, 17 augusti 1622, Tridentinam sanctionem magis determinans ita disposuit : *De cætero monasterium, conventus, domus, congregatio, vel societas religiosorum seu regularium, cujuscunque (etiam mendicantium) ordinis, societatis et instituti, quocunque nomine nuncupentur..., non erigantur, nisi in eo saltem duodecim fratres, aut monachi, seu religiosi, inhabitare, ac ex redditibus et consuetis eleemosynis sustentari valeant.*

III. Die 21 junii 1625 prodiit, jussu et auctoritate Urbani VIII, decretum Sacræ Congregationis Concilii, tenoris

Digitized by Google

sequentis : *Deinceps vero monasterium, conventus, domus, congregatio vel societas religiosorum seu regularium nullibi recipiatur, nisi, præter alia ad id requisita, in singulis hujusmodi locis duodecim saltem fratres aut monachi, seu religiosi degere, et ex redditibus et consuetis eleemosynis, detractis omnibus ut supra detrahendis, competenter sustentari valeant, ad præscriptum decreti felicis recordationis Gregorii XV, hac de re editi ; alioquin monasteria et loca hujusmodi posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi, ut supra, sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint, Ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.* (Decretum illud reperies apud Ferraris, voce *conventus*, art. 1, n. 27.)

IV. Ex præmissis decretis, jus commune, quoad præsentem quæstionem sic determinari potest :

1° *Non absolute prohibentur erigi conventus in quibus pauciores sint aut sustentari valeant quam duodecim religiosi.* — Equidem si attenderetur tantummodo ad citatam constitutionem Gregorii XV, prohibitio hæc absoluta dicenda foret. Siquidem non disjunctive dicit, aut non esse erigendos, aut jurisdictioni Ordinariorum subjectos fore ; sed prohibet simpliciter ne erigantur, si duodecim in eis religiosi sustentari nequeant.

At vero in altero decreto, Urbani VIII auctoritate edito, ponitur disjunctiva ejusmodi ; dicitur nempe : *Alioquin Ordinarii omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelligantur.* Ex quibus verbis inferri posse videtur, erectionem quæ, non verificata illa conditione quoad religiosorum numerum, fieret et executioni mandaretur, nec irritam fore, nec illicitam ; sed duntaxat religiosos illius conventus exemptionis privilegium ipso facto amissuros. Nec dicatur inferri quidem posse erectionis valorem, non autem liceitatem. Nam legislator qui rem antea licitam prohibet, addendo hanc clausulam, *alioquin qui fecerit tali beneficio privetur,* liberum adhuc relinquit rem illam facere, et duntaxat facientes privat beneficio, quo, seclusa ipsius lege, potiti fuissent.

2° *Si erigatur conventus in quo duodecim religiosi convenienter*

Digitized by Google

inhabitare et sustentari nequeunt, remanet omnimodæ jurisdictioni Ordinarii subjectus. — Patet ex tenore ipso posterioris decreti supra allati.

Nota. — Quoad conventum qui convenientem habitationem et sustentationem duodecim religiosis præstare potest, sed in quo pauciores de facto inhabitant, dubium oriri potest, num etiam remaneat Ordinarii jurisdictioni subjectus. Nam in posteriori decreto dicitur : *In quibus duodecim religiosi sustentari atque inhabitare non poterunt, et actu non habitaverint.* Si in hoc membro, *et actu non habitaverint,* particula *et* idem sonet ac *vel* (prout intelligendum videtur), inferendum est ordinariæ Episcopi jurisdictioni subjectum esse illum conventum, quandiu in eo non complebitur duodenarius religiosorum numerus.

3° *In computando valore sufficienti reddituum et eleemosynarum, detrahendæ sunt expensæ pro sacristia et ecclesia : nec ratio habenda est reddituum difficillimæ exactionis : nec juvat quod aliæ domus ordinis ad supplendum sese obligent.* — Hæc vide variis Sacrarum Congregationum romanarum decisionibus firmata, apud Ferraris (voce *conventus,* art. 1, n. 28, 29 et 30).

CAPUT VI.

AN REQUISITA QUOAD NOVI CONVENTUS VIRORUM ERECTIONEM REQUIRANTUR ETIAM IN ERIGENDIS MONIALIUM CONVENTIBUS.

Nonnulli canonistæ generaliter affirmant, in erigendis monialium conventibus adhibendas esse solemnitates omnes, quæ ad novos virorum conventus requiruntur. « Requisita (inquit « Ferraris, voce *conventus*, art. 1, n. 31) pro fundandis novis « conventibus religiosorum, habent etiam locum circa eri- « genda monasteria monialium : debent enim eædem solem- « nitates observari in illis ædificandis, sicuti in illis regula- « rium : Barbosa (super Tridentino, sess. 25 *de reg.*, c. 3, « n. 29), Sellius (in *Select. canon.*, c. 60, n. 4). » Non tamen

Digitized by Google

videtur statui posse regula illa generalis, qua decreta omnia novos virorum conventus concernentia erigendis monialium conventibus applicanda sint. Unde sigillatim requisitas ejusmodi conditiones recensebimus, et de unaquaque exquiremus an revera moniales attingat.

QUÆSTIO I^a. — *An ad novi conventus monialium erectionem requiratur licentia Apostolica?* — 1° Non requiritur vi decretalis Gregorii X (supra relatæ, capite 1). Nam decretalis illa de monialibus non loquitur. Præterea loquitur duntaxat de mendicantibus qui bona immobilia in communi possidere non possunt: sed monialium conventibus licita est bonorum immobilium et reddituum possessio. 2° Nec requiritur vi decretalis Bonifacii VIII (quam supra retulimus, capite 1; et quæ habetur in *sexto*, capite *cum ex eo, de excessibus Prælatorum*). Nam neque in eo textu reperitur ulla de monialibus mentio. Et notetur, duas præfatas decretales, utpote jus commune antea vigens restringentes, esse stricte interpretandas; nec proinde ad monialium conventus extendendas, nisi id clare exprimant. 3° Neque requiritur vi textus Tridentini (sess. 25 *de reg.*, cap. 3). Nam ibi quidem expresse agitur de monialium etiam conventibus: at synodus necessariam decernit licentiam Episcopi, et de obtinendo sedis Apostolicæ beneplacito omnino silet. 4° Nec tandem requiritur vi bullæ Innocentii X, quæ incipit *instaurandæ*. Nam bulla hæc loquitur duntaxat de conventibus virorum. Id tanquam omnino certum habet Fagnanus, qui bullam compilaverat. Unde concludit hujusce constitutionis dispositionibus, non constringi moniales, etiam in Italia et adjacentibus insulis (vide auctoris illius verba, supra capite 1). 5° Auctores, qui in erigendis monialium etiam conventibus necessariam existimant licentiam sedis Apostolicæ, non adducunt ullum hac de re generale decretum, a modo citatis diversum; sed nituntur duntaxat præfatis Gregorii X et Bonifacii VIII decretalibus, prout videre est in supra transcriptis (capite 1) Benedicti XIV verbis. Cum ergo ex istis textibus ipsorum conclusio recte deduci

Digitized by Google

non videatur, existimo sufficere licentiam Episcopi in erigendis novis monialium conventibus, etiam in Italia et adjacentibus insulis; nec requiri, sive ad validitatem, sive ad liceitatem, sedis Apostolicæ beneplacitum. Quam tamen meam conclusionem velim intelligas relativam duntaxat ad præfatos juris textus, quos solos ab auctoribus contrarium sustinentibus adductos reperio. Nam si qua forte recentior intervenerit dispositio, qua sedis etiam Apostolicæ licentia requiratur, illi profecto standum erit. Sed nullum ejusmodi recentius decretum mihi adhuc innotuit; et argumentor duntaxat in hypothesi quod nullum exstet. Nec obstat conclusioni meæ quod soleant moniales pro ejusmodi erectionibus ad sedem Apostolicam recurrere. Non enim recurrunt ex ea ratione quod non sufficiat licentia Episcopi loci, sed aliis de causis, a Fagnano descriptis (supra capite 1, § 2). 6° Hodie tamen, quoad Italiam et adjacentes insulas, necessaria videtur S. Congregationis licentia, ob praxim de qua dictum est supra (cap. 1, § 5).

QUÆSTIO IIª. — *An in erigendis novis monialium conventibus requirendus sit aliorum conventuum consensus, ad normam constitutionum* QUONIAM *Clementis VIII, et* CUM ALIAS *Gregorii XV?* — Videtur negative respondendum; quia dictæ constitutiones de monialibus expresse non loquuntur, et sunt stricte interpretandæ, utpote juris communis restrictivæ.

QUÆSTIO IIIª. — *An novi monialium conventus obnoxii sint decretis Pontificiis, quibus requiritur duodecim ad minus regularium numerus?* — 1° Equidem Gregorius XV et Urbanus VIII duodenarium illum numerum requirunt: sed ipsorum decreta (superius, capite 4, relata) de virorum duntaxat conventibus loquuntur. 2° Item Innocentius XII (constitutione *super* 23 decembris 1697, super celebratione missarum, § 10) eumdem præscribit duodenarium ad minus numerum; sed pariter expresse non loquitur, nisi de virorum conventibus. Cæterum ibidem, ad dubium, an decretum illud locum habeat etiam extra Italiam, affirmative respondetur. 3° Nihilominus Ferraris (voce *moniales*, art. 2, n. 6) sic affirmat: « Numerus

Digitized by Google

« monialium debet esse saltem duodecim. S. Congregatio « Episcoporum et regularium (in *Camerinensi* 18 decembris « 1600 et 22 julii 1601); et citato decreto S. Congregationis « Concilii *de celebratione missarum*, et Innocentii XII dicta « constitutione incipiente *nuper*. » Decretum S. Congregationis Concilii, de quo loquitur Ferraris, quodque insertum reperies in dicta constitutione *nuper* Innocentii XII, expresse non loquitur nisi de virorum conventibus. Decisionem autem S. Congregationis Episcoporum et regularium, qua etiam nititur Ferraris, præ manibus non habeo. Quæcunque autem sit, respicit duntaxat particularem casum. Hinc 4°, ex allatis auctoritatibus (alias enim, si quæ supervenerint, ignoro) mihi non omnino constat, *de jure communi* necessarium esse in erigendis novis monialium conventibus duodenarium numerum.

Quæstio IV^a^. — *Quid Tridentina synodus observandum præscripserit in erigendis novis monialium conventibus; et an aliquid ultra tanquam de jure communi necessarium admittendum sit?*— Tridentini Patres statuerunt in hunc modum (sess. 25 *de reg.*, cap. 3) : « In prædictis autem monasteriis et domibus, tam « virorum quam mulierum, bona immobilia possidentibus vel « non possidentibus, is tantum numerus constituatur ac in « posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis mo- « nasterii, vel ex consuetis eleemosynis commode possit « sustentari; nec de cætero similia loca erigantur, sine Epi- « scopi, in cujus diœcesi erigenda sunt, licentia prius obten- « ta. » Ibi duo requirantur : 1° ut non erigatur conventus monialium nisi cum *eo numero* qui commode sustentari valeat: 2° ut obtineatur *licentia Episcopi*. Nec dubium est quin illæ duæ conditiones etiamnum de jure communi servandæ sint, cum legi huic Tridentinæ nequaquam derogatum fuerit per ullum generale decretum.

His duobus requisitis addendum est tertium, ex ipso jure naturali exurgens : nempe ut non erigatur conventus nisi cum eo monialium numero, qui sufficiat ad vitæ regularis obser-

Digitized by Google

vantiam. Alias enim erectio foret de se pravum quid et nocivum.

An vero, præter tria illa, requirantur de jure universali etiam alia, in erigendis virorum conventibus sancita, nempe, duodenarius numerus, Pontificia licentia, et circumjacentium conventuum interventus, mihi plene non constat. Unde id canonistis, qui uberiorem forte præ manibus habent documentorum copiam, determinandum relinquo.

CAPUT VII.

AN REQUISITA AD NOVI CONVENTUS ERECTIONEM PARITER REQUIRANTUR, QUANDO IN ALIQUO LOCO REGULARES PRISCUM REASSUMUNT CONVENTUM (REMISSIVE)?

Quoad casum conventus *spontanee* derelicti et postea reassumpti, sic reperio adnotatum a Monacello (*Formularium legale*, parte 1, tit. 6, formula 19, adnot. 13) : « Servanda sunt « (decreta Apostolica super erectione novorum conventuum) « ab illis regularibus, qui redeunt ad monasteria, quæ antea « dereliquerant; ut respondit Sacra Congregatio Episcoporum « et regularium Archiepiscopo Turritano, 17 novembris 1617, « his verbis : *Cum Archiepiscopus Turritanus Sacram hanc Con-* « *gregationem consuluisset, an in reassumptione conventuum* « *Fratrum Minorum de Observantia suæ diœcesis, quos ipsi jam-* « *pridem deseruerant, servandum sit decretum felicis recordationis* « *Clementis Papæ VIII, super novorum conventuum erectione* « *editum, illustrissimi ejusdem Congregationis Patres, id omnino* « *servandum esse censuerunt.* » Ratio esse videtur, quod spontanee conventum relinquentes, hoc ipso renuntiare censendi sint juri acquisito ibidem conventualiter existendi. Fiunt ergo ejusdem conditionis, ac si nunquam jus illud habuissent.

Ast aliter se res habet quando, non *spontanee*, sed *ex violentia* conventum suum deserere coguntur; prout dicetur infra (parte 3, sect. 2).

Digitized by Google

Digitized by Google

PARS III

DE

CONDITIONE CANONICA REGULARIUM

IN EXTRAORDINARIIS QUIBUSDAM CIRCUMSTANTIIS VERSANTIUM :
SEU DE MONIALIBUS ABSQUE CLAUSURA,
DE REGULARIBUS VI DISPERSIS,
ET DE HODIERNIS GALLIÆ RELIGIOSORUM ET SANCTIMONIALIUM
COMMUNITATIBUS.

Doctrinam hactenus expositam applicando, facile jam lector dignoscere poterit omnium fere religiosorum institutorum naturam et conditionem canonicam. Nam 1° si congregatio vota *perpetua* paupertatis, castitatis et obedientiæ non habeat, essentia status religiosi caret, estque proinde sæcularis, nec nisi *improprie* congregatio religiosa vocari potest. Est tamen *congregatio improprie religiosa,* si de religioso statu seu vivendi modo aliquid imitetur : secus, est merum *sodalitium*. 2° Licet emittantur in perpetuum tria vota simplicia, si a nemine ad id auctoritatem habente acceptentur, adhuc deest status religiosi essentia ; ac proinde congregatio non est proprie religiosa, sed remanet sæcularis ; cujus conditionis est *Missionis* seu Lazaristarum institutum. 3° Licet tria vota perpetua emittantur, si congregatio non sit de approbatis nec de

Digitized by Google

toleratis (1), certum est eam a religiosi status ratione deficere. 4° Si Congregatio sit de approbatis, et in ea in perpetuum emittantur ac rite acceptentur tria vota simplicia, status religiosi essentiam certo habet. Est proinde congregatio *proprie religiosa*. Non est tamen *religio formalis*, seu *religio stricte sumpta*, quatenus denominationes illæ designandis institutis, cum votorum solemnitate approbatis, propriæ factæ sunt. 5° Tandem si ex instituto emittenda sint *solemniter* tria substantialia vota, et institutum illud sedes Apostolica approbaverit, non tantum adest status religiosi essentia, sed ejusmodi societas religionibus formalibus, seu stricte dictis, accensenda est. Hæc, inquam, ex supra deductis aperte colliguntur.

At vero intervenire possunt extraordinariæ quædam circumstantiæ quæ dubium faciant, num adsint, vel sublatæ fuerint variæ conditiones ad constituendam unamquamque ex enumeratis speciebus requisitæ. Exempli gratia, quamvis Dominicanorum institutum certo fuerit a sede Apostolica cum votis solemnibus approbatum, dubium moveri potest, num religiosorum illorum vota in Galliis emissa vere solemnia sint; ob legem nempe civilem, incapacitatem dominii non agnoscentem. Pariter, quantumvis certum sit monialium absque clausura degentium congregationes, fuisse prohibitas, fuerunt tamen postmodum *toleratæ* et hodiedum tolerantur; ita ut approbatione careant, et tamen licite existant. Ex quo sponte exurgit difficultas, an ejusmodi monialium congregationes status religiosi essentiam possint necne habere. Item, dato aliquod institutum esse veram et stricte sumptam religionem, si omnia ipsius membra e suis conventibus vi expellantur et quaquaversum dispergantur, dubium occurrit, num ordo ille in sua specie permanere censendus sit, cum suis

(1) Mox videbimus dari congregationes *toleratas* quamvis non approbatas. An autem cum hac mera tolerantia stare possit status proprie religiosus, non obstante approbationis defectu, infra expenditur. Et ne huic quæstioni præjudicaremus, addidimus hic, *nec toleratis*.

Digitized by Google

juribus omnibus; ita quod, sedata tempestate possint illi religiosi, absque nova approbatione aut licentia, conventus suos in pristinis locis reassumere, aut iis alienatis, novos sibi comparare.

Gravissimas porro hujuscemodi quæstiones et difficultates, hodiernis præsertim temporibus scitu necessarias, tertia hac tractatus parte, expendendas aggredimur.

De iis autem agemus sub triplici sectione, in hunc modum: 1° dicemus de congregationibus monialium absque clausura degentium; 2° de regularibus vi dispersis; 3° de conditione hodiernorum religiosorum et monialium Galliæ.

Digitized by Google

SECTIO I.

Conditio canonica monialium absque clausura in congregatione viventium.

Certum est a Bonificio VIII monialibus omnibus professis injunctam fuisse clausuram : *Nulli earum*, inquit, *religionem tacite vel expresse professæ, sit vel esse valeat... monasteria ipsa deinceps egrediendi facultas* (capite *periculoso*, tituli *de statu regularium*, in 6). Legem illam confirmavit Tridentina synodus : *Nemini autem sanctimonialium liceat, post professionem, exire e monasterio* (sessione 25, *de regularibus*, cap. 5). Sanctus autem Pius V, postquam et ipse decretum illud de clausura quoad moniales confirmavit, agens expresse de mulieribus *quæ Tertiariæ dicuntur*, et quæ *in congregatione viventes* clausuram non servabant, nec *votum solemne* emittebant, decrevit ut, vel sese clausuræ subjicerent, et vota solemnia emitterent, vel nulla in posterum posset in ipsarum conventibus novitia recipi (constitutione *circa pastoralis* 29 maii 1566). Quæ sancti Pontificis constitutio, si plenam executionem obtinuisset, extinctæ prorsus fuissent ejusmodi Tertiariarum congregationes, absque clausura et votis solemnibus degentium. At secus contigit : non tantum extincti non fuerunt dicti Tertiariarum conventus, sed auctoritate Apostolica pluries declaratum est eos ab Ecclesia *tolerari*. Imo et plurimæ aliæ ortæ sunt congregationes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium, ad quas pariter dicta *tolerantia* extensa est, ut modo videbimus. De hisce porro piis mulieribus expendendum venit, quænam sit canonica ipsarum conditio, et præ-

Digitized by Google

sertim an status religiosi essentiam habeant. Rem excutiemus primo quoad Tertiarias : tum quoad reliquas congregationes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium, quæ sub *Conservatoriorum* nomine comprehendi solent.

CAPUT I.

DE CONDITIONE CANONICA MONIALIUM TERTIARIARUM, ET VIRORUM TERTIARIORUM.

Ob materiarum connexionem, jus hic determinabimus, non tantum quoad Tertiarias, sed etiam quoad Tertiarios; ut sic unico veluti tractu generalis de tota hac Tertiariorum ordinum institutione notio suppeditetur.

§ I.

Quid sint, et unde ortæ Tertiariorum et Tertiariarum familiæ.

1° « Regulares ordinum S. Dominici, S. Francisci, S. Augustini, item Carmelitæ, Servitæ, ac Minimi a sancto Fran« cisco de Paula instituti Tertiarias mulieres, juxta Pontificum diplomata ac privilegia adscribere possunt. » (Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 105, n. 60.) Atque item in Tertiarios a dictis regularibus recipi posse viros, ex iisdem Pontificiis diplomatibus constat.

2° Quodnam ejusmodo Tertiariis initium fuerit, et cur hoc ipsis nomen inditum, pandit Cardinalis Petra (tomo 3, in constitutionem 2 Nicolai IV, n. 2), in hunc modum : « Cujus « (regulæ divi Francisci pro Tertiariis) initium evenit ex eo « quod, cum divus Franciscus duas primas regulas, pro fra« tribus et monialibus, promulgaverit, horum exemplo fere « omnes fideles, unanimi spiritus fervore ducti, divum Fran« ciscum in mundi et divitiarum contemptu sequi, ejusque « regulare institutum amplecti deliberarant : quo sane pacto,

Digitized by Google

« ferme, civitatum solitudo et depopulatio expectabatur. « Unde ad hoc evitandum incommodum, novam in propriis « domibus vivendi formam idem sanctus his præscripsit, in « piis operibus, abstinentiis, jejuniis et pœnitentiis. Hinc hu- « jusmodi regulam sequentes *de pœnitentia* fuerunt dicti, et « *Tertiarii*, in propriis domibus viventes viri et mulieres, etiam « uxorati. Quæ tertia regula instituta fuit anno 1221, ætatis « suæ 39, post 13 annos ab instituto primæ regulæ. Et (ut ait « D. Anton., parte 3 hist., tit. 24, cap. 1, § 2) *fraterna dile-* « *ctione devictus beatus Franciscus, ad instar patriarchæ Noe* « *arcam fabricavit, et tricameratam fecit, religionem scilicet* « *fratrum, monialium, et tertii ordinis; ut habitantes in ea præ-* « *servaret a diluvio vitiorum et morte inferorum, omni statui cu-* « *piens dilectione providere.* »

3° Ejusmodi Tertiariorum ac Tertiariarum institutum sub duplici forma propagatum est : viventium nempe collegialiter, et degentium sejunctim in privatis domibus. Id quoad Tertiarias adnotat Benedictus XIV (citata *institutione* 105, n. 61) : « Ex ipsis aliæ, inquit, privatis domibus immorantur, nec « ullam cum cæteris habent societatem : aliæ vero in uno « domicilio simul conjunguntur. » Quid de utraque Tertiariarum specie jure cautum fuerit, primum sub sequentibus paragraphis expendemus; tum et quoad viros Tertiarios idem præstabimus.

§ II.

De Tertiariis quæ privatim in suis ædibus morantur.

I. Ejusmodi Tertiariæ non censendæ sunt suppressæ nec prohibitæ per constitutionem sancti Pii V, quæ incipit *circa pastoralis* (29 maii 1566). Etenim hujusce constitutionis dispositio, quæ Tertiariis adversatur, et quam infra transcribimus, agit duntaxat de Tertiariis quæ *collegialiter* vivunt, absque votis solemnibus et clausura; non autem de Tertiariis quæ *privatim* in propriis ædibus morantur. Indubium id apud

Digitized by Google

doctores; et ita declaratum fuisse a S. Congregatione Concilii testatur Benedictus XIV (*Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 105, n. 61), in hunc modum : « Tertiarias, quæ sejunctim vivunt, « sanctissimus Pontifex (Pius V) nunquam de medio tollere « cogitavit; quemadmodum S. Congregatio Concilii decla- « ravit. *Constitutionem* (inquit Fagnanus, in caput *nullus*, « n. 68, *de foro competenti*) *sancti Pii V, qua sorores tertii Or- « dinis ad perpetuam clausuram obstringuntur, utpote loquentem « de his quæ in communi et in congregatione vivunt, ad supra- « dictas sorores, in consanguineorum aut propriis domibus ha- « bitantes..., nihil pertinere, et propterea circa illas constitu- « tionem nec minuisse, nec immutasse, nec quidquam novi juris « induxisse.* » Unde quoad ejusmodi Tertiarias, sejunctim viventes, jus intelligendum est perinde ac si dicta sancti Pii V constitutio non existeret.

II. *Quibusnam privilegiis donatæ sint Tertiariæ per constitutionem* inter cætera (1) *Leonis X.* — « Tertiarios a Tertiariis « mulieribus distinguendos Leo X decernit. Illi nullo gaudent « privilegio, nisi conjunctim vivant, et cum ipsis claustra- « libus immorentur. Sed mulieribus Tertiariis, quamvis suas « ædes non dimittant, eadem privilegia ordinis conferuntur : « *Collegialiter autem* (de viris Tertiariis sermo est) *seu cum « claustralibus habitantes, ac mulieres* (nempe Tertiarias, quæ « suas ædes nequaquam deserunt) *virginalem seu cœlibem, aut « castam vidualem, expresso voto, et sub dicto habitu vitam ducen- « tes, privilegiis quibus fratres Ordinis, cujus tertiæ regulæ ha- « bitum gestant, gaudere debeant.* Quod si Leonis X constitutio « vim totam et integram obtineat, hæ Tertiariæ privatim « vitam agentes Episcopi jurisdictione prorsus immunes esse « deberent. Eos sibi confessarios deligere possent, qui ad « monialium confessiones, non vero sæcularium excipiendas « probantur. Ad parochiam accedere non tenerenter ut pas- « chali præcepto satisfacerent. Tandem a præfectis suis

(1) 22, in bullario romano tomo 1.

Digitized by Google

« regularibus extremam unctionem recipere, et post mortem « in ecclesia sui ordinis sepeliri jure possent. » (Benedictus XIV, *inst. eccles.*, instit. 105, n. 66.)

III. *Sub quibus conditionibus prædictis privilegiis a Leone X concessis frui valeant Tertiariæ sejunctim viventes.*— Eas conditiones sic enumeravit Benedictus XIV (citata institutione 105, n. 63) : « Primum ex Leonis X constitutione desumitur, quod « istæ mulieres virginitatis aut cœlibatus votum emittere de- « beant, quod tamen solemne nequaquam est, uti Pontifex « ipse declarat. Sacræ autem Congregationes suis decretis « addiderunt, necessario requiri, ut regularium præfecti de « morum probitate, ætatisque ratione certi fiant, antequam « his mulieribus habitum religiosum impertiant, quæ qua- « draginta saltem annos attingere debent. Insuper inquiren- « dum est, utrum necessaria ad vitæ sustentationem possi- « deant, et cum quibusnam domi versari necesse habeant; « quos tantum consanguineos et affines (1) esse oportet. « Postremo investigandum, an Episcopi facultas intercedat; « quæ concedi nequit ab ipso, nisi posteaquam diligenter « examinaverit, an eædem conditiones veritati congruant. « Quare, si quod proprium est unicuique tribuatur, ad præ- « fectum regularem spectat religiosum habitum his mulie- « ribus impertire, ad Episcopum vero facultatem tradere, et « præscriptas conditiones accurato examine cognoscere. » Subjungit Benedictus XIV responsum quoddam S. Congregationis Concilii (10 maii 1727, ad Episcopum Mazaræ), tenoris sequentis : *Examen facultatum concedendi habitum pertinere ad sedem Apostolicam : examen conditionum quoad mulieres vestiendas, et licentiam vestiendi pertinere ad Ordinarium; et conditiones vestiendarum esse expressas in decretis generalibus alias editis; et hæc decreta esse omnino servanda.*

Decreta generalia, de quibus ibi sermo est, fuerunt in

(1) Intellige *in primo tantum gradu*, prout expresse habetur in decreto S. Congregationis Episcoporum et regularium diei 20 decemb. 1616, mox citando.

Digitized by Google

unum collecta, et adjunctis nonnullis edita, die 20 decembris 1616, a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium; et sunt tenoris sequentis :

« Sacra Congregatio Cardinalium, negotiis Episcoporum et « regularium præpositorum, ad tollendas omnes contentiones « inter Episcopos et superiores regularium, super immunitate « et exemptione Tertiariarum, quæ in privatis domibus degunt, vulgo Pinzochoræ, seu alio quovis nomine nuncupatarum, imprimis et ante omnia in memoriam revocat ea, « quæ Sacra Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum, in eamdem sententiam respondit, videlicet :

« Sacra Congregatio Cardinalium concilii Tridentini interpretum, sæpius respondit, minime posse sacerdotes regulares mulierum Tertii Ordinis quas de pœnitentia, vel Pinzochoras vocant, confessiones sacramentales audire, nisi « fuerint ab Ordinario approbati ad confessiones personarum « sæcularium audiendas, quemadmodum, nec posse illis sacrosanctum Eucharistiæ sacramentum administrare in die « Paschatis, resurrectionis sanctissimi Domini Nostri Jesu « Christi. Verum, quoad sepulturam, atque alia privilegia, « fratres Tertiarios, Mantellatos, Corrigiatos, aliosque similes, « ita demum Ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum assumpserunt, privilegiis potiri, et ab Ordinarii jurisdictione exemptos « esse, si viri collegialiter vivant, seu cum claustralibus habitent, et mulieres virginalem seu cœlibem, aut castam « vidualem expresso voto, et sub dicto habitu, vitam traduxerint; quemadmodum cavetur constitutione concilii « Lateranensis sub Leone X, quæ habetur sessione 21, in fine. « Hoc autem voto mulierum, alia duo, scilicet paupertatis, « et obedientiæ nequaquam includi; quinimo hujusmodi mulieres, si vitam virginalem, aut cœlibem simpliciter expresseque voverint, etiam in consanguineorum, et affinium « suorum, aut propriis domibus, vel seorsum habitantes, « supradictis privilegiis Ordinis, cujus tertiæ regulæ habitum « deferunt, exemptionemque ab Ordinarii jurisdictione frui

Digitized by Google

« debere, ut idem Leo postea declaravit, constitutione edita « die prima martii 1518. An autem prædictæ qualitates in « hujusmodi Tertiariis concurrant, Ordinarii loci esse judicium.

« Præterea, si contingat, aliquas ex prædictis Tertiariis « sine sepulturæ electione decedere, eas sic decedentes, ita « demum in ecclesiis Ordinis, cujus habitum assumpserunt, « si in ipsis earum communis sepultura reperiatur, sin minus « in ecclesiis parochialibus sepeliendas esse decernit.

« Superioribus autem regularibus, sufficienti facultate ad « id a sede Apostolica suffultis (Capucciuis exceptis) licere « mulieres ad hujusmodi habitum recipere, atque ad ipsos « vestiendi eas officium pertinere, non autem ad habitum « admittendas, et recipiendas esse, nisi probatæ vitæ, ac « bonis moribus præditas, atque in ætate saltem quadra- « ginta annorum constitutas, quæ de proprio habeant, unde « sufficienter vivere possint, et non cum aliis viris, quam cum « consanguineis, vel affinibus in primo tantum gradu sibi « conjunctis cohabitent, etiam ab Ordinario loci licentia « prius impetrata, et qui non aliter eam concedat, nisi de « prædictis, prævio examine diligenti sibi constiterit.

« Verum in hujusmodi habitu concedendo, et respective « deferendo omnino a velo supra caput, quod suprajectum « vocant, a pectorali quod vulgo dicitur sottogola, et a pa- « tientia abstinendum esse; quinimo eas quæ supradicta tria, « vel aliquod ipsorum deferre deprehensæ fuerint, illa « dimittere, etiam per censuras ecclesiasticas ab Ordinariis « locorum compellendas esse decernit.

« Supradictis vero decretis, mulieres Tertii Ordinis, quæ « collegialiter vivunt, non comprehendi, quinimo eas dispo- « sitioni constitutionis Pii Papæ V, editæ Romæ anno 1566, « 4 calendas julii, quæ incipit *circa pastoralis*, penitus sub- « jacere, expresse declarat, non obstantibus quibuscunque « in contrarium facientibus. Data Romæ 20 decembris anni « 1616. — Antonius Cardinalis Saulius. »

Digitized by Google

IV. *Quomodo privilegia Tertiariis mulieribus sejunctim viventibus a Leone X concessa, postea fuerint a summis Pontificibus restricta.* — « Leonis X constitutio ad certos quosdam limites « redacta fuit a summis Pontificibus, qui deinde sedem Apo- « stolicam tenuerunt. Cum hæ mulieres revera non habeantur « regulares, eo quod tribus votis solemnibus non adstringan- « tur, ideo non censentur immunes ullo modo ab Episcopi « facultate. » (Benedictus XIV, *Institutiones ecclesiasticæ*, inst. 105, n. 68). Varias subjungit Benedictus XIV Sacrarum Congregationum declarationes, ex quibus hæc concludenda veniunt : 1° dictæ Tertiariæ, non obstante constitutione Leonis X, remanent Ordinariorum jurisdictioni subjectæ. 2° Ut regulares possint ipsarum confessiones audire, non sufficit eos approbatos esse ad audiendas confessiones regularium, sed approbari ab Episcopo debent pro sæcularium confessionibus. 3° Tenentur ejusmodi Tertiariæ, sicut et alii parochiani, communionem in Paschate in ecclesia parochiali recipere, nec possunt regulares in suis ecclesiis communionem eis præbere die Resurrectionis Dominicæ. 4° Nequeunt regulares ipsis viaticum et extremam unctionem ministrare. 5° Quoad sepulturam ipsis pariter applicandum jus commune, cæteros parochianos sæculares respiciens.

Equidem Benedictus XIII, constitutione *pretiosius*, privilegia ipsis denuo concesserat. Sed huic constitutioni derogavit Clemens XII, et rem totam in eum statum restituit, in quo erat ante bullam *pretiosius* (vide citatam *institutionem* 105, n. 71, Benedicti XIV).

V. *Concluditur hodiernum jus commune quoad Tertiarias sejunctim viventes.* — Exposuimus quænam fuerit piarum ejusmodi feminarum canonica conditio, circa tempora Benedicti XIV. Porro ab hoc tempore non puto ipsas fuisse in antiquis suis privilegiis, generali saltem lege, restitutas. Quod si tamen, vel omnibus, vel aliquibus, aliquod ejusmodi privilegium recentioribus temporibus concessum fuerit, ipsarum est, et superiorum regularium quorum tertiam regulam pro-

Digitized by Google

fitentur, illud apud locorum Ordinarios probare. Seclusa autem hac recentiorum privilegiorum hypothesi, hodie quoad ipsas potest jus commune in hunc modum determinari:

1° Non sunt exemptæ neque a jurisdictione Episcopi, neque etiam a jurisdictione parochi. Et habendæ sunt, non tanquam religiosæ, sed tanquam piæ parochianæ.

2° Ut possit vestis Tertiariarum ipsis impertiri, servandæ sunt supra enumeratæ conditiones. In hoc enim nihil est immutatum.

3° Ad regulares pertinet eas ad habitum recipere. Si quidem neque in hoc intervenit ulla juris immutatio.

4° Recipi in Tertiarias nequeunt, nisi obtenta Episcopi licentia; et ad Episcopum pertinet examinare, an adsint requisitæ conditiones, supra adscriptæ.

5° An Tertiariæ sejunctim viventes gaudeant privilegio fori, sintque proinde habendæ pro personis ecclesiasticis, olim disputatum est; sed respondendum est affirmative, si habeant conditiones requisitas a constitutione Leonis X et decreto supra citato, anni 1616 : secus, si conditionibus illis careant. *Inconcussam esse hodie* illam conclusionem asserit Cardinalis Petra (tomo 4, in constitutionem 15 Martini V, n. 14); et eam firmat sequenti decisione Sacræ Congregationis immunitatis ecclesiasticæ : *Tertiariæ gaudent privilegio fori..., quatenus habeant requisita constitutionis Leonis X, et decreti* (1) *S. Congregationis Episcoporum et regularium.*

VI. Formulam qua uti potest Episcopus pro danda licentia recipiendæ ad habitum Tertiariæ, tradit Monacelli (parte 1, tit. 16, form. 14).

(1) Intellige decretum supra a nobis transcriptum, anni 1616

Digitized by Google

§ III.

De Tertiariis quæ in congregatione vivunt, absque clausura et votis solemnibus.

PROPOSITIO I^a. — *Si attenderetur duntaxat ad constitutionem sancti Pii V, Tertiariæ collegialiter viventes absque clausura et votis solemnibus, non tantum nullis privilegiis gauderent, sed nec licite existere possent.* — Certum est laudatum Pontificem moniales ejusmodi de medio sublatas, atque omnino in posterum extinctas voluisse. Id evincunt apertissima hæc dictæ constitutionis verba : *Mulieres quoque, quæ Tertiariæ seu de pœnitentia dicuntur, cujuscunque fuerint ordinis, in congregatione viventes, si et ipsæ professæ fuerint, ita ut solemne votum emiserint, ad clausuram præcise ut præmittitur et ipsæ teneantur. Quod si votum solemne non emiserint, Ordinarii, una cum superioribus earum hortentur et persuadere studeant ut illud emittant, profiteantur, ac post emissionem et professionem eidem clausuræ se subjiciant. Quod si recusaverint, et aliquæ ex eis inventæ fuerint scandalose vivere, severissime puniantur. Cæteris autem omnibus sic absque emissione professionis et clausura vivere omnino volentibus, interdicimus et perpetuo prohibemus, ne in futurum ullam aliam prorsus in suum ordinem, religionem, congregationemve recipiant. Quod si, contra hujusmodi hanc nostram prohibitionem et decretum, alias receperint, eas ad sic vivendum omnino inhabiles reddimus.* Post illud S. Pii V decretum, nullam mulierem potuisse licite aut etiam valide recipi in ejusmodi congregationibus Tertiariarum, absque clausura et votis solemnibus viventium, unanimiter tenuerunt canonistæ, prout videre est apud Benedictum XIV (*Institutiones ecclesiasticæ*, instit. 105, n. 75). Imo et ita expresse declaratum fuisse auctoritate Pontificia refert idem Pontifex, in hunc modum : « In decretis evulga-« tis anno 1616, postquam sancita fuerunt ea, quæ jam « memoravimus, in mulieres tertii ordinis, quæ privatam in « suis domiciliis vitam traducunt, hæc statim adduntur : *Su-*

Digitized by Google

« *pradictis vero decretis mulieres tertii ordinis, quæ collegialiter* « *vivunt, non comprehendi : quinimo eas dispositioni constitutionis* « *Pii V... penitus subjacere expresse declarat...* » Hinc Rotarius (*Offic. curiæ ecclesiasticæ,* cap. 52, n. 6) sic concludebat : « Si hodie reperiantur Tertiariæ collegialiter viventes, debent « impediri, supprimi et annullari, nisi professionem emittant « cum quarto voto perpetuæ clausuræ. »

PROPOSITIO II^a^.—*A tempore S. Pii V usque ad Benedictum XIII, Tertiariæ, collegialiter absque clausura viventes, a sede Apostolica fuerunt toleratæ, et sub Ordinariorum jurisdictione relictæ.*— Ad terminos scilicet constitutionis S. Pii V, extingui debuisset Tertiariarum, clausura et votis solemnibus carentium, institutum. De facto tamen haud fuit extinctum : imo ingens postmodum ubique locorum hujusce instituti conventuum numerus. Id autem contigisse dicimus, non per expressam ullam (usque ad Benedictum XIII) dictæ Pianæ constitutioni derogationem, sed per meram sedis Apostolicæ tolerantiam. Eas scilicet Tertiarias, toto illo temporis tractu, toleravit sedes Apostolica, et Episcoporum jurisdictioni subjectas reliquit. Id paucis firmemus.

1° Quod existere et propagari perrexerint ejusmodi Tertiariæ, non obstante S. Pii V bulla, satis testantur hæc laudati Benedicti XIII verba : « Tertiariis prædictis emisso solo ca- « stitatis voto collegialiter viventibus, haud prohibemus, im- « mo exoptamus in Domino suaderi trium votorum, etiam « solemnium, emissionem, ipsamque clausuram, juxta propo- « situm constitutum 8 S. Pii V, incipiens *Circa pastoralis.* « Inhærentes tamen litteris Apostolicis superius memoratis « Julii II, in quibus Tertiariis S. Dominici collegialiter vi- « ventibus permittitur emittere tria vota, declaraturque per « hæc ipsa, *ad clausuram minime teneri, aut ad officium divi-* « *num, magis quam ex regula tertii habitus;* ac aliis Clementis IX « *(alias propositis,* 10 decembris 1667), in quibus Tertiariæ « collegialiter viventes ad clausuram nullatenus compellun- « tur; attendentes insuper, per annos, ut accepimus, centum

Digitized by Google

« et sexaginta ab edita dicta constitutione Pii V, et per sæ-
« culum et ultra post decretum Congregationis Episcoporum
« et regularium emanatum 20 decembris 1616, ejusmodi
« Tertiarias collegialiter viventes pluribus in locis, scientibus
« ac tacentibus Ordinariis, floruisse ac etiamnum florere sine
« clausura, declaramus, volumus et mandamus, easdem ad
« neutram (*intellige neque ad clausuram, neque ad votorum so-*
« *lemnium emissionem)* absolute teneri, aut esse compellen-
« das : non obstantibus contrariis... » (Bulla *pretiosius*, § 38, 7 calendas junii 1727.) Ex hoc documento patet non fuisse extinctas dictas Tertiarias post S. Pii V constitutionem.

2° Nihilominus, ante Benedictum XIII, sedes Apostolica eas duntaxat toleravit, non autem expresse approbavit, nec S. Pii V constitutioni expresse derogavit. Equidem Benedictus XIII, in citata constitutione, allegat litteras Apostolicas Clementis IX (*alias propositis*, 10 decembris 1667). Sed istæ litteræ non plus supponunt quam meram tolerantiam, ut lectori patebit, si ipsas adeat. Unde usque ad Benedictum XIII S. Pii V constitutioni a sede Apostolica non fuit expresse derogatum. Attamen istæ Tertiariæ tolerabantur, et sub Ordinariorum jurisdictione relinquebantur. « Sedes Apostolica « (inquit Benedictus XIV) ita se gessit, ut easdem Tertiarias, « non quidem sua auctoritate probaret, sed illas toleraret, et « Episcopis subjectas declararet. » (*Inst. eccles.*, inst. 105, n. 76.) Idem constat ex variis S. Congregationum declarationibus; e quibus sequentem adduxisse satis erit. Cum nempe in diœcesi Sarzanensi, quoad quemdam conventum monialium, sancti Francisci instituto addictarum, sed absque clausura et solemnibus votis degentium, dubium moveretur num esset ab Episcopi jurisdictione exemptus, a S. Congregatione Concilii, 30 januarii 1723, responsum est : *Conservatorium esse subjectum omnimodæ jurisdictioni Episcopi, citra tamen approbationem Sacræ Congregationis quoad dictum conservatorium.* Ubi notanda est clausula hæc, *citra tamen approbationem :* per illam quippe impediebat S. Congregatio, ne hæc sua declara-

Digitized by Google

tio *indirectam approbationem* dicti conventus involveret. Ex quo patet, hanc fuisse mentem sedis Apostolicæ, ut ejusmodi conventus toleraret, quin tamen expresse derogaret sancti Pii V decreto, cui conventus illi adversantur. Citatum S. Congregationis responsum reperies in *Thesauro resolutionum* (causa *Lunensis-Sarzanensis*, 30 januarii 1723, tom. 2, pag. 270, edit. Urbini 1739).

PROPOSITIO III[a]. — *Constitutiones Benedicti XIII, quibus ejusmodi Tertiarias positive approbavit et exemptas decrevit, fuerint revocatæ : ita ut hodiedum dictæ Tertiariæ toleratæ duntaxat, et Episcopis subjectæ censendæ sint.* — Citata bulla *pretiosus* Benedicti XIII, ejusmodi Tertiariarum apertam approbationem revera continebat, et æquivalenter S. Pii V bullæ derogabat. Et in constitutione *Paterna sedis*, 20 decembris 1725, idem Pontifex priscum exemptionis privilegium generatim quoad Tertiariorum et Tertiariarum familias renovaverat.

At vero constitutiones istas revocavit Clemens XII (bulla *Romanus Pontifex* 30 martii 1732). Et sic restitutum est quoad Tertiarias jus commune ante Benedictum XIII vigens. Nec, quod sciam, ab illo tempore jus illud fuit ulla generali sedis Apostolicæ dispositione immutatum (1). Unde hodiernum jus, quoad ejusmodi Tertiarias, in congregatione absque clausura et votis solemnibus degentes, videtur determinandum hoc modo : 1° Tertiariæ illæ non sunt habendæ tanquam *approbatæ*, sed duntaxat tanquam *toleratæ*. 2° Subjacent omnimodæ Ordinariorum jurisdictioni. Quas tamen conclusiones intellige cum hac limitatione : nisi aliquæ ex istis congregationibus, a tempore Benedicti XIII aliquid amplius a sede

(1) Die 22 martii 1749 (in *Januensi, Thesaurus resolut.*, t. 18, pag. 28, edit. Romæ 1750) sic adnotabatur : « S. Pius V... collegia harum puellarum, quæ *Tertiariæ* dicuntur, quæque nec clausuram servant, nec solemnia vota emittunt, prohibuit : et licet nundum, ut jubet constitutio, sublata fuerint, nundum tamen fuere approbata. Tolerantur quidem, ita vero ut Episcoporum subsint jurisdictioni. »

Digitized by Google

Apostolica obtinuerint, quod ego ignoro an contigerit, quodque ipsis probare incumbit documentis idoneis, si forte cum Episcopo contendant ut ipsius ordinariam jurisdictionem declinent.

Nota. — An autem ejusmodi Tertiariæ, toleratæ (ut præfertur), sed non approbatæ, status religiosi essentiam habeant, expendendum remittimus ad caput sequens, ubi quæstio movebitur simul et de aliis monialibus, pariter toleratis et non approbatis.

§ IV.

De Tertiariis quæ in congregatione vivunt cum clausura et votis solemnibus.

De his nulla esse potest difficultas, ipsis nempe applicandum venit jus commune, quo reguntur cætera instituta monialium, in quibus vota solemnia nuncupantur. De iis tamen sub distincto paragrapho mentionem facimus, ne, ob nominis similitudinem, ad ipsas lector perperam extendat ea quæ modo diximus, cum de Tertiariis sejunctim viventibus, tum de Tertiariis, collegialiter quidem, sed absque clausura et votorum solemnitate degentibus. Quamvis enim a principio tertia regula sancti Francisci, et aliorum ordinum religiosorum pro iis condita sit, qui in sæculo remanere debebant, nihilominus meliora paulatim charismata æmulantes ejusmodi Tertiariæ, primum in congregationem sese adunarunt; tum et ad professionem cum votis solemnibus devenere. Et sic *tertia* regula *secundæ* par effecta est, et veluti nova ipsius forma. Unde hujusmodi Tertiariis applicandum est jus commune, quibus subjacent omnes generaliter moniales, cum votis solemnibus professionem emittentes.

§ V.

De conditione canonica virorum qui Tertiarii nuncupantur.

Triplicem ipsorum speciem distinguere necesse est. Vel enim in congregatione vivunt et vota solemnia emittunt; vel,

Digitized by Google

quamvis vota solemnia non emittant, vivunt tamen in monasteriis regularium, quorum tertiam regulam sectantur : vel tandem extra claustra degunt.

I. Si efforment congregationem cum votis solemnibus a sede Apostolica approbatam, jam veris regularibus accensendi sunt, quamvis Tertiarii vocentur; et ipsis applicandum venit jus commune, proprie dictos religiosos ordines concernens.

II. Si congregationem ipsi inter se non efforment, sed tamen morentur in claustris regularium, et collegialiter cum ipsis sub obedientia superioris regularis vivant, ad terminos supra memoratæ constitutionis Leonis X, gaudent exemptione et privilegiis, de quibus in ista bulla.

III. Si extra claustra morentur, ut veros sæculares eos esse habendos, exceptis nonnullis privilegiis religionis, quæ jus parochiale non vulnerent, vide apud Cardinalem Petra (tomo 4, in constitutionem 15 Martini V).

CAPUT II.

DE CÆTERIS, PRÆTER TERTIARIAS, MONIALIBUS IN CONGREGATIONE DEGENTIBUS, ABSQUE CLAUSURA ET VOTORUM SOLEMNITATE.

Cum sæpe apud canonistas, et in causis ad S. Congregationes Romanas delatis, de certis monialium conventibus agatur sub *conservatoriorum* nomine, dicemus *primo* quid denominatione illa proprie sit intelligendum. *Secundo* ostendemus, sicut Tertiarias, ita et omnes alias congregationes monialium absque clausura et votis solemnibus degentium, de jure communi hodie esse toleratas, non autem approbatas; et simul expendemus quid juris sequatur quando a Romano Pontifice expresse approbatur regula, aut vivendi modus ejusmodi monialium, cum clausula *citra approbationem conservatorii*. *Tertio* exquiremus num ejusmodi moniales, etsi duntaxat toleratæ, veræ religiosæ esse possint, seu status religiosi essentiam habere.

Digitized by Google

§ I.

Conservatoriorum nomine comprehendi solent conventus omnes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium.

Inditum initio videtur hocce *conservatorii* nomen iis solis domibus, in quibus colligebantur puellæ pauperes, parentibus orbatæ, ut ipsarum innocentiæ ac honestati consuleretur : quibus regendis domibus præpositæ ut plurimum fuere piæ mulieres, collegialiter sub aliqua regula viventes, absque clausura tamen et votorum solemnitate. « Conservatoria, in- « quit Monacellus..., tolerantur ad custodiendam honestatem « puellarum pauperum virginum, ac patre vel matre caren- « tium. » (Parte 1, tit. 6, formula 19, adnotatio 19.)

Invaluit tamen usus, ut denominatio hæc extenderetur ad omnes omnino conventus mulierum, ad instar monialium, sed absque clausura et votis solemnibus degentium; et sive mulieres istæ sint Tertiariæ, sive Oblatæ, sive alterius instituti cujuslibet. Esse communiter a canonistis et apud S. Congregationes Romanas receptam generalem hanc vocis *conservatorii* acceptionem, facile compertum habebit lector percurrendo apud Benedictum XIV, Cardinalem Petra et alios doctores, varia loca, in quibus de conservatoriis agunt; pro quibus reperiendis locis, satis erit in eorumdem auctorum indicibus alphabeticis adire *conservatorii* vocabulum. Hic unum duntaxat e recentioribus adduxisse satis erit : « Conservatoria, inquit « Ferrari, sunt quædam congregationes puellarum sive mu- « lierum, quæ habitu peculiari indutæ, sub aliqua regula « pro earum securitate collegialiter vivunt, nullis emissis « votis, vel votis tantum simplicibus emissis, sed sine lege « clausuræ. Hujusmodi conservatoria quandam monasteriorum « imitationem continent; sed neque expresse, neque tacite a « S. Sede probantur, eo quod adversantur bullæ S. Pii V « *Circa pastoralis*... Sed nihilominus ab eadem S. Sede tole-

Digitized by Google

« rantur. » (*Summa institutionum canonicarum*, pag. 173, edit. Genuæ 1847.)

§ II.

Monialium absque clausura et votis solemnibus degentium congregationes omnes, de jure communi hodie habendæ sunt tanquam toleratæ duntaxat, non autem tanquam approbatæ.

ARGUITUR I. — Ex probatis supra (parte 2, sectione 1, cap. 3, propositione 2 et 3). Ibi nempe ostendimus, congregationes illas omnes haberi tanquam contrarias constitutioni *Circa pastoralis* sancti Pii V. Equidem constitutio illa loquitur duntaxat de *Tertiariis;* sed quia Pontifex non alia de causa sublatas eas Tertiarias voluit, quam quod ipsarum conventus clausuram et votorum solemnitatem non haberent, ob rationis paritatem merito huic prohibitioni subjacere illas etiam mulierum congregationis, clausura et votorum solemnitate carentes, pro certo tenuerunt doctores communiter. Quod patet præcipue ex ipsorum loquendi modo de conservatoriis. Nam sub hac denominatione comprehendunt congregationes et conventus omnes mulierum absque clausura et votis solemnibus degentium ; et dicunt ejusmodi conservatoria dictæ sancti Pii V constitutioni adversari. At non minus certum est jamdudum ex usu Ecclesiæ moderatum fuisse huic sancti Pii V rigorem. Tolerantur nempe a sede Apostolica ejusmodi conservatoria seu congregationes monialium clausura et votorum solemnitate carentium. At bene notandum est eas de jure communi *tolerari* duntaxat, non autem *approbari*. Id certum faciunt, tum communis doctorum ea de re sententia, tum præcipue Romanarum Congregationum, et sedis Apostolicæ praxis. Nam frequens est multa Romæ decerni quoad præfata conservatoria, et varias ipsis gratias et facultates impertiri ; quod certe non fieret si sedes Apostolica pro illicitis hosce conventus haberet, velletque sancti Pii V prohibitionem urgere ; unde *tolerantiam* saltem arguit ille agendi modus.

Digitized by Google

Quod tamen dictæ congregationes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium non habendæ sint tanquam *approbatæ*, arguit clausula *citra approbationem conservatorii*, quæ perseveranter ad nostra usque tempora solet adjungi, dum aliquid Romæ de illis conventibus decernitur. « Quæ « clausula, inquit Cardinalis Petra, semper apponitur, dum « aliqua quoad conservatoria determinat (S. Congregatio), « cum ea approbare neque tacite, neque expresse voluerit. » (Tomo 3, pag. 165, edit. Venet. 1741.) Imo addi solet clausula illa etiam quando *approbatur regula* seu vivendi modus alicujus congregationis monialium, clausura et votis solemnibus carentium ; prout constat ex bulla *quamvis justo* Benedicti XIV (30 aprilis 1749, in ejus Bullario, tomo 3, n. 7). Cujus Pontificiæ constitutionis operæ pretium visum est analysim quamdam hic breviter subnectere, quia totam illam de monialibus, clausura et votorum solemnitate carentibus, quæstionem optime illustrat, et communem doctorum ea de re sententiam plene confirmat.

ARGUITUR II.—*Ex bulla* quamvis justo, *Benedicti XIV*.—Huic bullæ occasionem præbuit controversia inter Augustanum Episcopum, et moniales quasdam, quæ *Anglicanæ* vocabantur, exorta. Ad cujus litis intelligentiam nonnihil de virginum illarum Anglicanarum instituto et exordiis attingendum est. Migraverant olim in Germaniam, fugiendæ persecutionis causa, nobiles quædam virgines catholicæ, atque ibi ad formam vitæ communis adunatæ, et constitutis sibi nonnullis pie vivendi regulis, tum variis aliis pietatis operibus, tum educandis præcipue puellis incumbebant (bulla *quamvis justo*, § 4). Propagatum inde varia in loca institutum. Sub Pontificatu demum Innocentii XII, cum nonnullorum tam ecclesiasticorum quam sæcularium Germaniæ principum ad sedem Apostolicam delatæ fuissent preces, quibus hujusce virginum Anglicanarum instituti confirmatio petebatur, prævio S. Congregationis Concilii examine, « approbatæ fuerunt prædictarum virginum regulæ ; earumque approbatio deinde la

Digitized by Google

« Clemente Papa XI confirmata fuit, cum is Apostolicas lit-
« teras edidit, incipientes, *inscrutabili*, datas sub annulo Pi-
« scatoris, die 13 julii anni 1703. » (Ibidem, § 2, n. 8.) Valde autem notanda est clausula, quæ huic Clementis XI approbationi adjecta fuit : « Ipsis litteris, inquit Benedictus XIV, ap-
« posita legitur clausula salutaris, videlicet : *Cæterum non in-*
« *tendimus per præsentes ipsum conservatorium in aliquo appro-*
« *bare :* quæ tunc apponi consuevit, cum approbantur seu
« confirmantur regulæ alicujus conservatorii, aut monasterii
« mulierum, sine clausura viventium, contra præscriptum
« decretalis Bonifacii VIII, et decretorum concilii Tridentini,
« necnon constitutionis S. Pii V, quæ incipit *Circa pastora-*
« *lis.* » (Bulla *quamvis justo*, § 5.) Unde Clemens XI approbavit quidem et confirmavit regulas et vivendi modum virginum Anglicarum, sed ipsarum conventus non approbavit. Tempore autem Benedicti XIV, exstabant in Augustana diœcesi duo hujusce instituti monasteria, seu potius conservatoria : unum in ipsa civitate Augustæ Vindelicorum, alterum Mindelheimii. Utrique Augustanus Episcopus injunxerat, ut suam ordinariam auctoritatem agnoscerent. Paruit conservatorium Augustanum : at non item conservatorium Mindelheimii, se subjectum contendens auctoritati generalis superiorissæ, in alia diœcesi (Monachii nempe) commorantis. Nec una erat totius congregationis superiorissa generalis, sed plures; ita nempe ut unaquæque in aliquot sibi subjectos conventus supremam hanc generalis superiorissæ auctoritatem exerceret. Ad dirimendam autem supra memoratam cum Augustano Episcopo controversiam, solvendæ fuerunt duæ sequentes quæstiones : « utrum ejusmodi virgines pro veris religiosis
« haberi debeant, ac vota, quæ ab ipsis fieri dicuntur, so-
« lemnia, an potius simplicia censenda sint ; et an ordinariæ
« jurisdictioni Episcoporum, in quorum diœcesibus earum
« conservatoria sita sunt, subjecta esse debeant. » (Bulla *quamvis justo*, § 13.) Porro quæstionis utriusque resolutio, a Benedicto XIV confirmata, sic se habet : *Virgines Anglicanas*

Digitized by Google

non esse vere religiosas : promissiones, quæ ab ipsis emittuntur, non esse ad summum nisi vota simplicia ; et transmittendam esse formam et notificanda verba, quibus dictæ promissiones emittuntur :... Virgines Anglicanas, earumque cœtus esse jurisdictioni ordinariæ Episcoporum subditos, in quorum diœcesibus sunt (bulla *quamvis justo*, § 13).

Virgines autem illas vere religiosas non esse, nec pro solemnibus habenda ipsarum vota, non tantum auctoritate Pontificia pronuntiat Benedictus XIV, sed insuper rationes, quæ id palam faciant, deducit in hunc modum : « Si enim ad es- « sentiam status vere religiosi requiritur, ut religio seu ordo « in hujusmodi statu Apostolicæ sedis confirmatione stabiliatur « (juxta canonicas sanctiones, de quibus in capite unico *de religiosis domibus*, in 6), nec sufficit ab eadem Apostolica sede « obtinuisse duntaxat approbationem et confirmationem re- « gularum, quas aliqua virorum aut mulierum societas sibi « observandas præscripserit ; si vota paupertatis, obedientiæ « et castitatis ab Anglicanis virginibus emissa ad formam re- « gularum a Clemente XI approbatarum, conjuncta dici ne- « queunt cum expressa aut tacita professione in aliquo or- « dine per sedem Apostolicam in statu veræ religionis, ut « præfertur, approbato ; clare patet et statum virginum An- « glicanarum non esse statum veræ religionis, et vota quæ ab » ipsis fiunt, simplicia ad summum vota, non vero solemnia « censeri debere, ad tramites decretalis Bonifacii Papæ VIII, « quæ unica exstat sub titulo *de voto et voti redemptione*, in 6. « Quod item earum vota, simplicia, non solemnia dicenda « sint ex ipsis verbis constitutionum ab eodem Clemente XI « pro illis approbatarum eruitur ; siquidem ibi sic legitur : « *Licet regulæ nostræ non tendant ad statum sive ordinem religiosum, tria tamen vota emitti solita, paupertatis, obedientiæ « et castitatis, veluti triplicem vivendi modi murum, omnes pe- « culiari studio conservare studeant.* » (Bulla *quamvis justo*, § 13 et 14.)

Postea pronuntiat Benedictus XIV, virginum Anglicarum

Digitized by Google

conventibus, aut generali eorumdum superiorissæ, nullam competere a locorum Ordinariis exemptionem; nec posse proinde generalem ejusmodi superiorissam quidquam in subjectis sibi conventibus peragere, nisi dependenter ab Episcopis, in quorum diœcesibus conventus illi exstant : ita nempe ut dictæ generalis superiorissæ auctoritas intelligenda sit « ad « terminos œconomicæ cujusdam providentiæ, nec nisi cum « perpetua dependentia ab ordinaria Episcoporum auctori- « tate exercendæ, redacta. » Et tandem in particulari determinat Pontifex, quid possit aut non possit generalis illa superiorissa, quoad conventuum sibi subjectorum regimen. De qua speciali dispositione recurret sermo, ubi jus commune expendemus quoad hodiernas Galliæ mulierum congregationes, quæ ab aliqua generali superiorissa reguntur. Hæc est constitutionis *quamvis justo* summa.

Remanet ut illam, valde attendendam, Benedicti XIV bullam in confirmationem convertamus doctrinæ, quam præsenti capite tuemur.

1° Probat bulla ista, non tantum Tertiarias, sed congregationes omnes monialium absque clausura et votis solemnibus degentium, habendas esse tanquam contrarias sancti Pii V constitutioni.

2° Item probat jamdudum congregationes illas jure communi *tolerari* ab Ecclesia, ac proinde eas non esse illicitas, prout forent si plene vigeret dicta sancti Pii V constitutio.

3° Easdem congregationes de jure communi non habendas esse pro *approbatis,* sed duntaxat pro *toleratis*, etiamsi regulæ ipsarum ac vivendi modus a sede Apostolica approbentur et confirmentur.

4° An autem, non obstante conditione illa *meræ tolerantiæ*, possint ejusmodi congregationes status religiosi essentiam habere, expenditur sequenti paragrapho.

Digitized by Google

§ III.

An congregationes monialium, clausura et votis solemnibus carentium, licet simpliciter toleratæ, et non approbatæ, status religiosi essentiam habere possint.

Prænotandum. — 1° Non est hic quæstio de congregationibus quæ vel nulla vota, vel temporaria duntaxat emitterent : certum quippe est ejusmodi congregationibus deesse unum ex essentialibus status religiosi, triplicis nempe substantialis voti perpetuitatem. 2° Item quæstio non est de congregationibus quæ perpetua quidem vota simplicia emitterent, sed a nullo rite acceptanda ; quia et hæ certe carent essentiali status religiosi conditione. Nam, ut supra (p. 1, s. 2) probatum fuit, ad status religiosi rationem necesse est, ut vovens sese totum Deo tradat, ipsius servitio sese mancipando, et ut aliquis nomine Dei traditionem hanc ita acceptet, ut merito existimari possit a Deo ipso acceptationem illam ratam haberi. Et hæc quidem traditio et acceptatio censetur adesse, verbi gratia, quoties emittuntur in perpetuum tria substantialia vota, et emissio hæc *auctoritate Ecclesiæ* acceptatur. 3° Hinc præsens quæstio tota vertitur circa illas congregationes, quæ duobus illis conditionibus non carent ; id est, in quibus et emittuntur, et auctoritate ecclesiastica rite acceptantur tria vota perpetua. Et de his in præsentiarum exquiritur, utrum a status religiosi essentia deficiant, ex eo quod sint *toleratæ* duntaxat, et non *approbatæ*.

I. *Afferuntur rationes quæ suadent, dictas congregationes status religiosi essentia carere.*—1° Quamvis doctores communius admittant, de *jure divino* necessariam non esse Ecclesiæ approbationem ad constituendum religiosum statum, unanimiter tamen tradunt approbationem hanc, de *jure* saltem *ecclesiastico*, omnino requiri : sed dictæ congregationes hanc approbationem non habent, et quamvis tolerentur, non tamen possunt cum veritate dici *de approbatis* : ergo nequaquam censendæ sunt religiosi

Digitized by Google

status essentiam habere. 2° Est doctrina apud auctores communiter recepta, moniales conservatoriorum, id est, conventuum clausura et votis solemnibus carentium, non esse veras moniales seu *veras religiosas*. Et tamen simul docent iidem auctores, moniales illas *tolerari* ab Ecclesia : ergo existimant dictas congregationes mere toleratas essentia status religiosi carere, etiamsi apud ipsas tria vota perpetua emittantur et rite acceptentur. 3° Accedit Benedicti XIV auctoritas. Nam in bulla sua *quamvis justo* (1), ut probet virgines quasdam, quæ *Anglicanæ* vocabantur, non esse *veras religiosas*, hanc rationem affert : ad *essentiam status vere religiosi* requiri, ut religio seu ordo *in hujusmodi statu* Apostolicæ sedis confirmatione stabiliatur : imo nec sufficere ut alicujus societatis regulæ Pontificiam approbationem obtinuerint ; sed requiri ut societas ipsa tanquam status religiosus approbetur. Ergo, juxta clarissimum Pontificem, *ad religiosi status essentiam* non sufficit congregationem aliquam *tolerari* ab Ecclesia : imo nec sufficit ejus regulas approbari ; sed necesse est congregationem ipsam positive approbari in ratione *religionis*, seu *status religiosi*. 4° Si dictæ congregationes, simpliciter toleratæ, status religiosi essentiam habere possent, iidem sequerentur effectus ac si forent approbatæ : inutiliter proinde et absone sedes Apostolica, dum aliquid disponit quoad ejusmodi congregationes, tam sedulo clausulam apponeret, *citra approbationem conservatorii*. Quod cum dici nequeat, concludendum est, id præcise intendi a sede Apostolica, sic *tolerante*, et tamen approbationem denegante, ut impediat ne congregationes illæ status religiosi essentiam habeant.

II. *Afferuntur rationes quæ dictis congregationibus status religiosi essentiam vindicare videntur.* — Recordetur lector, prout initio paragraphi monuimus, agi de monialium congregationibus, clausuram quidem et vota solemnia non habentibus, et toleratis duntaxat, sed in quibus emittuntur tria vota perpetua,

(1) Textum illum transcriptum habes sub præcedenti paragrapho.

Digitized by Google

et in quibus vota hæc rite acceptantur auctoritate ecclesiastica, per diœcesanum (verbi gratia) Episcopum. Porro ejusmodi congregationibus non deesse status religiosi essentiam, sequentibus argumentis suaderi potest :

Ab essentia status religiosi deficerent dictæ congregationes, vel ob carentiam votorum solemnium, vel ob carentiam clausuræ, vel ob carentiam status perfectionis, vel tandem ob carentiam approbationis. Atqui nullum ex his dici potest.

Primo, statum religiosum in iis congregationibus non impedit votorum solemnium carentia. Etenim in prima tractatus parte probavimus ad essentiam status religiosi non pertinere votorum solemnitatem. Et Gregorius XIII expresse declaravit scholasticos societatis Jesu esse vere religiosos, quamvis simplicia duntaxat vota emiserint. Equidem ante præfatum Pontificem nonnulli canonistæ votorum solemnitatem statui religioso essentialem existimarunt : ast opinio hæc, post memoratam Gregorii XIII definitionem, rejici debuit; et de facto unanimiter rejecta est. Ut adeo, qui hodie vellet eam sustinere, a sana doctrina prorsus aberrare censendus foret.

Secundo, status religiosi essentiam in dictis congregationibus non impedit carentia clausuræ. Etenim fatentur omnes clausuram non esse statui religioso necessariam nisi de jure ecclesiastico, non autem de jure naturali seu divino. Unde si Ecclesia clausuram monialibus non injunxisset, possent omnes illam non servare, quin e status religiosi essentia deciderent. Ergo ideo tantum hodie clausuræ carentia statum religiosum in dictis congregationibus impediret, quia, post injunctam de facto monialibus omnibus clausuram, congregationes illæ inobedientes forent Ecclesiæ præcepto, et sic jam non essent in statu perfectionis, nec proinde in statu religioso. Sed falsum est clausuræ præceptum ad congregationes illas extendi. Hoc ipso enim quod *tolerentur* absque clausura, sedes Apostolica derogat quoad ipsas huic præcepto. Unde vi solius tolerantiæ, eximuntur ab isto præcepto, et licite illud non servant.

Digitized by Google

Tertio denegandus ipsis non est status religiosus, ex eo quod essentialia status perfectionis non habeant. Nam in prima tractatus parte ostendimus totam status perfectionis essentiam in voto perpetuo triplicis consilii evangelici contineri. Cum ergo dictæ congregationes votum illud habeant, non est cur eis perfectionis status denegetur, nisi forte simul aliquid illicitum aut ab Ecclesia prohibitum ipsarum vivendi norma involveret. Sed ipsarum institutum, etsi non approbetur, toleratur tamen ab Ecclesia; ac proinde licitum est et nihil ab Ecclesia prohibitum involvit. Unde tandem si congregationes illæ a status religiosi essentia deficiant, id provenire nequit nisi ex defectu approbationis. Tota nempe difficultas in eo est, an ad essentiam status religiosi requiratur approbatio. Si enim requiratur, clarum est congregationes illas, quæ illa carent, et sunt tantummodo toleratæ, non censendas esse in statu religioso constitutas. Sed

Quarto neque ob carentiam approbationis dictæ congregationes dicendæ sunt a status religiosi essentia deficere. Id constabit, si probentur hæc duo : 1° approbationem Pontificiam quoad ordines religiosos non requiri nisi ex lege ecclesiastica : 2° huic legi derogatum fuisse quoad congregationes de quibus loquimur. Atqui utrumque probari potest. Et 1° quidem approbatio non requiritur nisi ob legem ecclesiasticam, quæ prohibuit ordines approbatione illa destitutos. Non negatur, a tempore Innocentii III, prohibitos fuisse religiosos quoslibet ordines approbatione Pontificia carentes. Prohibitionem hanc clare exprimunt decretalis *ne nimia* (cap. 9, tituli 36, libri 3 decretalium), et decretalis *religionum* (capite unico, *de religiosis domibus,* in 6). Item non negatur ordines Pontificia approbatione carentes, ex tunc evasisse illicitos; ac proinde eos jam non habuisse essentiam status perfectionis, nec consequenter essentiam status religiosi. Sed dicimus id provenisse ex dicta lege *ne nimia*, in concilio Lateranensi lata, non autem ex natura ipsa status religiosi. Attenta nempe sola status religiosi essentia, et abstrahendo a

Digitized by Google

dicta lege approbationem Pontificiam exigente, tota stare posset absque approbatione illa, status religiosi substantia. Id supra probavimus (parte 1, sectione 2, propositione 10); ubi et rem illustravimus exemplo impedimenti clandestinitatis relative ad matrimonium. Publicitas ex essentia matrimonii non requiritur. At posita lege ecclesiastica, quæ illam exigat sub pœna nullitatis matrimonii, jam necessaria evadit ad matrimonialis contractus valorem. Pariter approbatio Pontificia ad essentiam status religiosi non pertinet. Nihilominus si Ecclesia quamlibet prohibeat status religiosi formam a se non approbatam, sub nulla forma stare poterit status religiosi essentia, nisi dicta approbatio accesserit. Et quemadmodum sublato clandestinitatis impedimento, iterum dari posset verum matrimonium absque publicitate, ita si revocaretur ecclesiastica lex Pontificiam approbationem exigens, iterum stare posset absque illa approbatione verus status religiosus. Et hanc doctrinam tuentur doctores quam plurimi. Unde status religiosi essentia ob defectum approbationis Pontificiæ non impeditur, nisi sola vi legis ecclesiasticæ; quæ lex ecclesiastica si non existeret, tota stare posset status religiosi substantia in aliquo instituto non approbato. 2° Dictæ legi ecclesiasticæ derogatum est quoad monialium congregationes de quibus loquimur. Nam congregationes istæ sunt simul *toleratæ* et *non approbatæ*. Ergo Ecclesia vult eas esse licitas, quamvis non approbatas : ergo quoad ipsas revocat prohibitionem, qua illicitam antea fecerat quamlibet non approbatam status religiosi formam : ergo de illarum congregationum conditione judicandum est perinde ac si non existeret ecclesiastica illa lex, approbationem exigens. Cum ergo aliunde cætera habeant ad essentiam status religiosi requisita, censeri debent veri status religiosi substantiam possidere.

Remanet ut rationibus in contrarium allatis respondeatur. 1° Ad ratiocinium quo dicebatur, de jure saltem ecclesiastico requiri Pontificiam approbationem, ut stare possit religiosi status essentia; illa autem approbatione destitui congregatio-

Digitized by Google

nes mere toleratas; respondetur : requiritur quidem quandiu huic juri ecclesiastico non derogatum fuerit. At quoad congregationes de quibus loquimur intervenit derogatio; siquidem Ecclesia eas declarat *toleratas,* ac proinde licitas, quamvis non approbentur. 2° Quod autem auctoribus solitum sit dicere, moniales conservatoriorum, seu congregationum clausura et votis solemnibus carentium, non esse *veras religiosas,* vim non habet. Nam multi auctores per *veras religiosas* eas intelligunt quæ solemnium votorum emissione profitentur. In quo sensu revera veræ religiosæ non sunt moniales absque clausura et votis solemnibus degentes. Sed hoc non impedit quin status religiosi essentiam cum votis simplicibus perpetuis habere possint; siquidem a tempore Gregorii XIII, ut diximus, omnino certum evasit, votorum solemnitatem ad status religiosi essentiam non pertinere. 3° Ad textum Benedicti XIV quod attinet, fatendum est non parvam ex illo difficultatem oriri. Responderi tamen potest, ibi laudatum Pontificem, per locutiones has, *statum vere religiosum,* et mulieres *vere religiosas,* designare voluisse religiosum statum cum votis solemnibus conjunctum. Ut enim jam pluries diximus, usurpari solet apud auctores locutio hæc status *vere religiosi,* ad designandos ordines, in quibus professio fit per *vota solemnia;* ad distinctionem eorum, in quibus simplicia duntaxat vota emittuntur (1). Et tamen certum est status religiosi essentiam stare posse cum solis votis simplicibus. De eodem autem Benedicti XIV textu, in quantum innuit, ad status religiosi essentiam requiri, ut sedes Apostolica, non tantum ordinem approbet, sed *expresse* et formaliter eum in *statum religiosum* erigat et confirmet, jam disseruimus supra (parte 2, sectione 1, capite 4, propositione 3). 4° Ex eo quod monialium de quibus

(1) Hoc sensu Benedicti XIV verba intellexisse videtur Guerra; siquidem bulla *quamvis justo* summam concinnans, sic habet : « Examinat (Benedictus XIV) num « illæ (virgines Anglicanæ) sint veræ religiosæ; sed cum vota tantum simplicia « edant, religiosæ dici non possunt. » (*Epitome bullarum Pontificiarum*, tomo 4, pag. 323, edit. Venet. 1772,)

Digitized by Google

agitur congregationes status religiosi essentiam habeant, non sequitur absone eas declarari a sede Apostolica mere *toleratas*, *non approbatas*. Nam, ad terminos constitutionis sancti Pii V, congregationes ejusmodi forent illicitæ, ac impediri deberent. Hujus porro dispositionis rigorem ita moderandum postea duxit sedes Apostolica, ut possent dictæ congregationes licite existere, et tamen non omnino revocaretur tam sancti Pontificis decretum. Et hæc assignari posse videtur ratio sufficiens, imo et prudentiæ plena, cur eas monialium congregationes *toleret* sedes Apostolica, et tamen *non approbet*. Quod autem congregationes illæ, sic toleratæ, et in quibus tria vota perpetua, licet simplicia, emittuntur et rite acceptantur, essentiam status religiosi habeant, et habere dicantur, nullum videtur inconveniens involvere.

III. *Quid ex rationibus pro et contra deductis inferendum videatur.* — Fateor mihi magis arridere rationes, quæ dictis congregationibus status religiosi essentiam vindicant. Et valde optarem ut opinio hæc accedente modernorum doctorum, et præsertim Romanarum congregationum auctoritate, certa evaderet : ad consolationem scilicet ejusmodi monialium, quæ non parum conturbantur, quando eis dicitur ipsas non esse *veras religiosas*, sed remansisse in statu *sæcularitatis*, non obstante triplici quod emittunt perpetuo voto, et ejusdem per legitimam auctoritatem acceptatione. Quod autem in multis regionibus rei catholicæ summopere utiles sint ejusmodi monialium familiæ, etsi clausura et solemnibus votis carentes, nec occurrere soleant ii abusus, qui sub sancto Pio V per clausuræ legem coercendi fuerant, longa jam testata est experientia; et innuunt insuper favores et gratiæ, quibus magis in dies, ejusmodi monialium congregationes sedes Apostolica benigne prosequitur.

Vereor tamen ne, iis congregationibus status religiosi essentiam adscribendo, excedere aliquatenus videar; præsertim cum auctores non pauci, de prædictis congregationibus loquendo, iis verbis usi sint, quæ contrariæ potius sententiæ

Digitized by Google

consonent. Quare hanc meam qualemcunque opinationem prætermittat lector, si contrariam eam reperiat receptæ a doctioribus, et præsertim a Romanis congregationibus doctrinæ.

§ IV.

Num hodie optandum foret, ut nonnullarum congregationum monialium, absque clausura viventium, vota pro solemnibus a sede Apostolica acceptarentur.

1° Certum est, juxta præsentem Ecclesiæ disciplinam, pro solemnibus non acceptari vota monialium quæ clausuræ legi non subjacent. Tridentini præsertim concilii tempore urgenda visa est quoad moniales omnes clausuræ obligatio. Imo sanctus Pius V, ut supra dictum est, exstinctas voluit quaslibet monialium congregationes huic obligationi non subjectas. Et quamvis subsecuti Pontifices rigorem hunc in praxi temperandum duxerint, et dictas moniales, clausuram haud profitentes, permanere permiserint, ipsarum tamen vota nonnisi simplicia esse voluerunt.

2° Aliunde autem, secluso jure positivo, stare posset votorum solemnitas absque clausura : posset nempe sedes Apostolica, si opportunum id existimaret, pro solemnibus acceptare etiam vota monialium absque clausura viventium. Quod enim vota dictarum monialium clausura carentium, in præsenti Ecclesiæ disciplina, solemnia non sint, haud provenit ex ipsa solemnitatis votorum essentia, sed ex mera Ecclesiæ dispositione, prout certum et extra controversiam positum supponimus.

3° Jam vero, cum valeat sedes Apostolica dictarum monialium, clausura carentium, vota solemnia reddere, occurrit dubium num forte, attentis hodiernorum temporum circumstantiis, optanda hodie sit hæcce disciplinæ immutatio. At nullus non lector perspiciet, esse hujusce dubii solutionem ipsiusmet sedis Apostolicæ judicio et prudentiæ relinquendam; nec decere a privato scriptore quidquam hac de re,

Digitized by Google

vel opinando, concludi. Hinc non ideo movendam præsenti paragrapho quæstionem hanc duxi, ut ejusdem solvendæ provinciam mihi absumerem (absit), sed duntaxat ut nonnulla de variis antiquorum et præsentium temporum circumstantiis adnotarem. Nempe

Tridentini concilii tempore collapsa in nimium multis monialium conventibus disciplina fuerat, et deflendi passim inducti abusus. Quos cum longa firmasset consuetudo, vix quidquam alia remedia profuissent, nisi imprimis rigidæ clausuræ circumvallatione reformatoriæ dispositiones munitæ fuissent. Hinc Tridentini Patres, eas etiam moniales, quæ in conventibus clausuram non servantibus professæ fuerant, huic legi adstrictas voluerunt. Et S. Pius V, præter clausuræ subjectas monialium congregationes, cæteras omnes exstingui decreverat. Cum nempe tunc reformatione tam multis in locis indigerent monialium familiæ, a permittendis earumdem congregationibus clausura carentibus, pro tempore abstinendum duxit Ecclesia.

At vero nunc, in toto ferme orbe catholico, eximia disciplinæ regularis observantia splendent sanctimonialium familiæ. Atque institutis clausuram profitentibus, morum integritate ac perfectionis studio vix cedunt quamplurimæ illæ recentius exortæ congregationes, quæ proprio suo instituto haud congruam dictam clausuræ legem existimarunt. Jam ergo subsistere non videtur præcipua illa inducendæ generalis reformationis ratio, ob quam Tridentini concilii tempore adeo rigide urgenda visa est, et ad omnes monialium conventus extendenda clausuræ disciplina.

Præterea quamplurimæ illæ hodiernæ monialium congregationes, clausura carentes, non ideo (ut olim) legem hanc a sua regula exclusam maluerunt, ut liberiori vitæ vacarent; sed duntaxat quia piis, quibus sese ex instituto devoverunt operibus, obstare clausuram canonicam merito existimarunt. Ex iis enim piis operibus, alia ex natura sua, alia ob novos inductos populorum mores novasque necessitates, clausuræ observan-

Digitized by Google

tiam non ferunt. Quis non videat, verbi gratia, eas monialium congregationes quæ hospitalibus deserviendo, pauperesve invisendo, tanto cum fructu rei catholicæ adlaborant, ipso facto sublatas fore, si clausuræ addicerentur? Item *Sacratissimi Cordis* Sorores, aliasque multas, educandis puellis tam felici exitu incumbentes, clausuræ subjicias, et jam vel ex solo isto impedimento corruent. Ii enim generaliter prævaluere mores, ut non patiantur parentes filias suas sub claustri lege educari. Proinde nisi præsto essent monialium conventus a dicta clausuræ lege liberos, sæculares magistras, cum ingenti rei catholicæ damno, pro instituendis filiabus suis adirent. Hinc quam merito sedes Apostolica, ejusmodi virginum, clausuram haud profitentium, congregationes, non tantum toleret, sed majoribus in dies laudibus et favoribus benigne prosequatur, ipse palam facit tam felix tamque constans rei exitus. In Galliis præsertim vix dici potest quanto juvamini in reparandis religionis catholicæ jacturis, ac denuo excitanda fide ac pietate, dictæ congregationes fuerint. Cum ergo hodie pertimescendi non sint prisci illi abusus qui legi clausuræ adigendas moniales omnes olim suaserunt, cumque aliunde ex dictis clausura carentibus monialium institutis tanta redundet utilitas, ut ea sedes Apostolica magis in dies fovenda et extendenda existimet, haud adeo mirum foret, ipsis a præfata Sede aliquando concedi pretiosam illam status religiosi coronidem, votorum solemnitatem. Cui concessioni forsan hucusque obstitit, non tam clausuræ defectus, quam prudentiales aliæ rationes, ex parte guberniorum et legum civilium desumptæ.

Digitized by Google

SECTIO II.

Conditio canonica regularium vi dispersorum.

Contingit identidem (non tamen præter altissimum Dei, electorum suorum virtutem et constantiam exercere volentis, consilium) ut, æstuante pravorum in sanctos persecutione, aut irruente politicarum perturbationum turbine, regionis alicujus religiosæ familiæ e sedibus suis violenter expellantur, domibus cæterisque bonis suis temporalibus spolientur, et quaquaversum dispersi collegialem instituti sui vitam interrumpere cogantur. Maximi porro interest, ad recte solvendas difficultates non paucas, veram nosse regularium, in hisce circumstantiis versantium, conditionem canonicam. Et præsertim quando per illum, qui imperat fluctibus et mari, sedata tempestas, eos sinit ad pristina sedium suarum loca remeare, atque ibi, aut derelictos conventus reassumere, aut novos sibi exstruere vel comparare, multa occurrere possunt dubia de respectivis Episcoporum et regularium illorum juribus, necnon de canonica in hisce instaurationibus servanda forma. Hinc sub præsenti sectione agendum visum est, 1° de regularibus in dispersione existentibus; 2° de iisdem ad pristina sua loca remeantibus.

CAPUT I.

DE CONDITIONE CANONICA REGULARIUM VI DISPERSORUM, DURANTE DISPERSIONE.

Agemus 1° de ipsorum obligationibus: 2° de ipsorum juribus.

Digitized by Google

§ I.

De obligationibus regularium dispersorum, durante dispersione.

PROPOSITIO I^a. — *Nequaquam censendi sunt a votis suis solemnibus soluti ; sed ea vota in suo robore permanent.* — Id declarat Pius VI in suo brevi ad Brunensium Episcopum, 3 calendas aprilis 1791 (Collection des brefs de Pie VI, avec traduction de M. Guillon, tome 2, page 544, édit. Paris 1798). Ibi nempe agens de quibusdam Carthusianis temporum calamitate dispersis sic habet : « Quisque debet versari in sæculo, « memor vocationis suæ, ejusque tenax disciplinæ et vitæ « regularis, cui se pridem adscripserit. Vota solemnia, *quæ* « *semper firma, semperque immota permanebunt*, custodiat et « servet. »

Constat insuper ex unanimi doctorum de votis solemnibus doctrina. Tenent scilicet ab hujusmodi votis solvi non posse religiosum, nisi sola romani Pontificis auctoritate : aliorum autem neminem posse in iis dispensare : imo nec ipsum Papam dispensationem hanc concedere posse *in sensu*, ut aiunt, *composito*, id est, ita ut religiosus adhuc remaneat verus religiosus ; sed tantum in *sensu diviso*, id est faciendo de monacho non monachum.

Probatur tandem conclusio, et quidem a fortiori, ex eo quod religionum etiam suppressarum professi votis suis nequaquam solvantur. Etenim nulla major excogitari potest religiosorum *dispersio*, quam ea quæ contingit, quando sedes Apostolica religiosum aliquem ordinem supprimit ac penitus extinguit. Et tamen in suo robore permanere solemnia vota religiosorum ejusmodi, quorum ordo supprimitur, est omnino certa et tenenda doctorum sententia, quam sic inter alios exprimit Cardinalis de Luca (*de regularibus*, parte 1, discursu 38, n. 16) : « Ex accidenti suppressionis religionis... « professi non efficiuntur sæculares, neque solvuntur a votis;

Digitized by Google

« quibus adhuc adstricti remanent; sed solum eis permittitur « vivere in sæculo, et in habitu clerici sæcularis, sub obe- « dientia Ordinarii; ex iis quæ, cæteris relatis, habentur « apud Donatum, *Rerum regularium* tomo 1, tractatu 8, q. 30, « n. 2, et q. 48. »

Frustra ergo ejusmodi regulares dispersi votorum suorum solemnium dispensationem ab Episcopo loci postularent. Atque hanc si Episcopus concederet, nulla prorsus foret atque irrita concessio; prout in citato brevi docet etiam Pius VI: « Hinc facile intelliges, inquit, nos minime iis assentiri, qui « dispensationem a votis solemnibus postulant... Cave igitur « ne dispensatio hujusmodi, qua decor et pulchritudo domus « Dei pollueretur, audiri contingat in Ecclesia. *Neque tu « potes jure ordinario concedere*, ut recte cogitas, neque nos « tibi ejus tribuendæ jus vel potestatem delegamus. »

Propositio II^a^. — *Nequit Episcopus dispersos diœcesis suæ regulares in statu et conditione presbyterorum sæcularium ita constituere, ut eximantur ab instituti sui obligationibus et observantiis, cum statu dispersionis compatibilibus.* — Nam obligationes illæ sequuntur, ex religiosa eorum professione, quæ in suo robore manet. Unde et in statu dispersionis iis constringuntur religiosi, nisi excuset moralis impossibilitas, id est, notabilis difficultas. Et sicut ante dispersionem non potuisset Episcopus institutum alicujus monasterii a sede Apostolica approbatum mutare, religiosos eximendo ab instituti hujus obligationibus, ita neque id potest superveniente dispersione: sed, ut dictum, ex sola morali difficultate, vel auctoritate Pontificia, exemptio hæc provenire potest.

Atque id satis clare innuit Pius VI, in supra citato brevi ad Brunensium Episcopum. Hic nempe diœcesis suæ Carthusianos, ad dispersionem adactos, a statutis suis liberos declaraverat, et clero suo sæculari adcensuerat. De quo eum reprehendit Pius VI in hunc modum: « Nimis properasse te ar- « bitramur ea declaratione, quæ monachos Carthusianos, tua « in diœcesi, statim a propriis legibus statutisque liberos solu-

Digitized by Google

« tosque renuntiat, ut conditionem statumque presbyterorum « sæcularium illico inire valeant. Generalis hæc namque de- « claratio, quæ inscia prorsus Apostolica sede, tibi, venera- « bilis frater, opportuna malis visa est, nobis cum intempe- « stiva, tum periculi plena videtur. »

PROPOSITIO III^a. — *Regulares dispersi voto solemni paupertatis ita obstringuntur, ut nullius rei verum dominium acquirere valeant.* — Etenim, ex dictis votum solemne paupertatis, non obstante dispersione, in suo robore permanet. Sed de essentia hujus voti est ut religiosum cujuslibet dominii incapacem reddat : ergo nequeunt religiosi, quantumvis dispersi et temporum iniquitate exagitati, rei ullius verum dominium sibi acquirere.

Et confirmatur exemplo suppressorum religiosorum ordinum. Nam, ut propositione 1^a dictum est, et horum professi remanent solemni voto paupertatis obstricti. Quod si hoc verum sit de suppressis, a fortiori de dispersis.

In confirmationem etiam adduci potest religiosi ad Episcopatum erecti conditio ; de qua sic adnotat Zamboni (parte 3, voce *regularis*, § 15) : « Religiosus ad Episcopatum promotus, « juxta receptiorem sententiam remanet obstrictus voto pau- « pertatis, et proprium habere non potest. » (*Firmanana, Ben.* 17 julii 1723, § 5.) « Paternam hæreditatem sibi vindicare « potest tanquam hæres ; sed sibi vindicare potest quoad « usum, non autem quoad proprietatem et dominium, quum « hæc ad suam Ecclesiam deferri debeat. » (*Ibidem* § 5 et 6.) De quo vide etiam Tamburinum, tomo 3, pag. 28, edit. Coloniæ Agrip. 1691.

Et pariter Professi ejecti e religione, manent voto paupertatis obstricti ; nec ullius rei dominium acquirere possunt, prout suo loco dicetur.

PROPOSITIO IV^a. — *Votum solemne paupertatis non impedit quin regulares dispersi, licite et valide possint res sibi utiles aut necessarias comparare, pecunias apud se habere, et varios emptionis, venditionis, et donationis contractus inire.* — Nam qui-

Digitized by Google

libet religiosus, ex prælatorum licentia et deputatione, hæc omnia licite et valide agere potest. Et cujuslibet monasterii æconomus seu procurator id quotidie agit. In casu autem necessitatis, idem religioso licet, ex legitime præsumpta hac licentia ac deputatione. Porro in dispersione constituti regulares merito licentiam hanc atque deputationem præsumunt. Unde tunc unusquisque ipso facto deputatur quasi in suiipsius æconomum ; et quandiu ei providere nequit ipsius superior, religiosus ipse sibi providet eodem jure, quo æconomus legitime deputatus totius monasterii rem temporalem curat atque administrat, necnon ad id necessarios atque opportunos actus, nomine conventus, exerit.

PROPOSITIO V^a^. — *Nequit religiosus, in prædicto dispersæ communitatis suæ casu, res sibi comparare statui suo religioso non congruas, et, relative ad circumstantias in quibus versatur, superfluas.* — Etenim, ex dictis, res sibi necessarias et opportunas nequit acquirere per veros actus dominii, cujus semper incapax remanet; sed duntaxat ex superiorum facultate, vi cujus tanquam sui ipsius æconomus, res illas nomine communitatis acquirere potest, et iisdem licite uti. Porro facultas hæc legitime nequit præsumi data, ad comparanda superflua et statui religioso repugnantia. Hinc dubium non est quin peccent religiosi, non obstante dispersionis circumstantia, si in victu, vestitu, domicilio et hujusmodi, ingentes sumptus, absque rationabili causa consumant. Nec eos excusaret quod abunde ipsis a parentibus aliisve subveniatur ; quia hæc ipsis oblata, non sibi, sed communitati (ut sequenti propositione statuitur) acquirunt; ita ut ipsis tantummodo concedatur usus; moderatus utique, et qui religiosum statum deceat. Quem proinde sufficientem, pro circumstantiarum ratione, usum, si excedant, illicite procul dubio agunt.

PROPOSITIO VI^a^. — *Quando in perturbatione politica anni* 1793 *suppressos declaravit religiosos ordines sæcularis Galliæ potestas, potuerunt religiosi ac moniales in dispersione versantes, tum ex superiorum expressa licentia, tum etiam ex legitime præ-*

Digitized by Google

sumpta, hæreditates sibi obvenientes civiliter acquirere, et alios opportunos dominii actus civiliter exercere, salva in eis stante dominii incapacitate et voti solemnitate. — Constabit hujus conclusionis veritas, si probentur sequentia : 1° ex tunc reviviscere cœpit quoad illos regulares jus commune, vi cujus quod acquirit monachus acquiritur monasterio ; et extinctum est jus particulare Galliæ, *mortis civilis* nomine designatum, vi cujus hæreditates et legata religioso obvenientia, non ad ipsius communitatem pertinebant, sed ad eos qui jus habuissent, si ante professionem suam religiosus obiisset : 2° stante dicto jure communi, hæreditates præfatis regularibus obvenientes, de jure ad ipsorum respective conventum seu congregationem pertinuerunt : 3° dicti regulares potuerunt se *civiliter* gerere tanquam dominos illarum hæreditatum, et tamen nullum verum dominium in eas acquirere : 4° item potuerunt *civiliter* vendere, emere, donare aliosque similes contractus peragere, quin propterea ullum veri dominii actum complesse censendi sint. Hæc, inquam, si probentur, concludendum erit cum dictis *civilibus* dominii actibus, integram in ipsis remansisse dominii incapacitatem et voti paupertatis solemnitatem. Atqui

1° Ex tunc extinctum fuit jus particulare Galliæ, *mortis civilis* nomine designari solitum. Etenim cum jus illud foret exceptionale, id est, universalibus Ecclesiæ legibus contrarium, non potuerat vim habere, nisi ex Ecclesiæ illud acceptantis consensu ; ac proinde nisi ex inita quoad hoc Gubernium inter et Ecclesiam concordia. Consequenter jus illud duraturum non erat, nisi quandiu sæcularis Galliæ potestas pactum servaret. Suppressos autem declarando regulares, ac eos expellendo, pactum violavit. Ergo ex tunc ad jus commune factus est reditus. Cœperunt proinde ex tunc hæreditates regularibus Galliæ obvenientes, ad ipsorum respective communitatem, quantumvis dispersam, et ad ipsorum congregationem seu ordinem pertinere, et de numero bonorum *ecclesiasticorum* fieri.

Digitized by Google

2° Equidem superveniens sæcularis legis dispositio ipsismet regularibus, quatenus meris civibus, hæreditates adscripsit. Sed ea dispositio non potuit legem Ecclesiæ enervare, qua statuitur, hæreditates religioso obvenientes ipsius communitati acquiri. Etenim, ut infra probamus, potest Ecclesia, independenter a potestate civili, bona omnia quæ religioso obvenissent, si professionem non emisisset, ejus monasterio attribuere. Atque item non potuit lex sæcularis incapacitatem dominii a religiosis professis tollere ; nec proinde facere ut hæreditatum illarum veri domini evaderent. Ergo quantumvis sæcularis lex hæreditates religiosis ipsis tribuerit, in re hæreditates illæ ad respectivas eorum communitates pertinuerunt.

3° Potuerunt dicti regulares sese tanquam hæreditatum illarum dominos *civiliter* gerere, integra in ipsis remanente dominii incapacitate et voti solemnitate. Nam, ex dictis, hæreditates illæ, non ad ipsos, sed ad ipsorum respective congregationem pertinebant. Ergo hæreditates illas colligendo, et civiles ad hoc formalitates explendo, non potuerunt in eas verum dominium acquirere; siquidem dominium illud, ex hypothesi, erat jam ipsorum communitati acquisitum. Ipsis tamen licuit dictos actus *civiles* ex data expresse, vel legitime præsumpta superiorum facultate peragere. Etenim potest religiosus professus, ex legitima deputatione, bonorum ad communitatem pertinentium possessionem capere, et varios circa eadem contractus inire, nomine communitatis. Neque id impedit incapacitas dominii, quam contraxit; quia tunc agit tanquam communitatis æconomus seu procurator ; neque actus illi sunt actus dominii, sed meræ administrationis bonorum communitatis. Ergo, si dicti religiosi dispersi hanccé deputationem et facultatem habuerunt, licite potuerunt hæreditatum de quibus agitur, nomine communitatis, possessionem capere. Porro ejusmodi facultas expresse ipsis quandoque data est, ut infra ex variis factis patebit : et quando facilis non fuit ad superiores recursus, legitime potuerunt illam præsumere : etenim dubia esse non poterat superiorum mens,

Digitized by Google

de colligendis ejusmodi hæreditatibus, ad communitatem pertinentibus, quibus tantopere tunc temporis ordines religiosi egebant : imo nec potuit legitime contraria mens supponi. Unde, non tantum potuerunt, sed debuerunt illi regulares, dictam facultatem et deputationem præsumere, et illas hæreditates nomine communitatis colligere. Neque objiciatur in actibus civilibus, eos, non communitatis, sed *suo nomine* egisse ; proinde intervenisse mendacium, quod nunquam licitum esse potest. Nam notorietatis erat publicæ ipsos esse religiosos ; ac proinde actus civiles quibus subscripserunt intelligendos esse eo sensu, quo poterant a religiosis peragi : non poterant autem intelligi eo sensu quod forent veri domini earum hæreditatum : ergo *suo nomine* coram lege civili hæreditates colligendo neminem decipiebant. Sed de hoc fusius infra.

4° Idem dicendum de cæteris *civilibus* dominii actibus. In re nullum verum actum dominii exercere valide aut licite potuerunt. Quatenus autem expressam vel legitime præsumptam deputationem habentes, potuerunt licite, imo et debuerunt, *civiliter* actus dominii peragere, bono communitatis utiles.

Et sic patet quomodo, integra in eis remanente dominii incapacitate, ac proinde voti paupertatis solemnitate, potuerint nihilominus regulares Galliæ, in prædictis circumstantiis versantes, sese quoad ista, externe et *civiliter* sese gerere, quasi meri cives. Sed et adhuc id eos posse, et ita quoad Status Unitos Americæ statutum sedis Apostolicæ auctoritate fuisse, infra ostendemus.

PROPOSITIO VII^a. — *Quod acquirunt religiosi dispersi, non sibi, sed communitati seu congregationi acquirunt.* — De iis religiosis semper agimus, qui solemne paupertatis votum emisere. Porro hujusce voti essentialis effectus est, ut religiosum dominii incapacem reddat. Repugnat proinde religiosos dispersos posse rei alicujus dominium sibi acquirere. Aliunde vero jure communi statutum est, ut quod acquirit monachus acquirat monasterium : ergo res omnes, quarum liberam diposi-

Digitized by Google

tionem religiosi dispersi habent, censendæ sunt, quoad dominium, ad communitatem pertinere.

Hinc nequeunt res illas per testamentum, aliumve proprie dictum dominii actum, consanguinibus suis, aliisve donare.

Possunt tamen donationes valide ac licite exequi, ex superiorum legitime præsumpta, et a fortiori expressa facultate : quia tunc agunt tanquam communitatis œconomi ; et communitas ipsa dominium transfert.

PROPOSITIO VIII^a^. — *Religiosi dispersi, legitimis suis prælatis remanent quoad obedientiæ debitum subjecti ; et solet eis pro dispersionis tempore, in legitimum prælatum a Romano Pontifice assignari Ordinarius loci in quo versantur Episcopus.* — Quod remaneant superioribus suis, in vim solemnis voti obedientiæ subjecti, sequitur ex dictis propositione 1^a^; tria nempe vota solemnia nequaquam per dispersionem solvi, sed in suo robore permanere. Cum vero tunc difficilis plerumque efficiatur singulorum regularium sic dispersorum, cum suis superioribus regularibus communicatio, ne auctoritate, quæ eos interim regat et adjuvet, destituantur, solet Romanus Pontifex, religiosorum omnium ordinum primarius ac supremus superior, eis in prælatum constituere Ordinarium loci, in quo pro tempore existunt, Episcopum. Quam praxim, præter alia documenta, testatur etiam supra citatum breve Pii VI ad Brunensium Episcopum (Collection des brefs de Pie VI, par Guillon, tome 2, pag. 544); in quo sic statuitur : « Obedientiam « quoque præstent Episcopo, et sub veste signum aliquod « gerant regularis professionis. »

De voto solemni castitatis nihil adnotamus; quia patet nihil omnino quoad ipsum, ex dispersionis circumstantia immutari. Hæc de præcipuis dubiis quæ oriri possent, circa dispersorum regularium obligationes. Nunc de eorumdem juribus nonnihil attingendum.

Digitized by Google

§ II.

De religiosorum dispersorum juribus, durante dispersione.

PROPOSITIO I^a. — *Ex facto ipso violentæ expulsionis et dispersionis, non censendi sunt quidquam amisisse de juribus ac privilegiis suis.* — Patet hujus propositionis veritas ex primariis juris naturalis notionibus. Nemo scilicet jus suum amittit ex eo quod ipsi vis inferatur. Si quis, verbi gratia, domum meam violenter invadat, aut pecuniam meam furetur, non ideo perimitur jus meum in domum et pecuniam meam. Item ex eo quod Episcopus extra diœcesim suam injuste expellatur et exulare cogatur, non ideo quidquam de juribus suis episcopalibus amittit. Id probatione non indiget. Aliter se res haberet, si regulares isti fuissent legitima auctoritate suppressi: at hic non agimus de suppressis, sed de oppressis. Hi porro ex solo facto violentiæ quam passi sunt, nihil omnino de juribus suis ac privilegiis amisisse censendi sunt; sed ipsis applicanda venit regula juris 64 in 6: « Quæ contra jus fiunt, debent « utique pro infectis haberi. »

Insuper, jura et privilegia quæ a Romano Pontifice alicui instituto religioso conceduntur, censenda sunt concessa *personæ morali*, ex membris hujus religiosæ societatis coalescenti. Conceduntur quippe his membris, non tanquam privatis et individuis, sed quatenus aliquod morale corpus, collegium nempe seu societatem conflantibus. Ergo quandiu existit moralis illa persona seu societas, jura illa et privilegia retinet. Porro societas nequaquam per dispersionem et cohabitationis interruptionem destruitur. Quamvis enim membra sint ab invicem loco separata, remanet in toto suo robore vinculum quo mutuo colligantur: auctoritas nempe superioris, et cæterorum omnium ipsi parendi, et juxta præscriptam communis sui instituti normam vivendi obligatio. Ergo regulares alicujus conventus aut etiam totius alicujus ordinis aut con-

Digitized by Google

gregationis, quantumvis dispersi, vere adhuc ac proprie retinent essentialia societatis, conventus et ordinis. Adhuc nempe conflant illam personam moralem, cui jura et privilegia competunt. Ergo ex facto dispersionis, jura hæc deperdidisse nequaquam censendi sunt. Estque hoc commune omnibus hominum collectionibus, quæ tanquam personæ morales, seu tanquam collegia aut societates, jus aliquod potestatemve possident. Ex eo quod, verbi gratia, canonici cathedralis huc illuc dispergantur, non ideo desinunt cathedrale capitulum constituere; neque huic capitulo, ex facto illius dispersionis quidquam juris perimitur. Unde statim ac iterum capitulariter canonici illi coeunt, eodem quo prius jure potiri merito existimantur.

Cæterum, esse doctrinam expositam a catholicis doctoribus communiter receptam, a fortiori concludendum venit ex eo quod dispersis regularibus jus tribuant, monasteria sua ab hæreticis occupata, vel etiam in bello diruta, reassumendi et reædificandi, absque formalitatibus pro *novi conventus* erectione requisitis; prout infra ostendetur, et videri potest apud Lauretum de Franchis (*Controversiæ inter Episcopos et regulares*, cum additionibus Pasqualigi, pag. 155, edit. Romæ 1656).

Objicies. — Supponendum est hanc esse mentem sedis Apostolicæ, dum ordinem aliquem religiosum approbat, eique varia jura et privilegia concedit, ut, contingente dispersione, regulares illi hisce omnibus prærogativis spolientur, et ipso facto in sæcularisationem cadant. — *Respondeo,* id minime supponendum et admittendum esse, nisi exprimatur. Cum enim aliquid datur, absolute dari censetur, nisi contrarium caveatur. Porro sedes Apostolica religiosos ordines approbando, et varia eis jura tribuendo, nullam ejusmodi restrictionem apponit. Præterea nedum regulares dispersos pro sæcularisatis habeat, et sublata eorum jura existimet, contrarium testatur ejus praxis, prout ex infra citandis documentis satis constabit. Præterea quam noxius foret hic religiosas familias

Digitized by Google

approbandi modus, tum ipsismet regularibus, tum rei catholicæ, nemo non videt. Unde prorsus repugnat dicta hypothesis.

PROPOSITIO IIª. — *In religiosis dispersis permanet potestas ordinem seu congregationem suam perpetuandi, cum omnibus suis juribus et privilegiis.* — Perpetuandi ordinis potestas in eo consistit, ut religiosi illi, qui ad terminos approbati instituti, valebant novitios recipere ac eosdem ad professionem admittere, et novos conventus (servatis ex jure servandis) erigere, potestatem hanc, ob supervenientem dispersionem, non amittant; sed adhuc possint hæc omnia valide peragere; ita ut, sedata tempestate, minime necesse sit novam eis a sede Apostolica potestatem ad id tribui, sed sufficiat potestas quam habebant, et quæ per dispersionem nullatenus ablata est. Hanc porro potestatem in religiosis quantumvis dispersis integram permanere dicimus.

PROBATUR 1° *Ex eo quod nulla regularium jura ex solo facto dispersionis perimantur.* — In præcedenti nempe propositione ostendimus, omnia generaliter jura et privilegia, non obstante injusta expulsione ac dispersione, integra permanere. Sed potestas ordinem prædicto modo perpetuandi, est primarium ac substantiale jus cujuslibet religiosi instituti, quod ideo semper simul cum ipsa instituti approbatione confertur: ergo et potestas hæc in religiosis, qui ante dispersionem ea potiebantur, durante etiam dispersione permanere censenda est.

PROBATUR 2° *ex capitulo generali Dominicanorum, anni* 1656. — Haud parvæ auctoritatis est, in quæstionibus præsertim regularium jura respicientibus, Patrum ordinis sancti Dominici sententia. Quam multi enim exstiterint hujus præclarissimi instituti, in re theologica et canonica viri percelebres, nescit nemo. Fuit autem Patribus Dominicanis omnino persuasum, posse permanere totam aliquam sui ordinis provinciam, cum sua *forma* et *jure*, ac proinde cum potestate perpetuandæ familiæ, quamvis religiosi omnes hujus provinciæ in exilio et dispersione versarentur. Etenim de confratribus pro-

Digitized by Google

vinciæ Hiberniæ, qui, ob Henrici VIII, Eduardi VI, Elisabethæ et Cromwellii persecutiones, conventuum suorum et bonorum temporalium spoliationem atque alienationem passi, dispersi tandem exulare cogebantur, decreverunt in hunc modum : *Pro provincia Hiberniæ... 2° Decernimus et declaramus, quod hæc provincia, tametsi nunc tota exulet, ob acatholicorum sævitiam, extorris nativo solo, retineat tamen nomen, locum, jus, formamque provinciæ ; ita ut nulla ratione extinctis provinciis sit connumeranda. Proinde cum ipsa, ob luctuosam filiorum suorum dispersionem, in legitimum aliquod capitulum provinciale nullibi jam coire possit, ad magistrum Ordinis pertinebit, durante ejus exilio, ipsi de idoneo provinciali, quoties opus fuerit, canonice providere ; donec aliquando provincia redeat in eum statum, quo iterum possit intra patriam suam capitulum provinciale ex usu Ordinis celebrare* (*Hibernia dominicana* (1), auctore Thoma de Burgo, pag. 119; ubi vide etiam paginam 93). Nisi ergo dicatur capitulum illud generale prorsus hallucinatum fuisse, fatendum est, Dominicanis Hiberniæ illæsa permansisse jura sua, non obstante dispersione, et in particulari permansisse *jus provinciæ*. Jus autem provinciæ, continet potestatem novitios recipiendi, eosque ad professionem admittendi, ac proinde ordinem perpetuandi.

PROBATUR 3° *ex decretis sedis Apostolicæ quoad congregationem Anglo-Benedictinam*. — Anglo-Benedictina vocari solet ordinis sancti Benedicti congregatio, in Anglia ab antiquo existens, a cæteris ejusdem Ordinis congregationibus regimine ac juribus distincta, monasteriorum numero ingentibusque privilegiis olim in hac regione florentissima. Post Henrici VIII schisma, fuerat congregatio hæc tot persecutionibus exagitata, ut circa annum 1607, unicus ex ea superstes professus existeret, Sigebertus nomine, qui in monasterio Sancti Petri Westmonasteriensis, prope Londinum, professionem

(1) Hujus operis, editi Kilkenniæ 1762, perpauca exstant exemplaria. Habetur unum in bibliotheca seminarii *Sancti Spiritus*, Parisiis, rue des Postes, n. 30.

Digitized by Google

omiserat. Is porro, *providere volens* (sunt verba Pauli V (1) *ne jura et privilegia prædictæ congregationi concessa, quæ in eo uti solo superstite conservabantur, post ejus obitum deperirent,* quosdam Anglos (jam quidem ordinis Sancti Benedicti professos, sed alterius congregationis, nempe *Cassinensis*) recepit in monachos congregationis *Anglo-Benedictinæ* et Westmonasteriensis monasterii; *illisque* (sunt adhuc verba Pauli V) *omnia jura, privilegia, gradus, honores, libertates, et gratias, quibus monachi in eodem monasterio sancti Petri professi et habitantes gavisi fuerunt, et ordini Sancti Benedicti in Anglia competebant*, transmisit; atque ad id consensum præstitit congregationis Cassinensis generale capitulum anni 1608. Per hos autem monachos, sic a Sigeberto in congregationem Anglo-Benedictinam admissos et receptos, congregatio hæc *Anglo-Benedictina* (quæ alioquin cum suo ultimo professo Sigeberto extincta fuisset), continuata fuit atque propagata. (Adeat lector quoad hanc dictæ congregationis Anglo-Benedictinæ continuationem, citatum breve *cum sicut* Pauli V; ejusdem Pontificis breve *ex incumbenti* 23 augusti 1619; et bullam *plantata* Urbani VIII, 4 idus julii, 1633; quæ tria documenta exhibet *Monasticon anglicanum*, tomo 8, pag. 1647 et seq.).

Ex facto autem memorato, sic arguimus: Anglo-Benedictinæ congregationis monachi dispersi fuerant: et quidem ita dispersi, ut unicus superstes foret Sigebertus. Et tamen in eo solo superstite Sigeberto jura et privilegia dictæ congregationis conservata fuisse, et ab eodem perpetuari potuisse congregationem illam, cum omnibus suis juribus et privilegiis, existimatum est, tum a Sigeberto ipso, tum a generali capitulo congregationis Cassinensis, tum denique a Paulo V et Urbano VIII. Nam et citata Pauli V brevia, et bullæ *plantata* Urbani VIII tenor, jure ita factum a Sigeberto monacho, satis aperte innuunt.

(1) In brevi *cum sicut*, 24 decembris 1612, quod per extensum refertur in *Monastico anglicano*, tomo 8, pag. 1647, edito Londini 1846.

Digitized by Google

PROPOSITIO III^a. — *Prædicta potestas ordinem seu congregationem perpetuandi cum omnibus juribus et privilegiis, ita in religiosis dispersis permanet, ut in unico etiam ipsorum superstite tota consolidetur.* — Probatur 1° citato, in præcedenti propositione, congregationis Anglo-Benedictinæ exemplo. Ab unico enim superstite monacho, fuit hæc congregatio, cum juribus ipsi propriis, continuata.

Probatur 2° ex analogia cum cathedrali capitulo. Certum est in unico etiam superstite canonico jura omnia capituli permanere. Unde si, quo tempore vacat episcopalis sedes, unicus existeret canonicus (cæteris verbi gratia peste aliqua ita repente sublatis, ut nondum in eorum locum alii suffecti fuissent), is canonicus Episcopi ordinariæ jurisdictioni pleno jure succederet, et ad ipsum pertineret diœcesis regimen. Et idem foret si, quo tempore vacat sedes, omnes præter unum canonici excommunicati existerent.

Probatur 3° ex recepta doctrina, quod jus collegii seu universitatis, in unico superstite membro permaneat. Id tanquam certam regulam canonistæ admittunt. Et citare in probationem solent Justiniani legem *sicut* (ff., *quod cujusque universitatis nom.)* « Jus collegii bene remanet in uno, » inquit glossa (*in* caput *statutum* 2, tituli *de electione*, libri 1, in 6). Et pariter glossa in caput *gratum* (tituli *de postulatione prælatorum*, libri 1 decretalium) sic habet : « Universitas remanet in « uno, sive jus universitatis... Licet collegium desinat esse col- « legium, omnibus mortuis præter unum, nihilominus jus col- « legii sive universitatis remanet in illo, per legem *sicut mu- « nicipii*, § ultimo. » Cum ergo regula illa juris generalis sit quoad quamlibet hominum collectionem, quæ jus aliquod possidet tanquam persona moralis, seu tanquam collegium, applicanda etiam venit regularibus dispersis; siquidem, ut supra ostensum est, minime in eis cessat sociale vinculum, quo in ratione societatis seu collegii permaneant. Ergo et in uno ex ipsis superstite, omnia eorum jura transire et consolidari censenda sunt.

Digitized by Google

CAPUT II.

DE REGULARIBUS DISPERSIS, AD PRISTINA LOCA SUA REDEUNTIBUS.

Hic expendenda venit maximi momenti quæstio, an regulares, quibus, sedata tempestate, patet jam ad pristinas suas stationes reditus, jura sua et privilegia omnia retinuisse censendi sint; ita quod, absque nova Ordinarii licentia, possint iterum conventualem vitam agere, in iis civitatibus oppidisque vel pagis, in quibus antea sedem canonice obtinuerant : an vero e contra ejusdem conditionis sint, ac si nullos unquam habuissent iis in locis conventus; et consequenter servandæ sint formalitates omnes, quoad novi monasterii erectionem a jure præscriptæ. Pro cujus difficultatis solutione triplicem distinguemus casum. Vel enim dicti regulares antiquos suos conventus, facta ipsis eorumdem restitutione, reassumunt, atque ibi vitam conventualem instaurant; vel alias sibi ædes in eadem civitate aut oppido sibi locant, vel emunt, vel exstruunt, vel dono datas accipiunt, eo quod antiqui conventus diruti fuerint aut injuste detineantur; vel tandem alias sibi ædes prædicto modo comparant, eo quod antiquæ legitime fuerint a Romano Pontifice alienatæ. Quæstionem primum solvemus quoad triplicem illum casum : tum præsenti statui Galliæ et Belgii conclusiones applicabimus.

§ I.

Casus regularium antiquas suas ædes, facta ipsis earumdem restitutione, reassumentium.

PROPOSITIO I^a^. — *Si agatur de ipsismet regularibus qui ibidem antea degebant, nulla indigent nova Ordinarii aut sedis Apostolicæ facultate, ut conventualem vitam in his ædibus iterum*

Digitized by Google

agant cum omnibus priscis suis juribus et privilegiis. — 1° Id aperte sequitur ex deductis sub præcedenti capite. Probatum nempe est eos per dispersionem nihil juris amisisse. Sed ante dispersionem jus habebant in conventu suo, utpote canonice erecto et fundato, degendi, et concessis instituto suo privilegiis fruendi: ergo et jus idem e dispersione reduces adhuc habere censendi sunt. 2° Sequitur insuper, et quidem a fortiori, ex sequentibus paragraphis, ubi jus ipsis vindicamus novas etiam ædes sibi comparandi in eadem civitate, si antiquæ injuste detineantur, vel a sede Apostolica fuerint alienatæ.

Propositio II^a^. — *Si conventus dispersus non constituebat totam congregationem, sed partem duntaxat alicujus congregationis religiosæ (pluribus scilicet conventibus aut etiam provinciis conflatæ), possunt hujus congregationis prælati, sive ipsosmet religiosos qui dispersi fuerant, sive alios in reassumpto conventu constituere.* — Nam quando alicubi regularium domus cononice erigitur, licentia et jus ibi conventualiter degendi non datur aliquibus religiosis quatenus individuis, sed ipsimet ordini religioso, quatenus personam moralem efficienti. Unde jus illud residet penes eos, qui juxta instituti approbati tenorem, supremam exercent in congregatione auctoritatem; puta penes præpositum generalem, sive solum, sive cum assensu generalis capituli: et etiam penes eos quibus jus illud fuit a dicta suprema auctoritate delegatum; puta, penes provincialem, relative ad provinciæ suæ conventus. Proinde, sicut ante dispersionem poterant ii prælati religiosos alicujus conventus omnes alio mittere, et alios ipsorum loco substituere, ita id possunt post dispersionem. Et jus illud novos religiosos in conventu reassumpto constituendi, remanere censendum est, etiam si obierint omnes religiosi, qui in eo conventu antea degebant. Quia nempe jus ibi conventualiter existendi, non acquisitum erat certis aliquibus individuis, sed omnibus in perpetuum religiosis, qui a suis prælatis legitime eo mitterentur. Unde, quando religiosus ordo de iis est, qui plures

Digitized by Google

conventus aut etiam provincias sub una suprema auctoritate complectitur, nihil juris immutatur quoad conventum reassumendum, ex eo quod religiosi omnes ibi antea degentes in dispersione obierint. Jus nempe conventum reassumendi et novos ibi religiosos constituendi omnino agnoscendum est in provinciali, de cujus provincia est conventus reassumendus, vel (si provincia hæc extincta fuerit) in generali totius ordinis præposito.

Propositio III^a. *Si conventus dispersus totam congregationem constituebat, et omnes religiosi præter unum in dispersione obierint, in hoc uno professo superstite agnoscendum est jus conventum reassumendi, ibique novitios recipiendi, ad professionem admittendi, et congregationem perpetuandi.* — Constat ex superiori capite, ubi probatum est cujuslibet collegii seu congregationis jura in uno etiam superstite consolidari. Nec obstant leges canonicæ, quibus prohibiti sunt conventus, determinatum quemdam religiosorum numerum non habentes : tum quia leges istæ non censendæ sunt comprehendere casum extraordinarium reducti per expulsionem et persecutionem regularium numeri : tum quia sequeretur duntaxat prius a religioso superstite obtinendam esse dispensationem a dicta lege, numerum religiosorum in quolibet conventu necessarium respiciente.

Quod si nec unus remaneat superstes, tunc ordo ille religiosus, utpote in solo illo monasterio, ex hypothesi, consistens, pro extincto habendus est. Et tunc conventus bonis ecclesiasticis vacantibus accensendus est ; atque ad sedem Apostolicam pertinet de eo disponere.

Propositio IV^a. — *Si tota congregatio, pluribus conventibus aut etiam provinciis constans, dispersa fuerit, et unus duntaxat ex illa supersit professus, in isto uno jura omnia congregationis agnoscenda erunt.* — Ex dicta scilicet ratione, quod jus collegii in ultimo etiam superstite membro permaneat. Atque id confirmat congregationis Anglo-Benedictinæ supra allatum exemplum. Potuit nempe unicus ex illa congregatione su-

Digitized by Google

perstes monachus, eam perpetuare cum omnibus juribus et privilegiis. Unde poterit solus ille superstes religiosus, in qualibet mundi parte, conventus congregationis suæ (modo tamen a sede Apostolica non fuerint alienati) reassumere, et ibi institutum suum perpetuare cum priscis juribus et privilegiis. Quod si nec unus remaneat professus ex omnibus congregationis conventibus, extincta congregatio censenda est.

PROPOSITIO V^a. — *Dicti regulares possunt, absque formalitatibus pro novi conventus erectione requisitis, monasterium suum reassumere, et (casu quo fuerit dirutum) illud reædificare.* — Quæstionem expendit ac solvit Pasqualigus, in hunc modum : « An solemnitas horum decretorum (1) servanda sit, quando « recuperantur monasteria occupata ab hæreticis, aut in « bello diruta reædificantur? Negative respondent Rodri- « guez... Lezana... Donatus... Quia per talem occupationem « aut destructionem non amittunt regulares jus suum, cum « sic violenter et injuste spolientur. Et ideo possunt semper « uti jure proprio. Deinde hæc decreta procedunt de nova « erectione monasteriorum : recuperatio autem proprii mo- « nasterii, aut restauratio non est nova erectio.

« An monasteria reædificari possint sine consensu Epi- « scopi, et solemnitate horum decretorum? Cum distinctione « procedunt glossa... Cespedes... Donatus... : nempe non « requiri licentiam Episcopi et solemnitatem decretorum, si « monasterium non sit in totum dirutum : secus si sit totum « dirutum. Tunc autem dicitur totum dirutum, quando ita « est funditus eversum, ut neque remaneant fundamenta... « Verum cum præsentia decreta non tam considerent mo- « nasteria secundum materiale fabricæ, sed secundum for- « male inhabitationis religiosorum, et ea unde cæteris præju- « dicium provenire potest, parum videtur referre quod

(1) Nempe constitutionum Clementis VIII et Gregorii XV, quibus requiritur pro novi conventus erectione, licentia Ordinarii, et insuper ut vocentur et audiantur vicini conventus per circuitum.

Digitized by Google

« monasterium sit vel non sit in totum dirutum; cum fieri « possit quod sit in totum dirutum, et tamen religiosi ibi de- « gentes retineant sua jura inhabitandi, ministrandi sacra- « menta, etc., ut si in totum dirueretur monasterium occa- « sione belli. Et ideo videndum est an ex totali dirutione « monasterii amittant religiosi sua jura inhabitandi, mini- « strandi sacramenta, et alias ecclesiasticas functiones exer- « cendi. Quia si amiserunt, non poterunt recuperare sine « consensu Episcopi et cæteris solemnitatibus, quia erunt de « novo acquirenda. Si vero non amiserunt, poterunt sine so- « lemnitatibus reædificare monasterium ; quia sicuti retinent « jus ad inhabitandum, ita etiam ad erigendum dirutum mo- « nasterium. » (Pasqualigus, in additionibus ad Lauretum de Franchis, *Controversiæ inter Episcopos et regulares,* pag. 155, edit. Romæ 1656.)

§ II.

Casus regularium qui, injuste detento, vel minus commodo jam existente antiquo suo conventu, novas ædes in eadem civitate aut pago sibi comparant.

PROPOSITIO I^a. — *Possunt dicti regulares, absque nova licentia Ordinarii aut sedis Apostolicæ, in ejusmodi ædibus, conventualem vitam iterum agere, cum priscis omnibus suis juribus et privilegiis.* — Supponimus in præsenti conclusione, antiquum monasterium non fuisse legitime (id est auctoritate Pontificia) alienatum : redeuntibus tamen religiosis ipsum non restitui : aut, si restituatur, nolle religiosos in illo degere, sive quod ex parte dirutum sit, sive alia de causa. Dicimus autem posse tunc religiosos, ibidem alias ædes sibi locare, vel exstruere, vel dono datas accipere ; atque in eis absque nova licentia Ordinarii aut sedis Apostolicæ conventualem vitam instituti sui propriam agere, cum juribus ac privilegiis, quibus ante dispersionem fruebantur.

Probatur 1° *ex jure quod habent regulares conventum suum transferendi ad alium situm ejusdem loci.* — Quando nempe

Digitized by Google

non agitur de novo erigendo conventu, sed de *transferendo* antiquo ad alium situm ejusdem loci, certum est non requiri licentiam Ordinarii, nec sedis Apostolicæ facultatem, nec alias conditiones pro erigendis novis conventibus a jure præscriptas. Id supra probavimus (parte 2, sect. 2, cap. 1, § 7). Intelligitur autem conventus transferri ad alium situm *ejusdem loci*, quando constituitur in eadem civitate, aut in eodem pago, aut in eodem districtu (la même commune). Jam vero regulares de quibus agimus, nihil aliud exequuntur, quam sui conventus translationem ad alium situm ejusdem loci, cum nempe jus haberent (ex hypothesi) antiquas suas ædes incolendi, alias sibi comparant, sed in eadem civitate, pago, aut districtu. Ergo nequaquam subjacent conditionibus et formalitatibus, pro novorum conventuum erectione requisitis. Ergo nequit Episcopus, licentiam denegando, impedire quin regulares illi, si antiquas suas ædes incolere nolint aut non possint, in aliis prædicto modo conventum suum statuere licite valeant. In causa *Hieracensi* (6 decembris 1760, *Thesaurus resol.* t. 29, pag. 289), moniales, quæ ad novas ædes migraverant, exemptionem et alia jura quibus in monasterio derelicto fruebantur, defendebant « ex efficacia translationis; quia non « situs et materiale ædificium antiqui monasterii exemptum « erat, sed corpus mysticum et communitas monialium, quæ « eadem semper est, sive in uno, sive in alio loco, ut notant « Pichler (in Jus can., l. 5, tit. 33, § 3, n. 29), et Schmalz- « grueber (parte 3, tit. 33, §. 5, n. 148 et seq.). « Et propterea arbitrantur (moniales), vigore translationis monasterii formalis seu communitatis religiosæ in novam clausuram, in eamdem translata fuisse jura quoque et qualitates « omnes prioris monasterii, ad tradita per Tamburinum (de « Jure abbatum, l. 3, disput. 5, quæst. 7, n. 1), Pignatellum « (Consult. 74, n. 3 et 4, tomi 10), et Rotam (coram Molines, decis. 849, n. 4). »

Probatur 2° *doctorum Lovaniensium auctoritate.* — De ipsissima quæstione quam expendimus sententiam rogati fuerunt

Digitized by Google

doctores Lovanienses. Casum ipsis propositum, cum responso et subscriptionibus, reperimus in *Hibernia dominicana*, p. 3. Ad authenticitatem autem quod attinet hujusce documenti, testatur Thomas de Burgo, originale summa cura asservari in archivio Collegii *Sancti Isidori* de Urbe, Fratrum Minorum Hibernorum, et reperiri etiam idem documentum in *summario* cujusdam causæ (parochos inter et Fratres mendicantes oppidi Galviensis in Hibernia, apud S. Congregationem de propaganda fide, vertentis), Romæ impresso typis *Zinghi et Monaldi* 1722 (*Hibernia dominicana*, pag. 86). En instrumentum integrum, prout loco citato *Hiberniæ dominicanæ* jacet :

« Casus. — Utrum regulares in civitatibus, ubi olim habuerunt monastaria, in quibus nunc non possunt habitare ob hæreticorum persecutiones, possint licite et valide in iisdem civitatibus, sine nova Ordinariorum admissione, approbatione aut licentia, ædificare aut conducere domos sæculares, in quibus sub regulari prælato, tam sacra celebrent in altaribus portatilibus, juxta facultates a S. sede Apostolica concessas, quam alias suarum religionum functiones (quantum tempora periculosa permittunt) exerceant? Et an in iisdem domibus gaudeant suis privilegiis et indulgentiis, tanquam si in propriis monasteriis fuissent ?

Respondetur : — Quod hæretici per persecutiones suas, religiosos pellunt quidem sedibus suis, non autem juribus, vel privilegiis suis. Itaque possunt ipsi in locis, quibus expulsi per hæreticos sunt, vel in districtu suo solito, sine novo consensu Ordinarii ædificare sibi sedes et oratoria, sub antiquis et solitis privilegiis ac indulgentiis suis; et in his exercere quæ suæ religionis ac privilegiorum sunt, sine novo consensu Ordinarii, salvo quod in approbatione concionatorum et confessariorum (prout solent) requirant approbationem Ordinariorum. Salvo meliori judicio — Jacobus Sansonius, sacrarum Scripturarum Lovanii professor, Ecclesiæ divi Petri ibidem decanus — Gulielmus Fabricius, sacræ theologiæ Lovanii professor et doctor — Joannes

Digitized by Google

« Paludanus, sacræ theologiæ doctor et professor — Gu-
« lielmus Mercerus, sacræ theologiæ doctor et professor Lo-
« vanii, etc. — Henricus Rampen, sacræ theologiæ doctor et
« professor, etc. — Christianus Bensecum, sacræ theologiæ
« doctor et professor — Fr. Michael Paludanus, sacræ theo-
« logiæ doctor et professor — Fr. Augustinus Theodori, sacræ
« theologiæ doctor et professor — Fr. Franciscus Capro-
« nius, sacræ theologiæ doctor et professor — Fr. Paulus
« Pepinus, sacræ theologiæ licentiatus et professor. »

« Ejectos a suis monasteriis, per hæreticorum persecu-
« tiones, regulares, non modo retinere omnia et singula or-
« dinis sui privilegia et indulgentias, sub prælato suo regu-
« lari vivendo, ac functiones suarum regularum exercendo ;
« sed etiam tuto ac licite posse domos sæculares vel condu-
« cere, vel novas exstruere, in quibus functiones suas regu-
« lares exercere possint ; et consequenter posse eosdem re-
« gulares in hujusmodi domibus sacra celebrare in altaribus
« portatilibus, absque particulari admissione vel nova appro-
« batione aut licentia Ordinariorum, maxime si regulares isti
« fuerint ordinum Prædicatorum vel Minimorum, quibus a
« jure communi peculiariter est attributum, non minus quam
« Episcopis, ut in locis quibuslibet honestis sacra celebrare
« possint, nulla ab Ordinariis postulata venia : capite *in his*
« de *privilegiis ;* capite ultimo eodem titulo, lib. 6 ; et ibi
« glossa : *Summa Sylvestrina*, dict. *altare*, quæst. 6. Meliori ju-
« dicio semper salvo. Stephanus Weymes, utriusque juris
« doctor et professor primarius. Andreas de Vaulx, juris
« utriusque doctor et professor ordinarius. Henricus Zoesius,
« utriusque juris doctor et professor ordinarius. Jacobus
« Sauvoet, juris utriusque doctor et canonici professor pri-
« marius. Cornelius de Paep juris utriusque doctor et civilis
« professor ordinarius. Adrianus Baulkz, juris utriusque
« doctor, et quondam sacrorum canonum professor. Joannes
« Van-Sestich, juris utriusque doctor, sacrorum canonum
« regius professor. Michael Vander-Perre, juris utriusque

Digitized by Google

« doctor et professor ordinarius, etc. » Temporis data caret illud instrumentum; sed esse paulo anterius anno 1630, vide in *Hibernia dominicana*, pagina III.

Probatur 3° *ex brevi* militantis Ecclesiæ *Benedicti XIV*. — Documentum illud in bullario Benedicti XIV non reperies; sed per extensum in sua *Hibernia dominicana*, pagina 363, illud retulit Thomas de Burgo, ex *authentico exemplari* (ut ipse ait), quod Waterfordiæ, in conventu monialium Sancti Dominici, tunc temporis asservabatur. Quæ autem fuerit edendi præfati brevis causa paucis ibidem enarratur pagina 362. Opinio multorum erat exstitisse olim Waterfordiæ monialium Sancti Dominici conventum, sub titulo Sanctæ Catharinæ Senensis; vehementerque optabant Waterfordienses monasterium illud restitui, seu de novo erigi. Hinc in capitulo generali Dominicanorum anni 1725, Provinciali Hiberniæ dictum monasterium excitandi concessa licentia est, atque anno tandem 1735 fuit res ad executionem deducta. E monasterio Dublinienſi Waterfordiam missa est soror professa Anastasia Wyse, quæ novo conventui præsideret. Exulante autem tunc in Galliis Waterfordiensi Episcopo, novum conventum inchoandi licentiam dedit vicarius ejus generalis. Jamque ad professionem recepta fuerat monialis quædam, et altera novitiatus curriculum expleverat, cum orta dubitatio est, num forte novi conventus fundatio nullitate laboraret. Hinc ad sedem Apostolicam institutus recursus, ut dubium solveret, et defectus, tum emissæ professionis, tum facti novitiatus, si qui intervenissent, sanaret. Causa dubitandi (quam non exprimit Thomas de Burgo), sed quæ ex ipso brevis tenore sat innuitur, videtur fuisse, quod vicarius generalis absque speciali mandato sui Episcopi licentiam dedisset, nec a sede Apostolica obtenta fuisset facultas; et simul non constaret olim Waterfordiæ exstitisse Dominicanarum monasterium. Nam si prius non exstiterat ibi harumce monialium conventus, locus erat non *restitutioni* antiqui conventus, sed novi *erectioni*. Ad novam autem erectionem insufficientes erant adhibitæ formali-

Digitized by Google

tates. In brevi autem suo Benedictus XIV sic habet : *Quoniam autem nulla reperiatur notitia simile monasterium monialium in dicta civitate unquam exstitisse, dictæ exponentes de validitate restitutionis et erectionis monasterii præfati dubitant; qua de causa a nonnullis etiam de validitate professionis per eamdem Catharinam emissæ, et admissione dictæ novitiæ Mariæ veretur.* Ex istis autem verbis sic arguimus : ideo dubitationi merito locus erat, quia non constabat, olim ibi exstitisse hujusce instituti conventum, e quo moniales vi expulsæ fuissent. Ergo si hoc constitisset, certo valida æstimanda fuisset fundatio, absque Pontificia et episcopali facultate peracta. Ergo regulares qui conventum habuerunt in aliqua civitate, quamvis illum vi coacti deseruerint, possunt in eadem postmodum civitate alias ædes sibi comparare, ibique conventualem vitam iterum agere, quin nova egeant Ordinarii licentia, aut formalitatibus subjaceant, pro novis erigendis conventibus requisitis.

Probatur 4° *ex eo quod jus alicujus congregationis conventum habendi in aliquo loco, non intelligendum sit alligatum ac restrictum illi superficiei terræ, quam monasterii ædes occupant.* — Etenim, ex dictis supra, regularibus liberum Ecclesia reliquit, ut conventum suum transferrent ad alium situm ejusdem loci. Ergo noluit jus ipsorum existendi in aliqua civitate, alicui determinatæ superficiei terræ esse alligatum. Ergo dum necessariam fecit licentiam Ordinarii, eo sensu necessariam illam conditionem voluit, ut semel data illa licentia, jus haberent regulares in hoc vel illo ejusdem civitatis aut districtus loco cœtum suum constituendi. Ergo regulares qui ante dispersionem in aliqua civitate conventum legitime erectum habebant, hoc ipso simul jus habebant in aliis ejusdem civitatis ædibus, relictis prioribus, conventualiter degendi. Ex facto autem dispersionis jus illud non amiserunt. Ergo adhuc possunt absque nova Ordinarii licentia diversas a prisco suo conventu ædes incolere. Et patet ratio cur requiratur licentia Episcopi ut novus conventus in aliqua civitate erigatur, non autem ut, intra eamdem civitatem vel districtum, situm

Digitized by Google

mutet. Nam, sive ratione incolarum, sive ratione jam ibi existentium aliorum conventuum, posset novi monasterii erectio multis inconvenientibus esse obnoxia ; de quo judicium proferre nullum magis expediebat, quam loci Ordinarium, ut patet. At vero si semel utilis existimata fuerit et concessa novi conventus erectio, nihili aut saltem parvi refert conventum in hoc vel illo civitatis situ existere.

Propositio IIª. — *Prædictum jus censendum est existere, non solum penes religiosos ipsos qui conventum ante dispersionem incolebant, sed etiam, iis vita functis, in congregatione religiosa cujus pars erat ille conventus.* — Hue redeunt rationes sub præcedenti paragrapho deductæ. Jus nempe conventum habendi in aliqua civitate, non datur religiosis tanquam individuis, sed personæ morali, id est, congregationi. Unde si tota congregatio in unico illo conventu existebat, remanent jura in ipsius religiosis, et consolidantur in ultimo ipsorum superstite. Defunctis autem omnibus, extinguuntur jura cum ipsa congregatione. At vero, si conventus ille pars fuerit alicujus provinciæ, sive defunctis in dispersione, sive adhuc superstitibus illius monasterii religiosis, jus ibi conventum habendi, in diversis etiam ædibus, remanet penes provincialem ; poteritque is, missis quos voluerit provinciæ suæ religiosis, conventum ibi instaurare. Et tandem si unicus e tota congregatione supersit, penes hunc jus de quo loquimur existere censendum erit. Quæ omnia, ex dictis sub præcedenti paragrapho, satis patent.

Et notetur nullam in hac materia opponi posse præscriptionem, aut temporis lapsum ; quia contra spoliatos non currit præscriptio.

§ III.

Casus regularium, quorum monasteria fuerunt Romani Pontificis auctoritate alienata.

De iis præcipue regularibus expendenda venit quæstio, an, absque nova Ordinarii licentia, possint communitates suas

Digitized by Google

iterum constituere, in civitatibus, pagis et districtibus, in quibus olim conventualiter degerant. Quamvis enim ipsorum ædes fuerint legitime alienatæ, si jus retinuerint conventualiter existendi in iisdem civitatibus, pagis et districtibus, bene poterunt, absque nova licentia, alias ibi ædes sibi comparare, aut etiam antiquas pretio redimere, atque propriam instituti sui conventualem vitam instaurare. Pro qua solvenda difficultate sit sequens propositionum series.

PROPOSITIO I^a^. — *Jus conventualiter existendi in aliqua civitate, potest regularibus concedi in eo sensu, quod valeant etiam communitatem suam de uno in alium civitatis locum, prout utile duxerint, transferre.* — Nam quod hoc modo regularibus concedatur jus et licentia conventum habendi in aliqua civitate, non tantum possibile concipitur, et nullam involvit repugnantiam, sed etiam valde opportunum facile perspicitur. Decursu enim temporis contingere potest ut primum electa sedes multis evadat incommodis obnoxia. Tunc vero regularibus valde utile est ut jus habeant ad alium civitatis situm migrandi. Nec parvum damnum quandoque sequeretur, si deberent tunc novam Ordinarii licentiam obtinere, et cæteras pro novi conventus erectione requisitas formalitates adimplere. Unde revera *possibile* saltem est jus regularium in sensu exposito; ita nempe ut jus illud conventualiter in civitate existendi non restringatur ad determinatum aliquod ædificium, nec ad illam terræ superficiem, super qua ædificium hoc exstructum est; sed extendatur ad quemlibet civitatis locum, quem sibi regulares illi comparabunt, et in quem communitatem suam transferent.

PROPOSITIO II^a^. — *Jus conventualiter existendi in aliqua civitate, non tantum potest in prædicto sensu regularibus concedi, sed de facto ita ipsis conceditur: ac proinde jus illud non est alligatum alicui determinato civitatis ædificio aut loco.* — Nam de jure communi regularibus licitum est, absque nova Ordinarii licentia et absque formalitatibus ad novi conventus erectionem requisitis, communitatem suam ad alium situm

Digitized by Google

ejusdem loci transferre. Eam juris communis dispositionem pluries jam supra memoravimus, et parte 2, sect. 2, c. 1, § 7, probavimus. Porro dispositio hæc probat jus regularium in aliqua civitate conventum habendi, non esse alicui determinato ædificio aut alicui superficiei terræ alligatum: alioquin, relicto illo ædificio et terræ spatio, statim jure conventualitatis destituerentur; nec possent proinde jus illud in alio civitatis situ habere nisi cum nova licentia et requisitis cæteris formalitatibus. Unde revera jus regularium conventum habendi in aliqua civitate est separabile ab ædibus quas occupant, neque huic monasterio alligatum; seu aliis terminis, non est duntaxat jus conventualiter existendi in illo monasterio, sed est jus conventualiter existendi in aliis etiam ejusdem civitatis locis.

Nec objiciatur licentiam conventum inchoandi ab Ordinario concessam, non esse relativam nisi ad determinatum aliquem civitatis locum. Nam licentia hæc intelligenda est in sensu qui juri communi non repugnet. Porro jus commune regularibus liberum relinquit ut conventum suum transferant ad alium situm ejusdem loci. Unde potest quidem Episcopus licentiam denegare; at si eam concedat, impedire nequit, quin jus acquirant regulares in aliis etiam civitatis locis conventualiter degendi; cum id a jure communi fuerit statutum.

PROPOSITIO III^a. — *Alienatio monasterii, Romani Pontificis auctoritate facta, non perimit jus regularium conventualiter in eadem civitate existendi.*

Probatur 1° *ex duabus præcedentibus propositionibus.* — Nam, ex ibi deductis, jus conventualiter existendi in civitate, nec essentialiter, nec etiam de facto, censendum est alligatum ædibus alienatis; ergo stare potest jus illud post monasterii alienationem: ergo alienatio hæc dictum jus non perimit.

Probatur 2° *ex supra citato* (1) *brevi* militantis Ecclesiæ *Benedicti XIV.* — Agit ibi Pontifex de quodam conventu monia-

(1) Sub præcedente paragrapho, propositione 1, probatione 3.

Digitized by Google

lium sancti Dominici Waterfordiæ recens constituto, de cujus canonica inchoatione dubitabatur. Causa autem dubitandi erat, quod non constaret *simile monasterium monialium in dicta civitate unquam exstitisse.* Quæ verba supponunt, inchoatum fuisse hunc conventum absque necessariis pro novi conventus erectione formalitatibus; et supponunt præterea certe canonicam futuram fuisse ejus inchoationem, si constitisset ejusdem ordinis conventum ibi olim exstitisse. Nec distinguit Pontifex utrum antiquus conventus fuerit necne de legitime alienatis. Et cæteroquin de istis potius fuisse censendus erat: siquidem suppressa et alienata fuerant in toto Anglicano regno monasteria omnia, et sedes Apostolica indulserat ut eorum detentores legitime illa possiderent. Supponit proinde Benedictus XIV, per legitimam alienationem alicujus monasterii, congregationi ad quam monasterium illud pertinebat, non perimi jus conventum habendi in eadem civitate.

Nota. — Posset simile argumentum deduci ex gestis a sede Apostolica quoad congregationem Anglo-Benedictinam, cujus monasteria omnia, expulsis monachis, invaserat Henricus VIII, et ad conditionem sæcularem redegerat, magnaque ex parte aulicis suis dono dederat. Sub Maria autem regina catholica, concessit sedes Apostolica ut ejusmodi monasteriorum et bonorum detentores ea legitime possiderent. Et nihilominus postea jus communitatis, cæteraque congregationis jura et privilegia, in unico etiam monacho superstite conservata fuisse, eadem sedes Apostolica agnovit. Cum autem hæc omnia nonnisi adductis et discussis documentis quam plurimis rigorose probari possint, probationem illam indicatam duntaxat malumus.

Probatur 3° *doctorum Lovaniensium sententia.* — Sub præcedenti paragrapho, propositione 1, vidimus Lovaniensem academiam affirmative respondisse ad casum hunc : « Utrum « regulares in civitatibus, ubi olim habuerunt monasteria, in « quibus nunc non possunt habitare ob hæreticorum perse- « cutiones, possint licite et valide in iisdem civitatibus, sine

Digitized by Google

« nova Ordinariorum approbatione aut licentia, ædificare aut « conducere domos sæculares, in quibus, sub regulari præ- « lato... suarum religionum functiones exerceant, et an in « iisdem domibus gaudeant suis privilegiis et indulgentiis, « tanquam si in propriis monasteriis fuissent? » Porro agebatur in hac consultatione de regularibus Angliæ et Hiberniæ, quorum monasteria sedis Apostolicæ auctoritate fuerant alienata. Et tamen non obstante hac circumstantia, nec de illa mentionem facientes affirmative responderunt præfati doctores.

Probatur 4° *ex rescripto quodam Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium.* — Existens olim Ypris, civitate Brugensis diœcesis in Belgio, virginum Carmelitarum monasterium, communi Galliæ et Belgii conventuum ruina et proscriptione alienatum fuerat atque deletum. Anno 1834 actum est de excitando in dicta civitate ejusdem instituti conventu. Ut autem vitarentur formalitates pro novorum conventuum erectione requisitæ, reverendus Pater Constantinus a Sancta Maria, Carmelitanæ familiæ in Belgio præpositus, per viam repristinationis seu restitutionis (1) procedere decrevit; atque a sede Apostolica postulavit rescriptum, quo declararetur hoc modo procedi posse. Damus et petitionem et responsum, quæ sunt tenoris sequentis : « Beatissime Pater. — Constantinus « a S. Maria, Carmelitarum excalceatorum conventibus sui « Ordinis in Belgio restitutis vel erigendis per suos superiores « præfixus, reverenter exponit sibi, benevolentia et auxilio « piorum hominum, proponi sanctimonialium sui S. Ordinis « sacram domum Ypris erigendam, quæ pristinæ, ordini sub- « jectæ, subrogetur, ibidem præteritis vix calamitatibus in- « juria subversæ, cui instaurationi sufficientes redditus pau- « latim obventuros non diffidit ejus substentationi communi- « tatis opportunos. Ad omnes interim difficultates sternendas, « quæ in struendis pietatis operibus facile offenduntur, ora-

(1) Quasi nempe ageretur de reassumendo *exercitio juris nunquam extincti*, non autem de recuperando jure amisso, conventum habendi in illa civitate.

Digitized by Google

« tor humiliter petit, quod Sanctitas Vestra declarare digne-
« tur hoc suo proposito agi de monasterio restituendo, quod
« nullo jure vis præpotens deleverat; ne in hac reædifica-
« tione religiosæ domus stricte exigantur quæ pro novis fun-
« dationibus Sacra Congregatio super negotiis EE. et RR.
« præposita die 17 maii 1603, et die 10 aprilis 1614 decre-
« vit. Quod pro gratia, etc.

« Ex audientia Sanctissimi, habita ab infra scripto secretario
« Congregationis Episcoporum et regularium, sub die 8 au-
« gusti 1834, Sanctitas Sua, attenta relatione P. præpositi ge-
« neralis Ordinis, benigne annuit; et propterea mandavit
« committi Episcopo Brugensi ut, veris existentibus narratis,
« de intelligentia P. vicarii generalis Carmelitarum excalcea-
« torum, ad monasterii restitutionem præfati Ordinis in civi-
« tate Ypris pro suo arbitrio et conscientia deveniat, in eoque
« superiorissam, moniales et famulas eisdem addictas intro-
« ducat, novitiatum instituat, probatasque, servatis servandis,
« ad habitum et dein ad professionem admittat, juxta Ordi-
« nis constitutiones et monasterii regulas, servatisque iis om-
« nibus juxta temporum, personarum et locorum circum-
« stantias, quæ in hujusmodi monasteriorum repristinationes,
« clausuram et monasticam observantiam a constitutionibus
« Apostolicis et decretis sacrosancti concilii Tridentini san-
« ctissime præscribuntur. — Romæ. — C. Card. Odescalchi,
« præf. — J. Archiep. Ephes., secret. — Concordantiam at-
« testor cum originali : F. Brocardus a S. Theresia C. D.
« secretarius. »

Quisque satis ex hoc rescripto perspicit, ex spoliatione seu alienatione ædificii materialis minime aboleri jus communitatis, atque adeo jus conquirendi communem habitationem, in qua regulares juxta statuta Ordinis sui vacent suis officiis et ministeriis, quæ ex præscripto regulæ propriæ peragenda sunt.

PROPOSITIO IV^a^. — *Romanus Pontifex regularium alicujus civitatis monasterium alienans, non censendus est privatos velle illos*

Digitized by Google

regulares jure conventualiter existendi in illa civitate, aliisve juribus aut privilegiis, nisi id expresse declaret. — Probavimus non perimi hæc jura per solam monasterii alienationem. Sed posset quis fingere, hanc esse mentem Romani Pontificis, dum alienat monasterium, ut regulares hisce juribus priventur quoad civitatem in qua erat monasterium alienatum. Rejicienda autem est illa hypothesis, utpote gratuita atque omnino falsa. Agitur enim de bonis ecclesiasticis quæ jam, ex temporum calamitate, injuste fuerant occupata. Et quidem quando bona illa de manu in manum vendita, divisa et commutata transierunt, ne pereclitetur in aliqua regione multarum animarum salus, si tam difficilis restitutio exigatur, potest Romanus Pontifex, tanquam supremus bonorum illorum administrator, eorumdem dominium detentoribus cedere. Atque revera facta est ejusmodi cessio quoad Angliam sub regina Maria, quoad Gallicanam rempublicam sub Napoleone I, et quoad alias regiones. Ast nec solet, nec licite potest sedes Apostolica tam extremum remedium, nisi urgente gravissima necessitate adhibere. Unde et Pius VII se ad id tanquam ad lugendum sacrificium devenisse testatur : *Constantes*, inquit, *in proposito ad omnia sacrificia*, etc. (litteræ pro concordato anni 1801). Ex quo patet, si quid unquam *strictæ interpretationis* fuerit, at quam maxime tales esse habendas alienationes ejusmodi ; præsertim cum cedant in damnum tertii, in cultus divini imminutionem, et nihil aliud sint quam bonorum Ecclesiæ in laicorum manus elargitio, a sacris canonibus tam perpetuo et tam districte prohibita. Ergo verba quibus fiunt alienationes istæ stricte omnino sunt interpretanda. Ergo nisi Pontifex expresse declaret privari regulares jure conventualitatis aliisque juribus ac privilegiis suis, minime censenda est privatio hæc in decreto alienationis bonorum temporalium includi. Imo merito præsumitur Pontifex velle et cupere, ut possint regulares, quorum monasteria et bona sic ex dicta necessitate alienata sunt, quam primum in aliis sibi comparatis ædibus, angelicam religiosi status vitam instaurare. Præsertim cum

Digitized by Google

ad conscientiarum tranquillitatem (ob quam alienatio facta est) sufficiens fuerit bonorum temporalium cessio.

Unde tandem, alienato monasterio, nec ex facto ipso alienationis, nec ex legitime præsumpta Romani Pontificis voluntate, perimuntur cætera regularium jura. Remanet proinde regularibus, quantumvis dispersis, et post legitime etiam alienata ipsorum monasteria, jus conventualiter existendi in civitatibus, pagis et districtibus, in quibus antea canonice constituti fuerant. Possunt ergo, absque nova Ordinarii licentia, et absque formalitatibus ad novi conventus erectionem requisitis, in dictis locis sibi ædes comparare in quibus iterum vitam conventualem agant, cum priscis suis omnibus juribus et privilegiis, excepto solo in bona alienata jure.

§ IV.

De regularibus, quorum monasteria in Galliis et Belgio fuerunt alienata, et qui hodie denuo in iis regionibus domos sibi comparant, ac conventualem vitam instaurant (1).

PROPOSITIO I^a. — *Concordatum anni* 1801, *monasteria regularium alienando, nec regulares ipsos suppressit, nec sustulit ulla ipsorum jura aut priviligia, excepto solo in bona alienata jure.*— Quamvis ex præmissis generalibus conclusionibus satis perspici possit conditio canonica regularium, qui hodie in Gallia et Belgio conventus suos instaurant, de ipsis tamen in particulari expendenda quæstio visa est. Etenim oriri posset dubitatio, num quoad ipsos speciales intervenerint dispositiones, ob quas dejecti censendi forent a jure illo supra asserto, ædes sibi comparandi in civitatibus et dictrictibus, in quibus olim monasteria habuerunt; atque ibi, absque nova Ordinarii licentia conventualem vitam agendi, cum priscis suis juribus ac privilegiis. Dicimus autem nihil quoad ipsos contigisse,

(1) Loquimur duntaxat de Gallia et Belgio; sed quæstio, ut patet, alias respicit regiones, v. g. Hispaniam, Sardiniæ regnum, etc.

Digitized by Google

quo fundari valeat dicta dubitatio. Atque imprimis allegari nequit concordatum anni 1801.

Probatur 1° *ex tenore ipso concordati, et bullæ* Ecclesiæ Christi, *ipsum confirmantis.* — Etenim certum est, et in concordato, et in dicta confirmationis bulla, agi quidem de alienatione bonorum cleri, tum sæcularis tum regularis; at nequaquam de regularium suppressione, aut de extinguendis cæteris eorumdem juribus aut privilegiis. Ex dictis autem supra, monasteriorum alienatio secum non importat regularium suppressionem, nec etiam cæterorum jurium ad regulares pertinentium extinctionem. Ergo jura hæc omnia et privilegia, excepto solo in bona alienata jure, intacta reliquit concordatum anni 1801; atque id rigorose concludendum venit, ex hoc ipso quod jura hæc in dicti concordati instrumentis expresse non revocentur.

Insuper positive etiam, id est ex verbis ipsis bullæ *Ecclesiæ Christi*, constat relicta fuisse præfata regularium jura. Etenim postquam Pontifex expressas in concordato conventiones et concessiones, pro se et successoribus suis approbavit et acceptavit, subjungit in hunc modum : « Non obstantibus om-
« nibus synodalibus et provincialibus generalibusque con-
« ciliis, vel specialibus constitutionibus et ordinationibus
« Apostolicis, et Apostolicæ cancellariæ regulis, præsertim de
« jure quæsito non tollendo, necnon quarumcunque ecclesia-
« rum, capitulorum, monasteriorum, aliorumque piorum loco-
« rum fundationibus, etiam confirmatione Apostolica vel quavis
« firmitate alia roboratis et innovatis, cæterisque contrariis
« quibuscunque, quibus omnibus et singulis, illorumque te-
« nores pro expressis et ad verbum insertis habentes, *illis alias*
« *in suo robore permansuris, ad præmissorum effectum duntaxat*,
« specialiter et expresse derogamus. » Ergo derogatum quidem est monasteriorum et regularium juribus et privilegiis; sed *duntaxat* quantum necesse fuit *ad effectum præmissorum*. Quidquid autem in articulis concordati statuitur, effectum perfecte habere potuit, conservatis cæteris regularium juri-

Digitized by Google

bus et privilegiis præter jus in bona ipsorum temporalia, quæ alienabantur. Nihil enim in iis articulis reperitur, quod regulariam jura concernat, præter illam bonorum alienationem. Ergo, exceptâ hac alienatione, cætera regularium jura et privilegia, de iis sunt, quibus Pontifex non derogavit, utpote quorum revocatio necessaria non erat *ad effectum præmissorum;* ac proinde jura hæc et privilegia de iis sunt, quæ idem Pontifex declaravit *in suo robore permansura.*

Probatur 2° ex litteris quibusdam procuratoris generalis Carmelitarum. — Dubitabant vicarii capitulares Gandavenses, sede vacante, num indulgentiæ ordini Carmelitarum concessæ, post religiosorum conventuum destructionem, adhuc perseverarent. Dubium hoc superioribus suis Romam transmisit Reverendus Pater provincialis Carmelitarum Belgii. Erat autem tenoris hujusmodi : « Dubium quoad indulgentias Ordini nostro annexas, reverendo Patri Eliæ a Sancta Maria, ecclesiæ nostræ Gandensis rectori, ab amplissimis dominis vicariis capitularibus diœcesis Gandensis, sede vacante, propositum : — An omnes istæ indulgentiæ, post tam diuturnam et cruentam variorum religiosorum conventuum devastationem, atque Ecclesiæ persecutionem, an, inquam, omnes istæ indulgentiæ (quas usque præsens, citra ulla ex parte dubium, omnibus Christi fidelibus lucrandas publicavimus), an adhuc veræ sint, et a parte rei subsistant? »

Die 31 augusti 1822 procurator generalis Carmelitarum respondit in hunc modum : « Reverendo admodum P. F. Melchiori a Sancta Maria, Carmelitæ discalceato, Ypris. — Admodum Reverende Pater, — Epitomen ego collegi indulgentiarum Ordinis nostri, nulli parcens labori aut diligentiæ, ut earum authenticitatem et perseverantem existentiam testarer. Vetustiores autem planeque sunt eæ, Beatæ Virginis de Monte Carmelo, sancti Joseph, sancti Angeli, sancti Andreæ Corsini, sancti Alberti, sanctæ Mariæ Magdalenæ de Pazzi, sanctæ Matris nostræ Theresiæ. An non

Digitized by Google

« veræ subsistentes? Perperam itaque Dominus Vicarius arguit « vetustatem illarum pro septem festis B. M. V. per annum. « Testor porro et juro hasce et cæteras, in epitome trans- « missa expressas, legitimas esse, atque perdurare. Cæterum « mihi ipsi præsenti et audienti, ore suo, semel et iterum et « tertio, *regulares oppressos fuisse* dixit Sua Sanctitas, *non « suppressos*. Non est ergo cur in decrepita sua ætate fastidium « illi adferam talibus nugis. Tandem infra octavam liberum « cuique factum a Romanis Pontificibus, ut sibi quem ma- « luerit diem seligat. — Subdo sanctissimum Dominum « Nostrum permisisse ; ut conventus, cessatis calamitabus, « *aperirentur iterum vel ab uno*. Quanto ergo fortius ut ser- « ventur, ubi effectus illarum adhuc perseverant. Nec ha- « bitus facit monachum, ut est in proverbio. Sum corde et « animo Reverentiæ Vestræ humilis servus.— Frater Joannes « Nepomucenus a Sancto Aloysio, Carmelitarum discalceato- « rum procurator generalis. Romæ 31 augusti 1822 (1). »

Cum ipsemet Pius VII semel iterum et tertio declaraverit regulares oppressos fuisse, *non suppressos*, absonum foret in quæstionem vocare, num concordatum anni 1801 et dicti Pontificis bullæ regularium suppressionem secum traxerint. Item ex eo quod Pontifex ille permiserit ut, cessatis calamitatibus, conventus *aperirentur iterum vel ab uno*, sequitur ab ipso suppressos non fuisse regulares. Si enim intervenisset suppressio, non fuisset locus *aperiendis iterum* conventibus, sed *de novo erigendis*.

Probatur 3° *ex rescripto supra allato pro restituendo Ypris virginum Carmelitarum monasteria*. — Superiori paragrapho rescriptum illud Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium transcripsimus. Postulabatur nempe a Sanctissimo ut declararet, posse in casu procedi per viam restitutionis seu repristinationis, et non tanquam ad novi conventus erectio-

(1) De hujusce documenti authenticitate nullum mihi dubium, quamvis transcriptum duntaxat præ manibus habuerim.

Digitized by Google

nem; quæ declaratio concessa est. Et tamen antiquus monialium Carmelitarum conventus, alienatus ac deletus fuerat. Ergo per alienationem monasteriorum in concordato anni 1801 sancitam, non suppressi sunt regulares nec perempta ipsorum jura. Alioquin non posset esse locus *restituendis* ipsorum conventibus, sed *novis* duntaxat *erigendis*.

Probatur 4° *ex reclamatione Cardinalis Capraræ contra undecimum ex articulis organicis.* — In hoc articulo *suppressa* decernuntur *omnia instituta ecclesiastica*, exceptis capitulis cathedralibus et seminariis. De qua suppressione sic queritur, sedis Apostolicæ nomine, præfatus Cardinalis Legatus (1) : « Num satis considerate processum est ad ejusmodi suppres- « sionem? Plura istiusmodi instituta evidentis erant utili- « tatis : illa populus magni faciebat, utpote quæ ejus necessi- « tates sublevarent. Illa erexerat pietas, solemniter sanci- « verat, ipsis regibus petentibus, Ecclesia. *Hujus igitur solius* « *erat eorum decernere suppressionem.* » (Epistola Cardinalis Caprara, ad ministrum Galliæ Talleyrand directa, 18 augusti 1803.) Cum anno 1803 queratur Apostolica sedes, quod Gubernium gallicanum institutorum religiosorum suppressionem attentaverit, profecto manifestum facit, instituta ista non fuisse Pii VII auctoritate, anno 1801 suppressa.

Ergo revera pro indubitato tenendum est, per concordatum anni 1801, aut decreta Apostolica inde secuta, nullatenus suppressos fuisse regulares, nec quidquam sublatum de ipsorum juribus et privilegiis, præter solum jus in bona temporalia, in vim dicti concordati legitime alienata.

Propositio II^a^. — *Decretum Cardinalis Capraræ anni* 1803 *regulares concernens, nec eos suppressit, nec eorum jura aut privilegia sustulit.* — Hoc suo decreto diei 4 junii 1803, declaravit præfatus Cardinalis Legatus, « de expresso mandato et « auctoritate Sanctissimi, omnes et singulos utriusque sexus

(1) Reclamationem illam reperies in vita Leonis XII auctore Artaud, tom. 2, pag. 124, edit. Bruxell. 1843.

Digitized by Google

« regulares, etiam exémptos, in territorio Gallicanæ reipublicæ « existentes, *in præsenti statu*, ab obedientia suorum respec- « tive ordinis superiorum liberos et solutos esse; eosque in « habitu sæculari decente incedentes, firmo tamen singulis « remaneute solemni perpetuæ castitatis voto, et servato « quantum in eo statu commode fieri poterit voto pauperta- « tis, sub obedientia et jurisdictione Ordinarii (communionem « et gratiam sedis Apostolicæ habentis), in cujus diœcesi mo- « rari contigerit, immediate subjectos esse et manere, contra- « riis quibuscunque non obstantibus. » Nihil in hoc decreto continetur, quod regularium suppressionem supponat, aut jurium ad ipsos pertinentium ablationem. Etenim potest Romanus Pontifex, quin religiosos supprimat, aut eorum jura auferat, eos pro tempore quo durabit violenta dispersio, obedientiæ Ordinariorum submittere. Et notentur verba hæc *in præsenti statu*, quibus restringitur dispositio hæc ad calamitosas illius temporis circumstantias : quibus mutatis, hoc ipso sub respectivorum ordinis sui prælatorum obedientiam reincidere debebant singuli regulares.

Præterea, in modo citata epistola ad gubernium Galliæ, diei 18 augusti 1803, queritur idem Cardinalis Legatus, per undecimum ex articulis organicis attentatam fuisse a dicto gubernio religiosorum institutorum suppressionem; et dicit, *solius Ecclesiæ erat eorum suppressionem decernere*. Ergo die 18 augusti 1803 putabat nondum auctoritate ecclesiastica suppressos fuisse regulares : ergo non existimabat illos jam a seipso suppressos fuisse die 4 junii ejusdem anni, per citatum decretum, quo eos, pro dispersionis tempore, Ordinariorum obedientiæ subjecerat.

Propositio III^a^. —*Articuli organici, nec supprimere religiosos ordines, nec eorum jura minuere potuerunt.* — Equidem in ejusmodi articulis, sola sæculari auctoritate, concordato anni 1801 adjectis, habetur sub numero 10, *omne privilegium, conferens exemptionem ab episcopali jurisdictione, aut ejusdem attributionem, abolitum esse*. Et sub numero sequenti, confertur Archi-

Digitized by Google

episcopis et Episcopis facultas, annuente gubernio, erigendi capitula cathedralia et seminaria; et additur : *omnia alia instituta ecclesiastica sunt suppressa*. At noto notius est ejusmodi articulos, in quantum de rebus ecclesiasticis decernunt, vim legis canonicæ nunquam habuisse, utpote ab incompetenti quoad hanc materiam potestate sancitos.

Præterea notorium est contra ejusmodi articulos pluries a sede Apostolica reclamatum fuisse (vide Artaud, *Histoire de Léon XII*, tomo 2, pag. 124, edit. Bruxel. 1843). Et specialiter contra undecimum ex istis articulis, quo suppressa decernebantur omnia instituta ecclesiastica, solis exceptis cathedralibus capitulis et seminariis, reclamavit Cardinalis Caprara, supra citata epistola ad gubernium Galliæ directa. Unde absonum prorsus foret dictos articulos allegare, ad asserendam regularium in Gallia et Belgio suppressionem. Inconcussa veritas est, *oppressos* eos fuisse, ut Pii VII verbis utar; *suppressos* vero minime.

Nec suppressos nec extinctos unquam in sua diœcesi Patres Oratorii, testatus est hodiernus Mechliniensis Archiepiscopus, hisce verbis : ... *Déclarons que la congrégation des prêtres de l'Oratoire n'a pas été supprimée dans notre diocèse par aucune loi de l'Église; qu'elle a continué d'y exister canoniquement, et que depuis deux ans elle s'est même associé de nouveaux membres. Donné à Malines le* 30 *janvier* 1835.—*Engelbert, Archevêque de Malines* (journal historique et littéraire de Liége, tome 2, page 207). Porro de cæteris pariter religiosis familiis testari potuisset laudatus præsul, eas nulla Ecclesiæ lege in Belgio unquam suppressas fuisse.

Propositio IV^a^. — *Si monasterium, in aliqua civitate Galliæ aut Belgii canonice erectum, totam congregationem constituerit, jus conventualiter existendi in eadem civitate permansit in ultima hujus monasterii membro superstite.* — Exstare possunt (prout et de facto exstiterunt) monasteria, quæ non in unam congregationem, sub unius auctoritatis regimine, eocant, sed

Digitized by Google

quorum unumquodque ab aliis (etsi instituti quandoque omnino similis) prorsus independens sit, et particularem ac distinctam congregationem constituat. Frequentius id in monialium monasteriis. Porro quoad ejusmodi monasterium dicimus permansisse conventualitatis jura in ejus membris, quantumcunque dispersis, imo et in ultimo ipsorum superstite. Quod cum supra probaverimus, hic tantum præsenti Galliarum et Belgii statui applicandum adnotamus; siquidem, ex modo deductis, nulla est ratio supponendi intervenisse quoad illas regiones ullam religiosorum institutorum canonicam suppressionem; sed meram duntaxat oppressionem. Mortuis autem omnibus ejuscemodi monasterii membris, pro extincta haberi debet congregatio hæc; cum, ex hypothesi, tota congregatio in hocce monasterio consisteret. Unde hodie ad excitandum ejusdem instituti conventum, opus esset proprie dicta erectione, cum requisitis ad eam formalitatibus. Notetur tamen conventus monialium, sub correspondentium virorum ordinum auctoritate constitutos, efformasse cum istis virorum ordinibus, unicam (propter unitatem regiminis) familiam seu congregationem. Unde licet in dispersione obierint omnes moniales alicujus hujusce conditionis monasterii, permanere censendum est in correspondente virorum ordine jus constituendi (in eadem civitate ubi moniales illæ degebant) similis instituti mulierum conventum, absque nova Ordinarii licentia, et absque requisitis ad novi conventus erectionem formalitatibus.

Propositio V^a^. — *Si monasterium, in aliqua civitate Galliæ aut Belgii canonice erectum, fuerit pars congregationis religiosæ, multis conventibus, aut etiam provinciis conflatæ, penes eam congregationem permansit jus conventualiter existendi in ea civitate, cum omnibus priscis juribus et privilegiis, excepto solo in bona alienata jure.* — Supponimus congregationem ipsam non fuisse a sede Apostolica suppressam, neque per omnium membrorum suorum obitum extinctam; sed legitime perdurasse et propagatam esse usque ad præsentem diem. Porro in tali

Digitized by Google

congregatione agnoscendum est jus conventualiter existendi in civitatibus, pagis et districtibus Galliæ et Belgii, in quibus olim monasteria habuit. Nam, ex probatis, jus illud, nec per religiosorum dispersionem, nec per monasteriorum illorum legitimam alienationem periit; sed permansisse censendum est, etiam in uno superstite totius congregationis professo; et potuit etiam ille unicus superstes et congregationem suam, et prædictum jus perpetuare. Ergo hodie possunt illius congregationis prælati, absque nova Ordinariorum licentia, in dictis Galliæ et Belgii civitatibus, pagis ac districtibus, ædes sibi comparare, atque in eis instituti sui propriam conventualem vitam instaurare, cum omnibus priscis suis juribus et privilegiis, dempto solo in bona alienata jure.

Propositio VI^a^. *Non poterunt tamen ullibi regulares, absque Ordinarii approbatione, sæcularium confessiones audire, aut prædicandi verbi divini munus obire.* — Nam et ante dispersionem de jure communi requirebatur hæcce Ordinariorum approbatio. Nec ab ea obtinenda post concilium Tridentinum, eximi soliti sunt ulli religiosorum ordines. Unde si qua congregatio privilegium Apostolicum quoad hoc prætenderet, ipsi incumberet illud probare.

Conclusio *totius præsentis paragraphi.* — Si vera sit, quam exposuimus, de religiosis dispersis et ad pristinas suas stationes remeantibus doctrina, quoad praxim hæc concludenda veniunt: 1° Provincialis Patrum Carmelitarum Belgii, assentiente totius ordinis generali superiore, potest, absque nova Ordinarii licentia, instituti sui conventum inchoare in singulis dictæ regionis civitatibus, pagis ac districtibus, in quibus ante violentam expulsionem et dispersionem exstiterat canonice erecta ejusdem ordinis familia; quia, cum nunquam suppressa et nunquam extincta fuerit congregatio hæc, ipsi nunquam periit acquisitum jus in dictis locis conventualiter existendi. 2° Potuit idem provincialis, absque nova Ordinarii licentia, monialium etiam Carmelitarum conventus inchoare in iis locis, in quibus pridem exstiterant earum virginum mona-

Digitized by Google

steria, provincialis auctoritati ac regimini subjecta; quia nec jus illud canonice acquisitum, habendi nempe in tali civitate ejusmodi monialium sibi subjectarum monasterium, Patribus Carmelitanis periisse censendum est. 3° Quod diximus de ordine Patrum Carmelitarum, applicandum venit cæteris ordinibus et congregationibus religiosis. Eæ scilicet congregationes, quæ nec suppressæ nec extinctæ sunt, et habuerunt in aliqua civitate instituti sui conventum, ibidem possunt hodie absque nova Ordinarii licentia, ædes monasticas sibi comparare, in quibus iterum vitam conventualem agant. 4° In conventibus sic instauratis, regulares potiri censendi erunt omnibus priscis suis juribus ac privilegiis, quibus ante expulsionem olim gaudebant, excepto jure in bona temporalia legitime alienata. 5° Salvum tamen semper censendum est jus Ordinarii, ut nullus regularium absque episcopali approbatione valeat prædicare, aut confessiones audire quorumcunque, præter religiosorum sui ordinis. 6° Dictæ conclusiones applicandæ non sunt societati Jesu. Ordo enim Jesuitarum, a Clemente XIV suppressus est. Perempta proinde ipsorum jura. Unde hodie nullibi inchoari potest hujusce instituti conventus, absque Ordinarii licentia, et cæteris ad novi conventus erectionem requisitis formalitatibus (1). 6° Tandem quod de Belgio dictum est, Galliæ etiam est applicandum, ut patet.

Non ignoramus de hisce regularibus dispersis et ad pristina sua loca remeantibus contrariam doctrinam tenuisse Marianum Verhoeven (*de Regularium et sæcularium clericorum juribus*, pagina 86 et seq.). Sed auctor ille asserendo, non probando, suam hac de re sententiam protulit; et deserendum eum supra deductæ rationes facile suadent.

Nota. — In præsenti paragrapho tanquam certum supposuimus, dari posse hodie in Belgio et Gallia veros ac proprie dictos religiosos, qui nempe et status religiosi essentiam, et votorum etiam solemnitatem habeant. Id autem probatur sequenti sectione.

(1) Intellige, *de jure communi*, et abstrahendo ab hodiernis illius societatis privilegiis.

Digitized by Google

SECTIO III.

De hodierna conditione religiosarum familiarum Galliæ, quoad status religiosi essentiam et votorum solemnitatem.

Cum paris in omnibus conditionis haud sint religiosi et moniales Galliæ, ut ex dicendis patebit, visum est seorsim de utrisque disserere. Hinc duplici subsectione agemus : 1° de religiosorum, 2° de monialium hodierna in Galliis conditione.

SUBSECTIO I.

De hodierna conditione religiosorum virorum in Gallia, quoad essentiam status religiosi, necnon votorum solemnitatem.

PRÆNOTANDA. — I. *Quid potestas sæcularis Galliæ statuerit quoad capacitatem familiarum religiosarum possidendi in communi.* — Die 2 januari 1817, statutum fuerat in hunc modum : « Art. 1 : Tout établissement ecclésiastique reconnu par la « loi pourra accepter, avec l'autorisation du roi, tous les « biens, meubles, immeubles ou rentes, qui lui seront donnés « par actes entre-vifs ou par actes de dernière volonté. « — Art. 2 : Tout établissement ecclésiastique reconnu par

Digitized by Google

« la loi pourra également, avec l'autorisation du roi, acqué-
« rir des biens immeubles ou des rentes. — Art. 3 : Les im-
« meubles ou rentes appartenant à un établissement ecclé-
« siastique seront possédés à perpétuité par ledit établisse-
« ment, et seront inaliénables, à moins que l'aliénation n'en
« soit autorisée par le roi. »

Is autem modus possidendi in communi extensus est ad religiosas mulierum familias decreto diei 24 maii 1825, articulo 4. Ast simul ejusdem legis articulo 1 et 2 cautum est, necessariam deinceps fore *legem*, ad approbandas singulas ejusmodi mulierum communitates, ante diem 2 januarii 1825 non existentes : quoad anteriores vero, sufficiens fore edictum regium (une ordonnance royale).

In præfata autem lege anni 1825 sic disponitur articulo 7 :
« En cas d'extinction d'une congrégation ou maison religieuse
« de femmes, ou de révocation de l'autorisation qui lui aurait
« été accordée, les biens acquis par donation entre vifs, ou
« par disposition à cause de mort, feront retour aux dona-
« teurs ou à leurs parents au degré successible, ainsi qu'à
« ceux des testateurs au même degré. Quant aux biens qui
« ne feraient pas retour, ou qui auraient été acquis à titre
« onéreux, ils seront attribués et repartis moitié aux éta-
« blissements ecclésiastiques, moitié aux hospices des dépar-
« tements, dans lesquels seraient situés les établissements
« éteints. »

Unde, juxta vigentes hodie in Gallia potestatis sæcularis leges, non sunt possidendi in communi capaces nisi eæ monialium communitates, quæ ad id per speciale decretum habiles declaratæ sint; et eæ religiosorum domus quæ sub titulo *établissement ecclésiastique* pariter fuerint a potestate sæculari approbatæ. Quæ tamen possidendi capacitas ab eadem sæculari potestate pro arbitrio retrahi potest.

II. *Quid sæcularis potestas in Gallia statuerit, quoad familiarum religiosarum membra, id est, quoad ipsorum vota, et possidendi capacitatem.* — Præcipuas hac de re dispositiones sat notas fa-

Digitized by Google

ciunt pauca hæc domini Carrière verba : « Lex civilis hodie « apud nos non agnoscit nisi vota simplicia, et quidem ad « quinque annos tantum, licet non prohibeat perpetua : qui « autem ea emiserunt, servant plenum bonorum suorum do- « minium : solummodo prohibentur donare sive communitati, « sive ejus membris, ultra certam quantitatem a lege deter- « minatam. » (Compendium tractatus *de jure et justitia,* edit. quarta, pag. 57.)

Textus autem præcipui quibus ita disponitur, sunt fere sequentes : in decreto diei 18 februarii 1809, quo approbantur moniales hospitalibus addictæ(les sœurs hospitalières), sic habetur : « Art. 7 : Les élèves ou novices ne pourront contracter de « vœux, si elles n'ont 16 ans accomplis. Les vœux des no- « vices agées de moins de 21 ans, ne pourront être que pour « un an. — Art. 8 : A l'âge de 21 ans, les novices pourront « s'engager pour cinq ans. — Art. 9 : Chaque hospitalière « conservera l'entière propriété de ses biens et revenus, et « le droit de les administrer et d'en disposer conformément « au code civil. — Art. 10 : Elle ne pourra par acte entre- « vifs, ni y renoncer au profit de sa famille, ni en disposer » soit au profit de la congrégation, soit en faveur de qui que « ce soit. »

Postea vero, die 23 maii 1825, prodiit nova lex, qua sic statutum est articulo 5 : « Nulle personne faisant partie d'un « établissement autorisé, ne pourra disposer par acte entre- « vifs ou par testament, soit en faveur de cet établissement, « soit au profit de l'un de ses membres, au-delà du quart de « ses biens, à moins que le don ou legs n'excède pas la « somme de 10,000 francs. Cette prohibition cessera d'avoir « son effet relativement aux membres de l'établissement, si la « donataire ou légataire était héritière en ligne directe de la « testatrice ou donatrice. »

Instructio ministerialis, quoad hujus posterioris legis executionem, sic declarabat articulo 12 : « La loi n'interdit point « aux religieuses la libre disposition de leurs biens patrimo-

Digitized by Google

« niaux ou autres qu'elles possèdent, ou qui pourraient leur « échoir : ici leurs droits sont ceux du reste des Français. « Elles peuvent même disposer de leurs biens, soit par dona- « tion, soit par testament : il n'est dérogé à leur égard au « droit commun que dans les cas déterminés par l'article 5 « de la loi. »

Ex his et similibus nonnullis aliis decretis, hæc concludenda veniunt : 1° religiosi ac moniales earum communitatum, quæ a potestate sæculari non fuerunt ut tales agnitæ, id est, quæ *authorisationem*, ut aiunt, non obtinuerunt, a lege habentur tanquam meri cives. Proinde lex nullum agnoscit eorum jus possidendi in communi. Item lex, pro nihilo reputans quælibet ipsorum paupertatis vota, eos, perinde ac cæteros cives, habet tanquam dominii capaces ; unde eis obvenientes hæreditates, non secus ac si sæculares forent, attribuit. 2° Quod si eorum communitates authorisationem a gubernio obtinuerint, possidere quidem possunt in communi : ast quoad jus singulorum membrorum possidendi, acquirendi, et libere administrandi bona sua, ac de iis libere disponendi, non aliter differunt a meris civibus, quam quod prohibeantur communitati, aut alicui ipsius membro, ultra certam quantitatem bonorum suorum donare.

Proinde leges sæculares Galliæ in nullo casu agnoscunt, per votum paupertatis induci incapacitatem dominii ; seu, quod idem est, nullum votum paupertatis agnoscunt ut solemne. Item non agnoscunt ullum castitatis votum ut solemne, seu ad contrahendum matrimonium inhabilitans.

III. In Belgio viget Napoleonis codex (excepta lege citata anni 1825). Atque eadem fere est religiosarum familiarum, quoad legem sæcularem, conditio. In multis autem infidelium et hæreticorum regionibus, religiosi ac moniales non ut tales a lege sæculari agnoscuntur, sed tanquam cives, iisdem ac cæteri dispositionibus obnoxii.

IV. Ex iis porro legum sæcularium dispositionibus, multiplex oritur nunc expendenda quæstio, de vera religiosarum

Digitized by Google

familiarum in prefatis regionibus conditione. Quam gravissimam disceptationem sequenti capitum serie expediemus: 1° lex sæcularis religiosos ut tales non agnoscens nequaquam impedit quin sint veri religiosi: 2° item non impedit, quominus in communi possidere valeant: 3° item non impedit, quoad religiosos rite professos, incapacitatem dominii et votorum solemnitatem: 4° independenter a lege sæculari, induci potest jus, quo bona religiosis professis quocunque titulo, etiam ab intestato, obvenientia, ad communitatem devolvantur: 5° sæcularis potestas neque incapacitatem dominii in religiosis, neque bonorum ipsis obvenientium devolutionem ad ipsorum communitates valide potest decernere: 6° an, ob difficultates ex lege sæculari Galliæ provenientes, votum paupertatis solemne, seu cum incapacitate dominii conjunctum, desinat esse de re meliori, et consequenter sit invalidum? 7° concluditur exstare hodie in Gallia veros religiosos etiam cum votis solemnibus: 8° de conditione speciali hodiernorum Trappensium Galliæ: 9° ostenditur multipliciter errasse R. D. Carrière, in expendenda quæstione, an solemnia sint hodie in Gallia religiosorum vota.

CAPUT I.

LEX SÆCULARIS, RELIGIOSOS UT TALES NON AGNOSCENS, NEQUAQUAM IMPEDIT QUOMINUS SINT VERI RELIGIOSI.

Nam, ex demonstratis in superioribus sectionibus, ad essentiam religiosi status sufficit, ut quis sese liget tribus votis simplicibus paupertatis, castitatis, et obedientiæ, in aliqua religione ab Ecclesia approbata, cum traditione sui Deo facta, et ab aliquo, nomine Dei, acceptata. Porro lex sæcularis nihil horum impedire potest, quantumvis renuat religiosos ut tales agnoscere. Etenim

1° Impedire nequit quin sese obliget castitatis voto. Nam statim ut quis Deo castitatem promisit, ad voti hujus observa-

Digitized by Google

tionem obligatur, independenter ab omni sæcularis potestatis lege, et quocunque mundi loco. Nulla scilicet potestati sæculari competit jurisdictio, qua valeat votum castitatis irritare, aut ab eo dispensare. Ad res quippe spirituales pertinet votum castitatis ipsiusque obligandi vis; princeps autem sæcularis in res spirituales potestatem nullam habet. Quod qui negaret, non tantum a doctrina catholica prorsus aberraret, sed et insanire censendus foret.

2° Neque valet sæcularis potestas impedire quominus emittat quis votum obediendi prælato alicujus ordinis religiosi ab Ecclesia approbati, et quominus tali voto obligetur; ob modo expositas quoad votum castitatis rationes. Et pariter impedire nequit eadem sæcularis potestas, quin dictus prælatus vota hæc, et traditionem quam sui ipsius Deo facit vovens, tanquam deputatus ab Ecclesia et nomine Dei acceptet. Hæc enim omnia spiritualia sunt, et præter sæcularis potestatis jurisdictionem, ut patet. Unde difficultas, si qua foret, versaretur duntaxat circa votum paupertatis. Sed

3° Neque magis valet sæcularis potestas impedire quin sese liget quis voto paupertatis, ad constituendam status religiosi essentiam sufficienti. Nam ad status religiosi rationem, necessarium non est votum paupertatis solemne, seu quo inducatur dominii habendi incapacitas; sed sufficit votum simplex paupertatis, quo adimatur usus independens, seu jus utendi rebus pro arbitrio et tanquam suis. Id supra, parte I, probatum est, et fuit expresse a sede Apostolica definitum quoad scholasticos societatis Jesu; qui, licet bonorum suorum dominium retineant, et teneantur duntaxat de nulla re independenter a superioris voluntate disponere, declarantur esse et dici debere vere et proprie religiosi. Porro, etiamsi valeret sæcularis potestas votum solemne paupertatis impedire (quod infra falsum omnino ostenditur) at certe votum paupertatis simplex, prædicto modo intellectum, nequaquam impedire aut irritare valet. Nam quod quis Deo promittat bonis suis non uti, nisi dependenter a superioris voluntate, est votum de re meliori;

Digitized by Google

est nempe consilium evangelicum, spirituali animæ bono valde proficuum; est proinde quid Deo acceptissimum. Unde repugnat principi sæculari datam a Deo fuisse potestatem ejusmodi votum irritandi. Obligat ergo promissio ejusmodi independenter a qualibet sæcularis potestatis prohibitione. Quæ prohibitio nihil esse potest quam inane contra Christum ipsum attentatum.

Ergo sæcularis potestas nihil eorum, quæ status religiosi essentiam constituunt impedire valet; ergo quantumvis religiosos ut tales non agnoscat, nequaquam impedire potest quin veri religiosi sint.

Objicies. — Impedire valet sæcularis potestas ne religiosi simul commorentur, cogendo nempe ut dispersi et solitarii vivant; sed religiosi solitarii jam ab Ecclesia non approbantur, nec proinde veri religiosi sunt; ergo aliquomodo valet sæcularis potestas religiosos impedire ne veri religiosi sint. — Respondeo 1°: Valet sæcularis potestas religiosos cogere ut dispersi vivant, *tyrannice et justitiam violando*, concedo : *cum justitia seu utendo jure suo*, nego. Tenetur nempe sæcularis potestas fidelibus libertatem relinquere consilia evangelica sectandi, eo modo quem utiliorem Ecclesia determinavit. Si secus agat, non jus suum, sed apertam injustitiam exercebit. Respondeo 2° : Ecclesia jam non approbat religiosos solitarios, distinguo, *solitarios ex instituto*, concedo : solitarios, id est, *vi dispersos*, licet pertineant ad ordinem cœnobiticam vitam agentem, nego. Nam communitatum religiosos, per vim iniique dispersos, non minus ut religiosos habet Ecclesia, quam si in suis domibus una degerent. Unde nuspiam in mundo valet, aut unquam valebit, sæcularis potestas impedire quominus veri exstant religiosi.

Digitized by Google

CAPUT II.

LEX SÆCULARIS, RELIGIOSOS UT TALES NON AGNOSCENS, IMPEDIRE NEQUIT QUOMINUS POSSIDERE IN COMMUNI VALEANT.

ARGUMENTUM I, *ex natura ipsa religiosarum communitatum.* — Etenim potestas hæc, quæ legi sæculari tribueretur, impediendi ne regulares in communi possidere possent, intelligenda foret, vel quoad jus, vel quoad factum : atqui neutro sensu valet sæcularis potestas impedire, quin religiosi bona temporalia in communi possideant :

1° Spoliare nequit religiosos jure possidendi in communi. Nam Christus Ecclesiam instituit cum omnibus juribus, quæ ad finem ejus proprium assequendum necessaria sunt. Ad finem autem Ecclesiæ necessarium est ut bona temporalia possidere possit; verbi gratia, necesse est ut habeat ecclesias, vasa sacra, resque alias ad sacram liturgiam requisitas : item redditus unde ministrorum suorum sustentationi provideat. Pariter ad finem Ecclesiæ proprium pertinet, ut fideles possint consilia evangelica ad praxim deducere; cumque ad ejusmodi perfectiorem statum, communis vita longe utilior sit solitaria, jus habet Ecclesia ut possint religiosi vitam communem agere. Jam vero ut religiosorum communitates finem hujus sui instituti apte valeant attingere, necesse est ut communitas ipsa membrorum suorum temporalibus necessitatibus providere possit; ac proinde ut bona temporalia tanquam communitas possidere valeat : ne scilicet, si quisque religiosorum de rebus ejusmodi sibi procurandis atque administrandis sollicitudinem assumere deberet, tota fere religiosi status utilitate fraudaretur. Ergo jus habet Ecclesia ut religiosi in communi possidere valeant. Ergo sæcularis potestas jus illud agnoscere renuens, aut ejusmodi possessionem in communi decretis suis prohibens, injuste agit, et nequaquam jus illud religiosarum communitatum destruit.

Digitized by Google

2° Neque de facto impedire valet sæcularis potestas ne religiosi in communi possideant, per hoc solum quod eos ut religiosos non agnoscat. Et quidem

Primo, impedire nequit quin communitas de facto possideat bona mobilia. Nam potest quis pecuniam, resve alias mobiles, velle dare communitati. Et potest superior dona illa nomine communitatis acceptare. Nec potest sæcularis potestas, quantumvis declaret se religiosos ut tales non agnoscere, ejusmodi donationem et acceptationem impedire. Porro ex solo facto hujusce donationis et acceptationis, bona illa mobilia vere possidebit communitas. Cum enim ex una parte jus possidendi habeat, ut modo probatum est, et aliunde rem datam et acceptatam de facto teneat, verum et legitimum dominium habere censenda erit. Ergo sæcularis potestas impedire nequit quin communitas bonorum mobilium dominium sibi de facto acquirat.

Secundo, impedire nequit quin immobilia etiam bona de facto possideat. Equidem sæcularis potestas impedire valet, et revera hodie in Gallia aliisque regionibus impedit, ne religiosa communitas a lege habeatur tanquam persona moralis, dominii capax. Atvero, non obstante illa incapacitate, in legibus a potestate sæculari expressa, adhuc potest religiosa communitas verum dominium in bona immobilia de facto acquirere. Nam verum dominium in rem immobilem de facto habebit, si possit eam ita acquirere, ut valeat efficaciter et licite illa uti et pro arbitrio de illa disponere : atqui id valet communitas, quantumvis a lege incapax dominii decernatur. Nam potest aliquem e religiosis deputare ad emendum (verbi gratia) agrum, pecuniam ad id necessariam ei tradendo. Cum vero is religiosus, non secus ac quilibet alii cives, coram lege sit dominii acquirendi capax, poterit, ex facultate sibi ad id a superiore data, contractum suo nomine inire, ita ut ad terminos legis videatur esse dominus, et ut talis, attenta lege, reputari debeat. Reapse tamen non ipse verus erit dominus, sed communitas. Nam cum jam sit professus, nequivit coram

Digitized by Google

Deo ullum dominium sibi acquirere. Unde totum quod præstitit, tanquam minister communitatis egit, et ad meram administrationem reducitur. Et bene notum est administrationis actus quoad bona temporalia præstari posse etiam a religioso professo, quamvis dominii incapaci. Remanet ergo ut agri sic empti dominium revera sit penes communitatem, et ficte duntaxat religioso tribuatur. Et potest communitas de agro illo pro arbitrio disponere (1), (donare, verbi gratia, vel vendere), jubendo eidem religioso qui personam domini coram lege agit, ut actus ad id idoneos exerat. Ergo revera, quamvis communitas a lege sæculari decernatur dominii incapax, potest *efficaciter* dominium acquirere.

Id etiam potest *licite*. Nam ideo illicitus prætenderetur ille agendi modus, quia religiosus, ficte agens personam domini, mendacii reus censendus foret; cujus peccati totam communitatem, utpote ad id eum deputantem, consortem haberet et complicem. Porro ibi nullum intervenit mendacium. Nullum enim adest mendacium, quando nemo fallitur. Sed in præsenti casu notorietatis est publicæ, religiosum, qui emptionis venditionisve aut similes contractus suo nomine init, id præstare ex mandato communitatis et tanquam ejus minister; hancque esse ipsius mentem et intentionem, quantumvis aliter sonent formulæ quibus subscribit, ut sese legis necessitati aptet.

Ergo tandem potest et de jure et de facto religiosa communitas bona temporalia possidere, quamvis lex sæcularis eam cujuslibet possessionis seu dominii incapacem decernat.

Et revera hodie, in Gallia et in aliis regionibus, ubi religiosi ut tales a lege sæculari non agnoscuntur, bona temporalia possident communitates religiosæ prædicto modo. Inscribuntur nempe illa bona nomine aliquot membrorum communitatis. Sed religiosi illi, qui coram lege censentur horumce bonorum

(1) Cum dependentia tamen a supremo bonorum omnium ecclesiasticorum administratore, id est, Romano Pontifice; quod semper supponimus, quando communitati dominium tribuimus.

Digitized by Google

domini, revera nequaquam domini sunt; nec minus furti et sacrilegii reos se facerent, si quidquam ex istis bonis sibi absque licentia usurparent aut de iis disponerent, quam cæteri quilibet, quibus non competit fictitius ille coram lege sæculari titulus.

ARGUMENTUM II, *ex dispositionibus Sacræ Congregationis Propagandæ, a Gregorio XVI confirmatis.* — Decreto die 15 decembris 1840, Sacra Congregatio de propaganda fide, modum determinavit, quo deberent in Statibus unitis possideri et transmitti bona ecclesiastica, tum Episcoporum, tum religiosorum et monialium nomine inscripta, et ab ipsis *civiliter*, ut dicitur, possessa. Habetur decretum illud in *Fasciculo*, quo recencentur acta synodorum provincialium Baltimori, ab 1829 usque ad annum 1840, pagina 81; qui fasciculus adjungi solet tomo 5 bullarii Propagandæ. Sequentes, quæ ad rem nostram faciunt dispositiones, ex illo depromimus:

« Decretum S. Congregationis de propaganda fide.—Quum « in fæderatis Americæ septentrionalis Statibus nulla a le- « gibus civilibus ecclesiastica successio agnoscatur, et ideo « nullum jus nec Episcopis nec sacerdotibus, ab iisdem le- « gibus tribuatur, transmittendi suis successoribus bona quæ- « cunque, quæ a pia fidelium largitate ad ecclesiasticos vel « pios usus, sive Episcopis, sive sacerdotibus donata fuerunt; « prædictorum bonorum... securitati prospicere volens Sacra « Congregatio de propaganda fide, decrevit in posterum ser- « vanda esse quæ sequuntur:

« Archiepiscopus Baltimorensis, et Episcopi omnes in fæde- « ratis Americæ septentrionalis Statibus, statim post hujus « decreti receptionem, testamentum juxta leges status in quo « degunt (quarum accuratam notitiam ex certis fontibus sibi « comparabunt) conficiendum curent. Illud autem duplicato « et æque authentico chirographo seu exemplari omnino « efficient, atque hæredem bonorum omnium ecclesiasticorum « quæ ipsi actu possideant, vel jus ad possidendum habeant, « illum ex Coepiscopis suis americanis, quem magis in Domino

Digitized by Google

« expedire judicaverint, constituent... Moneatur etiam a te-
« statore Episcopus, qui hæres constitutus fuerit, per litteras
« (quas perlectas comburet), eo tantum fine se hæredem
« nuncupatum fuisse, ut bona omnia diœcesis religiose cus-
« todiantur, donec a S. Sede successor eligatur; illique tunc
« fideliter et legitime transmittantur... (1).

« Eadem sollicitudine Sacra Congregatio providere volens
« securitati bonorum communitatum omnium, sive ecclesia-
« sticarum, sive religiosarum, tum virorum, tum etiam puel-
« larum, et quarumcunque aliarum piarum institutionum,
« quæ inter bona ecclesiastica locum obtinent, vel saltem
« eorum naturæ participant, atque sollicita Ecclesiæ Pastorum
« cura piis usibus, ob quos vel comparata vel donata fuerunt,
« servanda et posteris fideliter transmittenda sunt, quæ se-
« quuntur decernit:

« Archiepiscopus et Episcopi, post decreti hujus receptio-
« nem, ad superiores, præfectos vel præsides communi-
« tatum, quæ intra diœcesis suæ fines reperiuntur, scribent;
« illisque omnibus, auctoritate Sacræ Congregationis (quæ
« illis omnibus ad hoc specialiter delegatur) præcipient, ut
« quamprimum fieri poterit, certiorem per litteras Episco-
« pum ipsum faciant: 1.° An, quæ, et quo onere bona possi-
« deat communitas cui præest? 2.° An suæ communitati fa-
« cultas seu jus a civili potestate datum fuerit, bona omnia,
« vel eorum partem possidendi et ad successores transmit-
« tendi? 3° An bona omnia, vel aliqua eorum pars a supe-
« riore, vel ab aliquo communitatis membro, vel a pluribus
« conjunctim possideantur? 4° An aliquem invenerint modum
« tuto ad successores bona prædicta transmittendi, et quis sit
« modus iste? 5° An nullus alius habeatur modus præter tes-
« tamentum?

« Responso accepto, Ordinarius quid agendum sit facile
« comperiet. Nam si quæ sint communitates, quibus jus a

(1) Ibi varia præscribuntur ad rectam hujusce testamenti confectionem et executionem opportuna.

Digitized by Google

« potestate civili tributum fuerit possidendi, et ad succes-
« sores transmittendi bona omnia, vel aliquam eorum par-
« tem, nulla erit occasio sollicitudinem exercendi ad eorum
« conservationem. Sin autem modus aliquis excogitatus fuerit
« possidendi bona, per societatis contractum, quo bona in
« communi possidentur, a tribus vel quatuor communitatis
« membris, ita ut omnes socii jus illud possideant naturalis
« suæ vitæ tempore, sed quocunque ex illis mortuo jus
« apud superstites socios remaneat possidendi bona universa,
« nulla facta cuique ex ipsis potestate alienandi suæ vitæ
« tempore, vel per testamentum relinquendi bona prædicta
« post mortem; tunc id tantummodo ab Episcopo curandum
« erit, ut, uno ex sociis mortuo, alius ex communitatis mem-
« bris in societatem adsciscatur. Tandem si unica testamenti
» remaneat via transmittendi bona ad successores, præcipiat
« Episcopus superioribus, vel illi, qui suo proprio nomine
« communitatis bona possidere tunc poterit, ut statim testa-
« mentum juxta leges civiles, duplici exemplari æque authen-
« tico perficiat, ex quibus unum in communitatis scriniis di-
» ligenter asservetur, alterum vero ad Episcopum diœcesa-
« num in archivio asservandum mittatur.

« Facta vero Sanctissimo Domino Nostro Gregorio Papæ
« XVI rei totius relatione per... S. Congregationis secreta-
« rium, Sanctitas Sua, quæ superius præscripta sunt, in om-
« nibus confirmavit, et exequenda esse jussit. Datum Romæ
« ex ædibus Sacræ Congregationis de propaganda fide, die
« 15 decembris 1840. »

Ex documento illo hæc aperte sequuntur :

1° Approbavit Gregorius XVI, ut bona communitatis, sub unius aut plurium nomine inscribantur; ita nempe ut isti proprietarii, tales reipsa non sint, sed duntaxat *civiliter*. Atque item approbavit, ut illi *civiles* proprietarii, in exerendis civilibus proprietatis actibus se gererent perinde ac si forent veri domini; proindeque existimavit nil pravi in hac agendi ratione reperiri.

Digitized by Google

2° Pro certo habuit idem Pontifex posse tum a diœcesi, tum a communitate religiosa, *vere* possideri bona temporalia, in iis regionibus, in quibus lex sæcularis hanc diœcesis aut communitatum religiosarum possidendi facultatum non agnoscit.

3° Item pro certo habuit, eos religiosos, sub quorum nomine bona communitatis inscribuntur, quamvis sint *civiliter* bonorum illorum domini, revera tamen nullum in ea bona dominium acquirere; actusque *civiles* ab iisdem circa ejusmodi bona gestos, nequaquem esse veri dominii actus, sed duntaxat meræ administrationis.

Ex quo rigorose sequitur, posse stare votum solemne paupertatis in religioso, sub cujus nomine bona communitatis inscribuntur, et qui *civiliter* ea bona possidet. Cum enim ex hoc nullius rei verum dominium religiosus ille acquirat, nequaquam sese mutuo excludunt ille *civiliter* possidendi modus, et incapacitas dominii, ad voti solemnitatem necessaria. Sed de hoc consectario fusius infra.

ARGUMENTUM III, *ex absurdis quæ alioquin sequerentur.*— 1° Sequeretur hodie ab Ecclesia injuste possideri bona temporalia in Anglia, in Hollandia, in Statibus unitis Americæ, etc. Etenim in iis regionibus, ejusmodi bona acquisiverunt diœceses et communitates religiosæ: et quamvis bona illa sub aliquot privatorum nomine inscribantur, nequaquam tamen ad illos privatos pertinere censentur, sed habentur tanquam bona Ecclesiastica, et consequenter libere de iis disponunt, qui jus habent bona diœceseon, vel communitatum illarum, administrandi. Aliunde autem in iisdem regionibus lex sæcularis hasce communitates ecclesiasticas et religiosas non agnoscit tanquam habiles ad possidendum. Ergo si lex ista obligaret in conscientia, deberent illarum diœceseon Episcopi, necnon religiosæ illæ communitates, bona illa, utpote sine justo titulo a se possessa, habere tanquam bona derelicta fisco adscribenda, abdicare et gubernio tradere. Præscriptiones autem Sacræ Congregationis de propaganda fide, quas

Digitized by Google

modo retulimus, et quibus determinatur modus bona hæc fideliter conservandi et successoribus transmittendi, pro injustis habendæ forent. Imo dicendum esset errasse dictam Sacram Congregationem, dum bona hæc de *ecclesiasticis* esse existimavit. Ejusmodi consectaria, non minus exitialia quam absurda, diligenter perpendant ii ætatis nostræ scriptores catholici, qui asseruerunt per legem sæcularem impediri posse, ne valeant religiosi, aliave collegia ecclesiastica, quidquam in communi juste possidere.

2° Sequeretur bona temporalia *injuste* possessa fuisse ab Ecclesia tribus primis sæculis, imo et ab ipsis Apostolis et Christo Domino. Etenim constat Christum Dominum et Apostolos communes loculos habuisse; item constat statim ab Ecclesiæ exordiis inductam inter fideles fuisse bonorum communitatem; et noto notius est penes Episcopos Apostolorum successores fuisse administrationem multorum ejusmodi bonorum, communibus necessitatibus expendendorum. Porro dum hæc fierent, exstabat Cæsarea lex, a Trajano et Septimo Severo, tum Romæ, tum in Italia et provinciis promulgata, qua novo cuilibet collegio, ab imperatore et senatu non approbato, interdicebatur possidere, sive immobilia, sive etiam pecunias; imo et ejusmodi collegia dissolvi jubebantur (vide Mamacchi, *del dritto libero di possedere della Chiesa*, tom. 2, cap. 2, passim).

3° Sequeretur jure suo uti gubernia, quæ hodie lege sanciunt, nullas religiosas aut ecclesiasticas communitates esse ad possidendum habiles; et quæ, in hujus legis executionem, bona illarum communitatum invadunt. Etenim si possit sæcularis lex impedire ne religiosæ et ecclesiasticæ communitates *juste* possideant, posita hujusmodi lege, jam ipso facto injuste possiderent. Legitime ergo bona ipsarum, id est, omnium monasteriorum, capitulorum cathedralium, et diœcesium, sibi gubernium attribuere poterit. Unde sequeretur

4° Absone a Pio IX excommunicatos nuper declaratos fuisse eos omnes, qui in regno Sardiniæ, ejusmodi legi et bonorum

Digitized by Google

ecclesiasticorum invasioni operam contulere. Profecto qui, non obstantibus hisce consectariis, sæculari legi vim tribuit impediendi, ne ecclesiasticæ et religiosæ communitates *juste* in communi possidere valeant, non pro catholico, sed pro Ecclesiæ catholicæ proditore ac desertore habendus est.

CAPUT III.

LEX SÆCULARIS, INCAPACITATEM DOMINII IN RELIGIOSIS NON AGNOSCENDO, NEQUAQUAM IMPEDIT INCAPACITATEM ILLAM A LEGE ECCLESIASTICA INTRODUCTAM, ET VOTORUM SOLEMNITATEM.

Prænotanda. — 1° A posita conclusione, tanquam a cardine, tota pendet solutio gravissimæ quæstionis, an hodie solemnia esse possint in Gallia religiosorum vota. Etenim qui negant hanc solemnitatem stare posse cum hodiernis Galliæ legibus libenter concedunt, vim non habere illa sæcularis potestatis decreta *directe* impediendi ne solemnia sint castitatis et obedientiæ vota. At plane, inquiunt, voti paupertatis solemnitati obstant; siquidem solemne esse nequit votum illud absque incapacitate dominii; quam incapacitatem impossibilem reddit lex sæcularis Galliæ, hoc ipso quod eam non agnoscat. Cum autem solemne esse nequeat unum e tribus substantialibus votis, nisi simul solemnia sint et duo alia, sequitur neque solemnia esse posse vota castitatis et obedientiæ. Et sic concludunt obstare legem sæcularem Galliæ trium votorum solemnitati: directe scilicet quoad votum paupertatis; indirecte quoad duo alia. Unde si probetur dari posse in religiosis incapacitatem dominii, quantumvis eam non agnoscat lex sæcularis, ruet funditus infaustum illud systema, et facile postea determinari poterit vera religiosarum familiarum conditio, tum in Galliis, tum in aliis etiam regionibus, quæ haud absimili Cæsareo jure utuntur.

2° Opinio quæ vim tribuit legi sæculari impediendi, ne re-

Digitized by Google

ligiosi valeant, paupertatem profitendo, sese incapaces dominii reddere, seu ne solemne sit ipsorum paupertatis votum, inaudita (ut puto) fuerat ante hodierna tempora. Eam tamen ab aliquot annis sustinuerunt nonnulli scriptores Galliæ; inter quos fusius et ex professo id præstitit dominus Carrière, hodiernus Sulpitianæ familiæ generalis superior. Ipsi nempe *probabilius* est, hodiernos Galliæ religiosos ac moniales non posse per professionem suam dominii incapaces fieri, id nimirum impediente sæculari lege, ac proinde eorumdem vota solemnia non esse, ob istum legis sæcularis obicem (vide ipsius tractatum *de Justitia et jure*, n. 221 et seq.; tractatum *de Matrimonio*, n. 658 et seq.; et eorumdem tractatuum *Compendium*).

Laudatus tamen auctor id sustinet duntaxat relative ad præsentem Ecclesiæ disciplinam; qua stante, nequit votum esse solemne, nisi cum incapacitate dominii. Cæterum, putavit posse a sede Apostolica reddi solemne votum paupertatis, absque dicta incapacitate, seu retento bonorum temporalium dominio, et abdicato duntaxat eorumdem libero usu. His prænotatis, sit

ARGUMENTUM I, *ex fine Ecclesiæ proprio*. — Potestatem habet Ecclesia in res temporales et corporales quantam requirit finis ipsi proprius. Sic, verbi gratia, potestatem habet delinquentes subditos suos, id est, Christianos, coercendi, non tantum spiritualibus pœnis, sed temporalibus etiam et corporalibus; prout in tractatu *de Judiciis* fuse ostendimus. Quod qui negant habentur a Suarezio tanquam hæresi proximi et hæreticorum fautores. Item jus habet possidendi bona temporalia, verbi gratia, ecclesias et redditus ad ministrorum suorum sustentationem necessarios. Item potestatem habet impedimenta matrimonii dirimentia inducendi, et sic multos temporales effectus in familiis et in ipsa etiam civili societate producendi; et quidem independenter a qualibet sæculari potestate. Ratio autem cur Ecclesia jura hæc a Deo accepisse censenda sit, est quia iis opus habet, ut finem sibi proprium apte assequi valeat. Porro eadem ratio in præsenti etiam casu

Digitized by Google

militat. Nam ad finem Ecclesiæ proprium pertinet, ut statum religiosum, sicut et statum matrimonii, apte ordinet atque perficiat. Porro ad status religiosi perfectionem et decorem plurimi interest, ut multi saltem ex iis, qui ejusmodi vitam profitentur, dominii incapaces reddantur. Etsi enim ad status religiosi essentiam non requiratur illa dominii incapacitas, sed satis sit ut de nulla re absque licentia disponere possit religiosus, tamen paupertas, quæ dominium etiam adimit, utpote quæ bonorum terrestrium cupiditatem quasi in radice destruit, aptior de se est atque perfectior. Ergo ut valeat Ecclesia totam religiosi status utilitatem et pulchritudinem expandere, debet posse præfatam etiam dominii incapacitatem inducere. Ergo potestas hæc ad finem ipsi proprium necessaria est; ergo illam habet. Ergo sæcularis lex impedire nequit quin auctoritate Ecclesiæ inducatur in religiosis dicta incapacitas.

Objicies. — Non desunt doctores qui temporalia omnia sæculari potestati subdant, Ecclesiæ vero nonnisi spiritualia: sed capacitas aut incapacitas dominii de temporalibus est; ergo eam inducendi potestas non Ecclesiæ, sed sæculari principi adscribi potest. — Respondeo, utique non defuisse scriptores qui ita senserint; prout fuere non tantum hæretici, sed ii etiam, qui Gallicani systematis errores tandiu propugnarunt. At communis catholicorum et probatorum doctorum sententia est, Ecclesiæ competere in res etiam temporales potestatem: non quidem eo sensu quod ad regendam temporalem societatem instituta Ecclesia fuerit, sed eo sensu quod propter finem suum spiritualem, et quantum finis ille postulat, possit de rebus etiam temporalibus decernere, et jus habeat ut sæcularis potestas in hoc non obstet, sed obsequatur. Et certe Ecclesia nequit incapacitates matrimonii seu impedimenta dirimentia statuere, quin multos effectus temporales in civili societate producat. Quis tamen catholicorum negare audeat hanc quam sibi tribuit Ecclesia potestatem?

ARGUMENTUM II, *ex communiter recepta inter probatos aucto-*

Digitized by Google

res doctrina, circa res temporales spiritualibus annexas. — Communiter tenent doctores catholici, et tanquam extra omnem controversiam tradere solent, Ecclesiæ jurisdictioni subjacere causas *ecclesiasticas;* et pariter communi consensu tenent, pro *ecclesiasticis* habendas esse, non tantum causas spirituales, sed etiam *spiritualibus annexas.* In testimonium adduci posset tota fere canonistarum caterva; cum fere nullus sit alicujus nominis in re canonica scriptor, qui doctrinam hanc non tradiderit. Nonnullos duntaxat citabimus : « Omnes plane causæ « *ecclesiasticæ*, nimirum quæ spirituales sunt, vel *spiritualibus* « *annexæ,* necessario sunt in foro ecclesiastico agitandæ. » (Bockhn, in titulum 2, libri 2 decretalium, n. 91.) « Laicus « respectu causarum ecclesiasticarum judex competens esse « nequit; sed earum cognitio et dijudicatio ad solos eccle- « siasticos judices spectat : et quod causæ ecclesiasticæ sint « determinandæ a judice ecclesiastico, de hoc nullus unquam « orthodoxus dubitavit... Estque ratio, quod rerum spiri- « tualium, *eisque annexarum* judicialis et auctoritativa cogni- « tio, dijudicatio ac dispositio supponat legitimam ad hoc « potestatem ac jurisdictionem rebus istius modi proportio- « natam, id est, spiritualem et ecclesiasticam, cujus de se « incapaces sunt laici. » (Leurenius, *Forum eccles.*, in tit. 2, libri 2 decretalium, q. 91.) « Causæ *ecclesiasticæ* vel sunt « civiles, vel criminales. Civilium nomine veniunt quæcunque « causæ de rebus spiritualibus, vel *annexis spiritualibus.* » (Ferraris, verbo *forum,* n. 70.) « Causæ *ecclesiasticæ* duplicis « generis sunt : aliquas enim doctores appellant mere eccle- « siasticas seu *spirituales,* alias *temporales.* Mere ecclesiasticæ « seu *spirituales* sunt, quæ ex objecto suo sacræ sunt, seu « quæ versantur circa rem sacram et spiritualem : non mere « ecclesiasticæ seu *temporales,* quæ habent objectum de se « quidem profanum et temporale, ratione tamen personæ « ecclesiasticæ contra quam proponuntur, aliove ex capite, « ad cognitionem judicis sacri pertinent. De prioribus, seu « *mere ecclesiasticis,* indubitata apud omnes tam catholicos

Digitized by Google

« quam heterodoxos sententia est, illas ad cognitionem judicis « ecclesiastici, et quidem solius, laicis omnino exclusis, spe- « ctare... Proceditque hoc, non tantum de iis causis, quæ ab « intrinseco spirituales sunt..., sed etiam de iis quæ intrin- « sece spirituales non sunt, sed *spirituali tantum annexæ*, « quales sunt causæ reddituum ecclesiasticorum, decimales, « etc. Ratio est quia magis dignum trahit ad se minus « dignum; et res temporalis desinit esse talis, quamprimum « spirituali annexa fuerit. » (Schmalzgrueber, in tit. 1, libri 2 decretalium, n. 50.)

Ex communi autem illa doctorum sententia sequitur, capacitatem aut incapacitatem dominii in religiosis esse quid ad Ecclesiæ jurisdictionem pertinens; agitur enim de alliganda vel non alliganda hac incapacitate voto paupertatis. Ergo agitur de re connexa cum paupertatis voto : sed votum paupertatis est procul dubio res spiritualis : ergo agitur de re annexa rei spirituali. Sed communis est doctorum catholicorum sententia, ad ecclesiasticam, non autem ad sæcularem potestatem pertinere, ut de rebus ejusmodi, quæ spiritualibus annexæ dicuntur, decernat : ergo revera Ecclesiæ tribuendum est, ut possit independenter a sæculari principe incapacitatem dominii in religiosis inducere.

Ast, inquis, lex sæcularis perget nihilominus professum religiosum habere tanquam dominii capacem. Quid inde, nisi quod lex sæcularis quandoque civibus tribuat jura quibus carent. Et numquid lex sæcularis Galliæ non agnovit aliquando jus divortium instituendi, et ad novas nuptias convolandi? Quis porro catholicorum inferat revera jus illud exstitisse, aut neget ingentis sceleris reos fuisse qui hocce prætenso jure usi sunt? Pergat potestas sæcularis, quantum voluerit, religiosum professum habere tanquam capacem dominii, aut etiam matrimonii : si Ecclesia votum ejus tanquam solemne acceptaverit, est hoc ipso, sicut valide contrahendi matrimonii, ita et valide acquirendi dominii incapax.

ARGUMENTUM III, *ex eo quod sæcularis potestas non possit*

Digitized by Google

ullum civem incapacem dominii decernere, ex causa voti paupertatis. — Ut bene intelligatur hujusce argumenti vis, advertat lector nos hic causam habere cum iis scriptoribus, qui pro certo habent dari posse in religiosis dominii incapacitatem et votorum solemnitatem; sed qui simul negant induci posse hanc incapacitatem aliter quam vi legis sæcularis, seu *per sæcularem potestatem*. Dicunt nempe hanc incapacitatem dominii non existere, nisi lex sæcularis eam admittat. Si ergo probemus, hancce incapacitatem nequaquam induci posse a potestate sæculari, causa vincimus. Porro incompetentem omnino esse potestatem sæcularem ad decernendam et inducendam ejusmodi incapacitatem sic facile probari potest :

Sæcularis princeps jus non habet incapacitatem dominii decernendi quoad aliquem civem, aut aliquam civium classem, nisi id postulet commune societatis temporalis bonum. Aperte enim violaretur justitia distributiva, si, nulla urgente publici boni ratione, aliqui cives decernerentur ad dominium acquirendum inhabiles, dum cæteri omnes ea incapacitate non afficerentur. Jam vero commune societatis temporalis bonum nullatenus exigit ut, qui paupertatem vovit, dominii incapacitatem incurrat. Nam ex eo quod civis aliquis, post emissum paupertatis votum, bonorum suorum temporalium dominium conservet, et, sicut cæteri cives, valide adhuc possit donationes sibi factas acceptare, hæreditates adire, vendere, emere, donare, aliosque ejusmodi contractus inire, nulla sequitur reipublicæ perturbatio, infertur injuria nemini. Nec objiciatur, ad sæcularis principis officium pertinere, ut subditos suos efficaciter inducat ad præstandum id, ad quod ex conscientia tenentur; eos autem qui paupertatem voverunt, teneri ad abdicandum dominium quodlibet; nam præterquam quod multæ sunt conscientiæ obligationes, quarum executionem urgere ad sæcularem principem non pertinet, falsum est non posse stare votum paupertatis, etiam in religiosis ordinibus, cum retentione dominii. Etenim ad status religiosi essentiam sufficit votum paupertatis, quo quis Deo promittat nulla re

Digitized by Google

uti independenter a superiore, et tanquam propria; et necessaria non est dominii incapacitas, ut supra probatum est. Unde revera incapacitatem dominii quoad aliquem civem decernere, ex ea sola ratione quod civis ille paupertatem voverit, est quid sæcularis principis potestatem excedens.

Præterea incapacitas dominii, ex votis solemnibus exurgens, universalis est quoad loca. Certum nempe est religiosum, post emissa solemnia vota, esse omnino inhabilem ad acquirendum rei alicujus dominium, sive in Europa, sive in America, sive in alio quolibet mundi loco. Absurdum enim foret incapacem dominii vocare virum illum, qui dominium alicubi posset acquirere. Jam vero sæcularis cujusque principis auctoritas intra ditionis suæ fines concluditur, nec sese ultra extendit. Nequit proinde princeps unius regni decreto suo facere, ut civis aliquis incapax sit possidendi in alio regno. Ergo quantumvis incapacitatem decerneret quoad aliquem civem, civis ille non incurreret incapacitatem illam absolutam, seu quoad loca universalem, quæ ex votis solemnibus exurgit. Ergo incapacitas illa religiosorum, non potest provenire ex vi legis seu potestatis sæcularis; sed ad eam inducendam necessaria est potestas, quæ ad totum mundum, quoad ejusmodi effectum producendum, sese extendat. Solius autem Ecclesiæ potestas universalis est quoad loca. Nisi ergo ipsa valeat dictam religiosorum incapacitatem inducere, negandum erit posse unquam ejusmodi incapacitatem in aliquo homine existere. Potestque id illustrari exemplo inhabilitatis ad matrimonium, quæ ex voto solemni castitatis exurgit. Intelligenda est hæc inhabilitas in sensu absoluto et universali, et non tantum relative ad alicujus regni territorium. Porro etiamsi concederetur (quod tamen omnino falsum est) posse principem sæcularem aliquos cives reddere ad matrimonium valide contrahendum inhabiles, id intelligi non posset nisi relative ad hujus principis territorium. Si enim civis, sic declaratus inhabilis, patria sua exeat, et matrimonium contrahat in aliqua regione, in qua sæcularis potestas contractum

Digitized by Google

hunc pro valido habet, nulla est ratio cur valide non contrahat. Unde ut quis fiat inhabilis ad matrimonium absolute et quoad totum orbem, prout fit religiosus castitatem solemniter professus, necessaria est potestas, quæ valeat incapacitatem hanc inducere universaliter et relative ad omnia mundi loca. Quæ potestas nisi in Ecclesia agnoscatur, nullibi profecto agnoscenda erit. Unde tandem, vel nullo modo existere potest dicta dominii incapacitas, vel existere potest quin proveniat a lege sæculari, cum incompetens sit sæcularis potestas ad eam producendam: falsum prius, prout admittunt scriptores quos hic confutamus; ergo verum posterius (1).

Nec mirum posse in hac materia Ecclesiam, quod sæcularis principis potestatem excedit. Nam sicut facile perspicitur, ad finem temporalis societatis proprium minime requiri, ut sæcularis princeps possit religiosos dominii incapaces reddere, ita e contra ut hac potestate instruatur Ecclesia, proprius ipsius finis suapte natura postulat. Ecclesia nempe ad id a Christo Deo fuit in terris instituta, ut fideles omnes, juxta singulorum necessitates et varios status, ad sanctitatem et perfectionem spiritualem promoveat, aptisque mediis instruat. Consilia autem evangelica profitentibus valde est utile ut incapaces etiam dominii efficiantur : hoc quippe ligamine magis ab ipsis arcetur convertendi in res terrenas affectus periculum. Ergo ad plenam potestatem qua indiget Ecclesia ad assequendum finem suum proprium, et qua certe eam instruxit Christus Dominus, pertinet etiam ut hoc medio inhabilitatis ad possidenda terrena dominia religiosos juvare possit. Ergo inducendæ hujus incapacitatis potestatem habere censenda est.

Argumentum IV, *ex Ecclesiæ praxi*. — Nequit Ecclesia in universalem suam disciplinam et praxim quidquam injusti inducere, jus alienum violando, et sibi quæ sua non sunt usur-

(1) De eodem argumento iterum agimus infra, capite 5; ubi et de legibus Justiniani imperatoris, dictam incapacitatem decernentis.

Digitized by Google

pando. Id probari solet in tractatu de Ecclesia, et hic omnino certum supponimus. Porro Ecclesia per plura sæcula tanquam dominii incapaces habuit religiosos professos variorum ordinum, quamvis interea sæcularis potestas illam dominii incapacitatem in istis religiosis non agnosceret. Nam ex quo Ecclesia paupertatis votum solemnisavit, id est, cum possidendi incapacitate alligatum agnovit (quod quidam sexto circiter sæculo factum existimant), perpetuo exstitere societates civiles, quarum leges et gubernia non magis quam hodierna nostra Gallia religiosos ut tales, aut eorum vota ut solemnia ac incapacitatem dominii inducentia, agnoverunt. Ita procul dubio res se habent apud Sinenses, in Africa et Hispania sub Saracenorum ditionem redacta, in Perside, in Ægypto a Mahumetanis possessa, in Anglia aliisque multis ditionibus post Protestantismi invasionem, etc. Si ergo necessarius foret potestatis sæcularis assensus, ad inducendam in religiosis dominii incapacitatem, religiosi ex his regionibus oriundi (et notetur eos quolibet tempore exstitisse quamplurimos) vere professi non fuissent, nec per votum suum paupertatis inhabiles ad habendum dominium evasissent. Imo nullus unquam in mundo religiosus vere professus et dominii incapax esse potuisset. Nullus enim toto hoc sæculorum tractu exstitit religiosus, qui absolute loquendo, non potuerit hæres fieri alicujus amici vel consanguinei, in aliqua e prædictis regionibus commorantis, et illius regionis legibus subditi. Nec potuerunt impedire religiosi, sic hæredes effecti, ne leges sæculares prædictarum regionum, in quibus ipsis obtigit hæreditas, eos habuerint tanquam veros bonorum, dicto modo ipsis obvenientium, dominos : siquidem leges illæ, ex hypothesi, ad religiosi status conditionem, non attenderunt. Ergo nullus unquam exstitit religiosus, qui non fuerit dominii capax ad terminos legis sæcularis alicujus regionis. Ergo si incapacitas dominii nequeat induci independenter a sæculari lege, nullum unquam exstitisse solemne votum paupertatis dicendum erit; quia nempe quolibet tempore quilibet religiosus capax fuit dominii juxta leges sæcu-

Digitized by Google

lares prædictarum regionum. Hoc autem semel admisso, invicte sequitur errasse Ecclesiam, et in universali sua disciplina et praxi aliquid absoni induxisse. Nam 1° certum est ab Ecclesia tanquam veros professos, dominii incapaces, per plura sæcula habitos fuisse religiosos, e regionibus infidelium hæreticorumve oriundos, post rite emissam ab ipsis professionem, licet in dictis ipsorum regionibus a lege non agnosceretur eorum possidendi incapacitas. Atque id adeo inconcussum est, ut ne unum quidem reperire potuerim canonistam qui rem in quæstionem vocaverit, et de solemnitate voti paupertatis in dicto casu dubitaverit; quamvis casus ille in proxime elapsis sæculis perpetuo fuerit frequentissimus. 2° Certum pariter est, pro solemni habitum fuisse ab Ecclesia votum paupertatis religiosæ, quod emiserunt religiosi, e catholicis regionibus oriundi, in quibus solemnitas hæc agnoscebatur, quamvis simul coram legibus hæreticalium regionum forent hæreditatis capaces. Ergo, nisi Ecclesia incapacitatem dominii independenter a sæcularibus legibus inducere valeret, errasset pro solemnibus habendo vota quæ solemnia non fuissent, et sibi tribuendo, qua caruisset, potestatem. Quod cum dicere nefas sit, remanet ut existere possit quoad religiosos dominii incapacitas, quantumvis eam lex sæcularis hujus aut alterius regionis non agnoscat.

Nota. — Casum non agnitæ a potestate sæculari præfatæ incapacitatis expendit dominus Carrière quasi novus esset, et Galliæ duntaxat religiosos respiceret. In quo certe prorsus fallitur. Nam, ut diximus, in retroactis sæculis perpetuo extitere gubernia, quæ dominii incapacitatem in religiosis minime agnoscerent. Et tamen nunquam hucusque dubitatum est quin solemnia fuerint vota religiosorum, ex istis regionibus oriundorum. Cur ergo laudatus auctor conclusionem suam ad ejusmodi præteritorum temporum religiosos non extendit? Cur non dixit *probabilius* errasse canonistas omnes atque Ecclesiam ipsam, religiosorum illorum vota pro solemnibus habendo, cum, juxta ipsius opinionem, probabilius talia non fuerint, ob

Digitized by Google

legem sæcularem suarum respective regionum incapacitatem dominii in religiosis non agnoscentem? Præterea cur conclusionem restrinxit ad religiosos ex Gallia oriundos? Siquidem lex Galliæ non minus tanquam capaces dominii habet cæterarum regionum religiosos, ac Gallos ipsos. Profecto cum possit quis in Gallia hæredem instituere aliquem religiosum Italum, et lex Galliæ in hoc casu non habeat religiosum illum tanquam hæreditatis incapacem, dicere debet dominus Carrière, ut sibi constet, neque Italorum religiosorum vota solemnia esse.

ARGUMENTUM V, *ex quamplurimis auctoritatibus.* — I. Sic legere est in diario l'*Ami de la religion* (tomo 106, n. 3329, pag. 463) : « Le 9 juillet 1837, la Congrégation des Évêques « et réguliers avait à résoudre quinze questions sur la cause « du rétablissement de l'ordre de Saint-Benoît en France : « par rapport à la quatrième question, qui concernait la per- « mission, pour le supérieur actuel, d'émettre la profession « *solennelle,* la Congrégation répondit affirmativement. Voici « la cinquième question tout au long : *An concedi debet facul- « tas eidem superiori cum reversus fuerit in monasterium* (*de So- « lesmes*) *admittendi ad* SOLEMNEM *professionem omnes illos qui « cum ipso per quatuor annos vixerunt? — Sacra Congregatio « respondit affirmative pro his qui vota simplicia emiserunt, præ- « viis spiritualibus exercitiis; et pro his actu in monasterio exi- « stentibus, qui decem et octo menses in novitiatu expleverint, ar- « bitrio superioris cum suo capitulo.* »

Insuper, quod ad fratres conversos seu laicos attinet, sic habetur in litteris Apostolicis, quibus approbantur præfatorum Benedictinorum Solesmensium constitutiones : « Expleto « biennio et die, a publica susceptione cappæ, professionem « emittent; sed eorum vota erunt tantum simplicia. »

Cum præfata S. Congregatio facultatem faciat, ut dicti Solesmenses monachi, qui vota *simplicia* jam emiserunt, *solemnia* emittant, profecto existimat solemnia esse posse religiosorum Galliæ vota, non obstante sæculari hujus regionis lege, quæ incapacitatem dominii in religiosis non agnoscit. Unde prorsus

Digitized by Google

non intelligo, quomodo contrarium tanquam probabilius sustinere ausus sit dominus Carrière, qui hocce documentum bene noverat : illud siquidem memorat, in illa ipsa disceptatione, qua oppositam conclusionem suam conatur obtrudere. Qua quidem agendi ratione palam facit laudatus auctor, ad eos se accedere, qui flocci faciunt Romanarum Congregationum auctoritatem. At (pace ipsius dixerim) non sapit hoc scriptoris catholici gravitatem et moderationem; eo vel magis quod nulla solida ratione (meo quidem judicio) suam opinationem fulciat, ut infra ostendetur.

II. Die 2 januarii 1836 prodiit Sacræ Pœnitentiariæ responsum ad dubia quædam, a Reverendissimo Bouvier Cenomanensi Episcopo proposita; quod documentum in diario l'*Ami de la religion* occurrit tomo 88, pagina 405. Sic nempe proposuerat laudatus Præsul : *Cum ex pluries decisis, vota monialium in Gallia, uti simplicia a Sancta Sede æstimentur, sequentia nascuntur dubia :* 1°... 4° *An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, ut videtur.* Responsum est in hunc modum : *Sacra Pœnitentiaria, perpensis diligenter propositis dubiis, factaque præmissorum relatione Sanctissimo Domino Gregorio Papæ XVI, respondit, ad* 1um... : *ad* 4um, *decreta per Sacram Pœnitentiariam alias edita, spectare solummodo ad moniales.*

Ex hoc documento sic arguere licet : Putabat Cenomanensis Antistes Sacræ Pœnitentiariæ responsa, quibus declaratum fuerat monialium Galliæ vota pro simplicibus a sede Apostolica haberi, esse et votis virorum applicanda. Id si verum existimasset S. Pœnitentiaria, procul dubio ad sensum Præsulis respondisset. Cum ergo responderit, præfatas declarationes *spectare solummodo ad moniales*, aperte innuit, se de virorum votis aliter sentire : innuit scilicet, vota illa pro solemnibus esse habenda.

Quo responso simul evincitur, hodiernarum Galliæ monialium vota, non ideo a solemnitate deficere, quod lex sæcularis dominii incapacitatem non agnoscat, sed alia de causa. Nam si ob istum legis sæcularis obicem solemnia non sint mo-

Digitized by Google

nialium vota, absurdum erat idem non dicere de virorum votis; cum prædicta lex sæcularis non aliter quoad viros quam quoad moniales decernat: id est, non magis in viris quam in monialibus dominii incapacitatem agnoscat.

III. Privilegio exemptionis a jurisdictione Ordinariorum hodie gaudent regulares in Belgio. Constat epistola Mechliniensis Archiepiscopi, ad clerum suum directa 15 januarii 1836, in qua sic habetur (1): *Sanctissimi Domini nostri voluntas est, ut regularium, quos in Belgio iterum congregari contigerit exemptio conservetur; cujus utilitas (sunt ejus verba) ecclesiasticis sanctionibus, longaque sæculorum plurium experientia, et vel ipso hæreticorum et incredulorum in illam odio comprobata est (Journal hist. et litt. de Liége,* 23ᵉ livraison, 1 mars 1836, tomo 2, pag. 574). Non conservatam voluisset exemptionem summus Pontifex præfatis Belgii regularibus, si vota ipsorum solemnia esse desiissent: cum raro soleat concedi exemptionis privilegium iis congregationibus, in quibus simplicia duntaxat vota nuncupantur. Ergo etiamnum solemnia esse possunt in Belgio regularium vota. Sed votorum solemnitas et dominii incapacitas non magis in Belgio, quam in Gallia, in legibus civilibus sancita aut agnita reperitur, prout notorietatis est publicæ; ergo existere potest votorum solemnitas et dominii incapacitas independenter a sæculari potestate, et ex sola Ecclesiæ dispositione.

IV. Certum omnino est a religiosis Carthusianis Galliæ (les Chartreux) fieri vota solemnia. Id prorsus evincunt documenta duo, de quorum authenticitate mihi plene constat, et cuilibet (quando voluerit) constare potest; nempe

1° Anno 1851 capitulum generale Carthusianorum, in magna Carthusia (la-grande Chartreuse) in diœcesi Gratianopolitana celebratum, inter alia sancivit, ut in posterum *solemnis professio* non emitteretur nisi ab iis, qui per quatuor

(1) Optandum foret ut hoc Gregorii XVI breve juris publici tandem aliquando fieret.

Digitized by Google

annos in ordine versati fuissent cum *votis simplicibus*. Decretum autem illud eodem anno fuit a sede Apostolica approbatum.

2° Alterum documentum est rescriptum pro facultate in sæculo remanendi, cuidam religioso Carthusiano concessa, anno 1855. Patria Gallus is erat, atque in Gallia, in magna nempe Carthusia solemnem professionem emiserat. Ipsi porro conceditur facultas *remanendi extra claustra quoad vixerit, in habitu clericali: ita tamen ut substantialia votorum suæ religiosæ professionis, cum statu... compatibilia, observet; aliquid proprium regularis habitus interius deferat, atque obedientiæ et jurisdictioni Ordinarii, in cujus diœcesi vel territorio morabitur, omnimode subsit*, IN VIM ETIAM SOLEMNIS OBEDIENTIÆ VOTI. Hæc ultima verba palam omnino faciunt, et Sacræ Congregationi super disciplina regulari, et Romano Pontifici persuasum esse, a viris religiosis Galliæ vere solemnia emitti vota.

V. Item nonnullis religiosis societatis Jesu, e Gallia oriundis, et qui in Gallia solemnem professionem emiserunt, concessa haud pridem facultas est remanendi in sæculo. Porro in ejusmodi facultatibus, quas dictæ Societatis generalis præpositus, ex speciali sedis Apostolicæ delegatione, impertiri solet, ponitur semper clausula hæc, ut nempe ii religiosi *obedientiæ et jurisdictioni Ordinariorum subjiciantur*, IN VIM VOTI SOLEMNIS OBEDIENTIÆ. Id mihi omnino compertum; et cuilibet sciscitanti testabuntur dicti Ordinis superiores. Notandum autem est, aliter sese rem habere, quando e Societate dimittuntur scholastici, qui simplicia duntaxat vota emiserunt. Eos nempe generalis superior a votis solvit, et absque ulla conditione liberos facit. Ex qua praxi iterum patefit persuasio Romæ vigens, vere solemnia emitti in Galliis vota, non obstante lege sæculari, dominii incapacitatem in religiosis haud agnoscente.

Cum autem dictæ facultates in sæculo remanendi non expediantur, nisi facta relatione summo Pontifici, atque accedente ipsius approbatione, dicta formula *in vim solemnis voti* ipsiusmet Romani Pontificis doctrinam exprimit. Proinde doc-

Digitized by Google

trina est sedis Apostolicæ, solemnia hodie emitti in Galliis vota. Cui auctoritati contradicere quam temerarium sit, nemo non videt.

VI. Certum est, Pontificio brevi mensis julii 1797, cuidam moniali Galliæ, nomine de Soyecourt, confirmatam fuisse facultatem, tum hæreditatem, quæ sibi obtigerat, percipiendi, tum acquirendi Carmelitarum ecclesiam, Parisiis, via Vaugirard, sitam, sub hac tamen clausula : *firma substantia voti solemnis* (factum illud, post dominum Carrière, retulit R. P. Gautrelet, *Traité de l'état religieux,* tomo 2, pag. 279, edit. 1853). Porro ex præfato brevi legitime deducuntur duo magni momenti consectaria :

1° Stare simul possunt, et nullatenus sese mutuo excludunt, votorum solemnitas, et lex sæcularis hanc solemnitatem non agnoscens. Nam eo tempore quo dicta monialis de Soyecourt Pontificium illud breve obtinuit, jam nullam in religiosis agnoscebat lex sæcularis Galliæ votorum solemnitatem, aut dominii incapacitatem. Nihilominus supponit Romanus Pontifex, solemnia remansisse hujus monialis vota; estque id ipsi adeo indubitatum, ut etiam expresse moneat, per facultatem, quam ei concedit, nullatenus tolli solemnitatem hanc, sed *firmam* remanere. Ergo, judice Romano Pontifice, lex sæcularis votorum solemnitatem non agnoscens, nequaquam eam impedit, aut impedire valet.

2° Alterum ex eodem brevi consectarium est, posse religiosum professum, ex legitima facultate et deputatione superiorum, personam domini coram sæculari potestate agere (id est, nomine suo, coram eadem sæculari potestate, hæreditates acceptare, bona mobilia et immobilia emere, possidere, vendere, etc.), quin tollatur votorum ipsius solemnitas, et dominii incapacitas. Nam præfatæ moniali facultatem hanc concessit Romanus Pontifex, et tamen simul voluit *firmam* remanere votorum ipsius solemnitatem; quæ solemnitas (ut bene notum est) secum infert incapacitatem dominii. Nec est ulla contradictio in eo quod religiosus remaneat dominii incapax, et ta-

Digitized by Google

men coram sæculari potestate varios actus dominii exerat. Nam per istos actus, non sibi dominium acquirit, sed communitati. Et quantumvis lex sæcularis, non communitati sed ipsi religioso dominium tribuat, tamen facere nequit ut ipse sit revera et in conscientia dominus. Unde licet ejusmodi actus videantur esse actus dominii, et tales a lege sæculari reputentur, in re tamen nihil aliud sunt quam meri actus administrationis, per quos bona sibi acquirit et de iisdem disponit communitas.

VII. Quando lex sæcularis Galliæ desiit vota monialium tanquam solemnia et dominii incapacitatem inducentia agnoscere, non ideo sublata est votorum illorum solemnitas. Id erui potest ex responso Sacræ Pœnitentiariæ diei 13 februarii 1841, quod ad Cenomanensem Episcopum rescribitur : *Moniales, quæ ante Gallicanam perturbationem solemnem religiosam professionem emiserint, veras religiosas esse* (in diario *L'Ami de la religion*, n. 3423, 13 avril 1841). Ibi enim *veras religiosas* intelligit Sacra Pœnitentiaria eas, quarum vota solemnia sunt : quod patet ex usurpato ab eadem S. Pœnitentiaria loquendi modo quoad alias Galliæ moniales, quarum vota ut simplicia duntaxat habet. Nam in alio responso ad eumdem Cenomanensem Episcopum, 2 januarii 1836, de novarum ejusmodi monialium conventibus dixerat : *A sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ feminarum æstimantur* (in diario *L'Ami de la religion*, tomo 88, pag. 405). Quod autem harum posteriorum vota agnoscat tanquam simplicia, palam faciunt hæc ejusdem S. Pœnitentiariæ verba :... *Respondet : Novas Gallicarum moniales, quæ institutum aliquod religiosum sectantur, in quo secundum ejus acceptationem et approbationem ab Apostolica sede factam, professionem solemnem ac solemnia vota emittere deberent, et nihilominus per temporum circumstantias atque ex præfatis rationibus vota duntaxat simplicia modo nuncupant, moniales profecto istas, licet maxima commendatione dignæ sint..., ipsas tamen in ordine ac religione sua vere professas dici ac censeri non*

Digitized by Google

posse. (Gautrelet, *Traité de l'état religieux*, tome 2, pag. 281, édit. 1853.) Unde in stylo a S. Pœnitentiaria in ejusmodi responsis adhibito, patet per *veras religiosas* intelligendas esse eas quæ vere *professæ* sunt, seu quarum vota vere *solemnia* sunt : per oppositionem scilicet ad alias moniales quæ vota duntaxat *simplicia* nuncupant, et quarum congregationes declarantur haberi a sede Apostolica tanquam *piissimarum familiæ feminarum*, non tanquam ordines *vere et proprie religiosi*. Ergo quando S. Pœnitentiaria declarat moniales, quæ ante Gallicanam perturbationem solemnem religiosam professionem emiserant, *veras religiosas esse*, perinde est ac si diceret, ipsarum vota adhuc *esse solemnia ;* ac proinde adhuc permanere in iis monialibus incapacitatem dominii, quantumvis eam incapacitatem lex sæcularis non agnoscat. Ergo tandem existimat S. Pœnitentiaria dari posse votorum solemnitatem cum incapacitate dominii, quamvis eam lex sæcularis non agnoscat.

VIII. Exstat Bruxelliis in Belgio conventus Canonissarum regularium Sancti Augustini, a *Berlaymont* nuncupatæ. Eæ porro moniales usque ad annum 1820 perrexerant, juxta institutum suum a sede Apostolica olim approbatum, solemnem suam professionem emittere. Dicto autem anno, gubernium tunc temporis in Belgio vigens, eis significavit, 1° ut sibi Ordinis sui regulas et statuta panderent : 2° ut novitias in posterum non admitterent nisi ad vota quinquennalia : 3° ut nulla ex ipsis bonorum suorum dominium, liberamque dispositionem et administrationem abdicaret. His gubernii jussionibus non parum commotæ moniales, sedem Apostolicam litteris adierunt, ut edocerentur quonam se modo in ejusmodi rerum angustiis gerere deberent. Commissa res est Sacræ Pœnitentiariæ examini; atque ab eo tribunali prodiit die 20 novembris 1820, sequens responsum, quod gallice translatum exhibemus. Non enim textum ipsum latinum nobis comparare potuimus : sed putamus exstare textum hunc, tum in archiviis archiepiscopatus Mechliniensis, tum apud ipsam Sacram Pœnitentiariam. En gravissimum illud documentum, quod,

Digitized by Google

utpote maximi in præsenti quæstione ponderis, juris publici faciendum duximus :

« A nos chères Sœurs en Jésus-Christ, les religieuses du diocèse de Malines, qui ont consulté le Saint-Siége. — La Sacrée Pénitencerie ayant, par ordre de Sa Sainteté, mûrement considéré et examiné ce qui avait jeté ces religieuses dans de grandes inquiétudes et perplexités, leur répond par ce rescrit, et espère qu'elles se tranquilliseront.

1° Quoiqu'il leur soit pénible d'être forcées à exhiber au gouvernement leurs statuts, dans lesquels il n'y a rien qui se rapporte au civil, la Sacrée Pénitencerie déclare néanmoins aux suppliantes qu'il leur est permis de céder en ce point aux ordres du gouvernement, car ce n'est pas de leur propre mouvement qu'elles le font, mais parce que le gouvernement les y force, sous menace même de la plus grande peine, la dissolution et extinction de leurs communautés religieuses, si elles ne présentent leurs statuts avant le 1er janvier prochain. Or, ces religieuses ne faisant cela que malgré elles et par force, on aurait tort de les soupçonner de reconnaître dans le gouvernement quelque suprématie ou pouvoir en matière ecclésiastique.

2° Voyant que le gouvernement veut absolument que les religieuses se conforment au vieux décret du 18 février 1809, qui leur donne la propriété, la possession et l'administration des biens qui leur sont échus, la Sacrée Pénitencerie accorde aux religieuses qui ont déjà fait leur profession solennelle, en vertu de l'autorité expresse du Saint-Siége, la permission d'acquérir, de posséder, et d'administrer des biens, et d'en disposer à des fins honnêtes et pieuses, en gardant la subordination nécessaire à l'égard de leurs supérieurs légitimes.

3° La Sacrée Pénitencerie voit bien que dans ce vieux décret et dans la lettre du directeur des affaires du culte catholique, comme on l'appelle, il est défendu aux nouvelles religieuses de faire des vœux solennels, et qu'on veut que les anciennes religieuses ne permettent plus qu'il s'en fasse de

Digitized by Google

pareils dans leurs maisons; mais elle ne trouve pas dans ces pièces, ni dans les autres envoyées à Rome, ce que craignent les suppliantes, savoir, l'ordre d'obliger expressément ces nouvelles religieuses à ne point émettre des vœux solennels. Au reste, en vertu de l'autorité expresse du Saint-Siége, eu égard aux circonstances où se trouvent les suppliantes, on permet que dans leurs maisons on ne fasse plus que des vœux simples et temporaires.

4° Dans ce décret mentionné plusieurs fois, et dans la lettre susdite, l'empêchement qu'on met à l'émission des vœux solennels ne regarde pas les anciennes professes, qui ne doivent plus faire de vœux, mais les nouvelles religieuses qui en feront dans la suite. Donc si, à cause des circonstances, on a quelque égard au décret et à cette lettre, les anciennes religieuses ne doivent pas craindre qu'elles ne paraissent par là se détruire elles-mêmes, et renoncer à leurs vœux solennels.

Enfin la Sacrée Pénitencerie accorde aux religieuses qui feront des vœux simples et temporaires la même permission, touchant leurs biens, qu'elle a accordée ci-dessus aux religieuses professes.

Donné à Rome, dans la Sacrée Pénitencerie, le 20 novembre 1820. — Michaël Cardin. di Pietro (1). — J. Pio secrétaire de la Pénitencerie.

Ex isto documento sic arguimus: a tempore magnæ perturbationis Gallicæ, usque ad annum 1820, jus Cæsareum in Belgio vigens, nullam votorum solemnitatem ac dominii incapacitatem in religiosis agnovit. Subjecta nempe fuit regio illa, primum Gallicanæ reipublicæ legibus, tum Napoleonis codici usque ad annum 1814; cujus civilis codicis erga religiosas familias dispositio a succedente gubernio protestantico retenta est. Nonnullæ porro ex præfatis monialibus profes-

(1) De Cardinali Pietro sic habet opus inscriptum *Biographie universelle*: « Homme profondément canoniste et qui excellait dans la science théologique. »

Digitized by Google

sionem suam anno 1814 emiserant ; eo scilicet tempore, quo lex civilis in Belgio votorum solemnitatem et dominii incapacitatem nullatenus agnoscebat. Nihilominus vota omnia, usque ad annum 1820 per professionem emissa, tanquam vere et proprie solemnia a Sacra Pœnitentiaria habentur. Imo, dum monialibus jam professis datur facultas, ut sese dicto decreto anni 1809 accommodent, possidendo nempe atque administrando (ex concessione Apostolica et cum dependentia a legitimis superioribus) hæreditates quæ ipsis obvenirent, expresse monentur, nequaquam ob id eis pertimescendum esse, ne videantur sese et sua solemnia vota destruere : *Si, à cause des circonstances, on a quelque égard au décret et à cette lettre* (du ministre des cultes), *les anciennes religieuses ne doivent pas craindre qu'elles ne paraissent par là se détruire elles-mêmes et renoncer à leurs vœux solennels*. Ex quibus verbis tria aperte sequuntur : *primo,* existimavit Sacra Pœnitentiaria *solemnitatem* votorum, ab istis monialibus professis emissorum, nequaquam impeditam aut destructam fuisse vi legis civilis, hanc solemnitatem in Belgio jamdudum non agnoscentis. *Secundo*, existimavit insuper non destrui hanc solemnitatem, licet moniales illæ professæ dictæ legi sese accommodarent, hæreditates obvenientes percipiendo et administrando, modo id facerent cum dependentia a superioribus. *Tertio,* existimavit tandem remanere posse incapacitatem dominii in religiosis qui sese prædicto modo legi civili accommodant ; siquidem nisi remaneret incapacitas dominii, nec remaneret votorum solemnitas. Et sic firmatur quod supra diximus, religiosos nempe, qui sic ad terminos legis sæcularis bona possident et acquirunt, non sibi, sed communitati acquirere ; nec ab eis exeri veros actus dominii, sed meræ administrationis.

IX. Si religiosi possint esse proprietarii *civiliter*, seu coram lege civili, quin verum ullum dominium sibi acquirant, concludendum est, nequaquam obstare legem sæcularem incapacitati dominii et votorum solemnitati, quantumvis eam incapacitatem et solemnitatem non agnoscat. Atqui revera reli-

Digitized by Google

giosos *civiliter proprietarios*, nullum verum dominium habere in bona, quæ ipsis a lege attribuuntur, constat ex decreto Sacræ Congregationis de propaganda fide, a Gregorio XVI confirmato, 15 decembris 1840. Decretum illud superiori capite retulimus. Quod autem laudatus Pontifex et dicta Sacra Congregatio persuasum omnino habuerint, religiosos sub quorum nomine bona communitatis inscribuntur, licet sint *civiliter* bonorum illorum domini, nullum tamen verum dominium in ea habere, sed esse meros rei monasterii conservatores, ex decreti ipsius tenore planum est. Stare ergo potest in religiosis dominii incapacitas, quamvis eos tanquam dominii capaces lex sæcularis habeat, et quamvis etiam sint *civiliter* proprietarii.

X. Stare posse votorum solemnitatem ac dominii incapacitatem cum lege sæculari eam non agnoscente, probat insuper conditio in qua regulares Angliæ et Hiberniæ a tribus ferme sæculis versati sunt et hodiedum versantur. Patebit hujusce argumenti vis, si vera probentur tria hæc : 1° toto hoc trium sæculorum tractu perseveranter et sine interruptione exstitere dictarum regionum regulares, quorum multi in patria etiam sua solemnem professionem emittebant, atque in ea degebant. 2° Sæcularis dictarum regionum potestas, toto ferme (1) hoc tempore, eos non habuit, sicut nec hodie eos habet, tanquam religiosos; sed aliis temporibus, eos ad necem perquisivit aut in exilium expulit, aliis vero ipsos intra fines patriæ degere permisit tanquam meros cives, nullum in eis dominii incapacitatem aut votorum solemnitatem agnoscens. 3° Solemnia fuisse illorum religiosorum vota persuasum fuit, tum sedi Apostolicæ, tum romanis Congregationibus, tum religiosis ordinibus ad quos regulares illi pertinebant, tum doctoribus catholicis omnibus. Porro certa omnino esse hæc tria plene compertum habebit lector, si vel

(1) Dicimus *ferme*, quia sub regina catholica Maria, et postmodum sub alio rege, ad normam catholici dogmatis restitutæ res aliquantisper fuere; sed hæc non perdurarunt.

Digitized by Google

unicum pervolvat librum qui inscribitur *Hibernia dominicana* (auctore de Burgo, edit. Kilkenniæ 1762). Sylvam ibi reperiet documentorum, quæ triplex illud assertum firmant. Nonnulla tantum in probationem cursim adducemus.

Et 1° quidem ad permanentiam quod attinet religiosorum Anglorum et Hibernorum, a tempore schismatis Henrici VIII usque nunc, citabimus, exempli gratia, præclari ordinis Dominicanorum familiam. Exstabat in Hibernia hujus Ordinis provincia. Eam porro testatur de Burgo, *nunquam annumeratam fuisse inter extinctas seu titulares provincias (Hibernia dominicana*, pag. 93). Imo quando ex Cromwelliana tyrannide magis in eam persecutio desæviret et exulare cogeretur, sic quoad ipsam decretum est in capitulo generali Dominicanorum, anno 1656 : *Decernimus ac declaramus quod hæc provincia, tametsi nunc tota exulet, ob acatholicorum sævitiam, exlorris nativo solo, retineat tamen nomen, locum, jus formamque provinciæ (Hibernia dominicana,* pag. 119). Simul ab eodem capitulo potestas facta est generali Ordinis præposito, provincialem in hac provincia nominandi, donec posset iterum a capitulo provinciali in Hibernia de more eligi. Ergo usque ad annum 1656 exstiterant et tunc temporis adhuc existebant regulares Hiberni. Sed neque postea extincti fuerunt. Equidem anno 1697 a Parlamento statutum est, ut omnes Hiberniæ regulares in perpetuum exularent, et quidem sub pœna mortis, si in Hiberniam reverterentur (vide *Hibernia dominicana*, pagina 155). Sed crudelia hæc statuta haud impediverunt quominus « regulares, generali exilio anno 1698 « pulsi, paulatim in Hiberniam regrederentur pro spirituali « Christi fidelium sustentatione, repetitis scilicet eorum « obsecrationibus flexi, majoremque præstolantes clementiam « sub reginæ Annæ gubernio. » *(Hibernia dominicana*, pag. 157.) Imo, cum paulatim cessaretur ab urgendis prædictis crudelibus in regulares edictis, anno 1721 potuerunt Patres Dominicani provinciæ Hiberniæ, sua jamdudum interrupta capitularia comitia Dublinii iterum celebrare. Quod sic enarrat

Digitized by Google

de Burgo : « Eodem anno 1721, sub finem mensis julii, Patres « capitulares Dublinii convenere, pro prima prioris provin- « cialis electione (1) post exilium generale anni 1698. Ele- « gerunt autem reverendum Patrem... Exinde porro ad « præsentia usque tempora eliguntur provinciales nostri... « Semper vero habentur Dublinii comitia provincialia. Cum « enim amplissima sit civitas, regnique metropolis, magis « occulte et caute eo convenire valent Patres capitulares, « numero ut plurimum circiter quinquaginta, quam ad exi- « guas civitates vel oppida, in quibus nec tres adesse possunt « advenæ absque magistratuum notitia. Adde quod, cum « magistratus Dublinienses sub oculis sint pro-regis, ejusve « vices-gerentium clementiæ deditorum, atque de rebus ma- « joris momenti curantium, leges in clerum latas executioni « mandari non satagunt. » (*Hibernia dominicana*, pag. 162.)

Anno 1751 prodiit Sacræ Congregationis Propagandæ decretum, quo disponebatur ne superiores regulares Hiberniæ haberent *in posterum* in ipsa Hibernia probationis domos; sed juvenes Hibernos, Ordinem ingredi volentes, mitterent in regionem catholicam, ibi novitiatum peracturos et ad professionem recipiendos, posteaque ad Hiberniam redituros (*Hibernia dominicana*, pag. 162). Ergo anno 1751 aderant in Hibernia varii ordines religiosi, et quidem cum novitiatibus; atque ibidem novitii ad solemnem professionem recipiebantur. Nec mirum, cum jam ab anno 1624 sibi domos et sacella comparavissent : « Circa annum 1624, regulares cujusvis ordinis « construi sibi fecerunt Dublinii sacella et domos. » (*Hibernia dominicana*, pag. 195, n. 15.) Vide etiam ibid., pag. 716, n. 115.

Ab anno vero 1751 usque nunc, inutile foret probare perennem illam religiosorum Hibernorum et Anglorum perpetuationem. Notum satis est nunquam extinctam fuisse con-

(1) Toto tempore quo nequiverant Patres Dominicani Hiberniæ capitula sua celebrare, eorum provincialis superior nominatus fuerat a magistro generali Ordinis; juxta editum in comitiis generalibus anni 1656 hac de re decretum.

Digitized by Google

gregationem Anglo-Benedictinam, quamvis aliquando unus duntaxat superstes fuerit hujus instituti professus. Unde certum omnino est, per tria ultima sæcula exstitisse variorum ordinum religiosos Anglos et Hibernos, suas in dictis regionibus habentes regulares domos, imo et provincias.

2° Nec minus certum est, toto ferme hoc temporis spatio, a legibus sæcularibus, Angliæ regulares nequaquam ut tales admissos fuisse; nec agnitum fuit ullum eorum jus possidendi in communi, religiosi ordinis titulo. Sed quando ab exercenda in eos persecutione cessatum est, non potuerunt, nec hodie adhuc possunt in patria vivere, nisi quatenus cives. Id notorietatis est publicæ, nec probatione indiget. Unde hodierna conditio regularium Galliæ et Belgii, quos lex civilis nec tanquam capaces possidendi in communi, nec tanquam incapaces possidendi individuatim agnoscit, nova non est, sed a tribus sæculis in Anglia et Hibernia perseverat.

3° Tandem minime dubium est, non obstante dicta legum sæcularium dispositione, habitos fuisse Angliæ et Hiberniæ regulares tanquam veros religiosos; et eorum vota in professione emissa, reputata fuisse vere solemnia; nec magis in istis, quam in aliis regionum catholicarum professis, admissam fuisse capacitatem acquirendi dominii. Ad quod probandum plane sufficeret absentia documentorum, dubitationem hac de re testantium. Etenim per tria illa sæcula, nec Romanorum Pontificum decreta, nec Sacrarum Congregationum declarationes, nec religiosorum capitulorum aut generalium præpositorum ordinationes, nec theologorum aut canonistarum disceptationes, quidquam continent, quo vel minimum innuatur, solemnia non fuisse vota a regularibus Angliæ et Hiberniæ emissa, ob dictum legis civilis obicem. Innumera e contra exstant, quæ pro solemnibus habita fuisse hæc vota testantur. Lectorem ad librum *Hibernia dominicana* inscriptum remittimus, et unum duntaxat aut alterum ex tot illis documentis afferemus.

Anno 1751 a S. Congregatione de propaganda fide statu-

Digitized by Google

tum fuerat ut, « superiores regulares neminem in posterum « ad habitum religiosum admittant in Hiberniæ regno; sed « qui expetunt alicui religioso ordini nomen dare, habitum « induant in illis solum cœnobiis, quæ in regionibus catholicis « existunt, ubi novitiatus ejusdem ordinis juxta constitutiones « Pontificum Romanorum erecti sunt. » (*Hibernia dominicana*, pag. 180.)

Provincialis Dominicanorum Hiberniæ, litteris 21 februarii 1751 ad Ordinis sui generalem magistrum datis, dicebat noxium sibi videri præmissum Sacræ Congregationis decretum; atque variis rationibus ostendens magis expedire ut novitiatus in ipsa Hibernia perageretur, subjungebat : « Ex om- « nibus regularibus Hibernis, qui intra quinquennium a sacra « Tridentina Synodo præscriptum super prætensa professionis « nullitate reclamarunt, nullus unquam inventus est eorum « qui in Hibernia, sed qui in cœnobiis extra-nationalibus, ty- « rocinium seu novitiatum peregerant. » (*Hibernia dominicana*, pag. 182.)

Notetur illa Patris provincialis Hiberniæ attestatio : ex iis nempe Dominicanis Hibernis, qui in Hibernia novitiatum expleverant, nullum inventum esse qui professionis suæ nullitatem obtenderit. Cum nempe identidem contingat in omnibus religiosis ordinibus ut aliqui professi a sede Apostolica postulent nulliter factam declarari professionem suam, id non fecerat ullus ex Dominicanis qui in Hibernia professionem emiserant. Supponunt hæc dicti Patris provincialis verba, ne in suspicionem quidem ipsi venisse, professiones omnes in Hibernia factas, ob legis sæcularis, incapacitatem dominii non agnoscentis, obicem, irritas fuisse ac nullas; et non valere vota tanquam vere solemnia. Et probant simul a theologis et canonistis, nullum hac de re dubium motum fuisse. Suam nempe professionem validam reputabant religiosi omnes qui in Hibernia vota solemnia emiserant. Et idem existimabatur in respectivis eorum religiosis ordinibus. Quæ certe persuasio haud ita mentibus insedisset, si quid in contrarium a Romanis Pontificibus

Digitized by Google

vel a Sacris Congregationibus declaratum, vel a canonistis disputatum fuisset.

Qui hodie sustinent solemnia non esse, ob legis sæcularis obicem, vota in Galliis emissa reperiant vel minimum infaustæ opinationis vestigium, Anglorum et Hibernorum religiosorum conditioni applicatum. Et tamen eadem prorsus fuit horum conditio per tria sæcula.

Ad rem etiam facit quod anno 1721 generalia Dominicanorum comitia, decreverunt quoad Hiberniæ provinciam. Sic nempe sancitum fuit, numero 4 : « Concedimus, ut con-« ventus monialium nostrarum quæ in civitatibus Dubli-« niensi et Galviensi degunt, eligere sibi valeant priorissas, « juxta nostras sacras constitutiones ac leges; volumusque ut « prædicti conventus sint incorporati et uniti Ordini nostro, « et provinciali Hiberniæ pro tempore subjecti. » (*Hibernia dominicana*, pag. 162.)

Nisi solemnia fuissent illarum monialium vota, jurisdictionem in earum conventus non habuisset Dominicanorum ordo, sed remansissent Ordinariis de jure subjectæ. Item nisi solemnia vota emisissent Dominicani Hiberniæ, non fuissent veri Dominicani, nec proinde eorum jurisdictioni subjici potuissent Dominicanarum monialium conventus.

XI. Tot præmissis auctoritatibus subjungendum visum est quod mihi nuper ab Urbe rescribebat vir doctrinæ gravitate haud infimus : « Cet état de choses (de religieux propriétaires « *civils*, propriétaires *aux yeux de la loi*) est parfaitement « connu à Rome, et l'on n'y voit aucun obstacle à la solen-« nité des vœux. Ainsi, *in una Veronensi* anno 1844, le con-« sultant parlait ainsi dans son *voto : Non sara fuori di luogo « qui richiamare, che, ove dalle leggi civili e proibito alle corpo-« razioni religiose il possedere, e le corporazioni medesime non « sono ricognosciute dai governi, e per consequenza non hanno esi-« stenza civile, si permette, anche negli istituti di voti solemni, « che le proprieta sieno incapitate ad alcuni individui dell' isti-« tuto : cosi si e pratticato e si prattica nell' Igilterra, nella Fran-*

Digitized by Google

« *cia*... Il n'y a pas longtemps qu'une décision dans le même « sens a été donnée aux Augustins Belges. »

Nota. — Certior factus sum prodiisse nuper Romæ declarationem quamdam, qua expresse dicebatur, nequaquam sæcularibus Galliæ legibus tribuendum, quod illius regionis moniales vota solemnia non haberent; sed aliam exstare hujusce præsentis earum monialium conditionis causam. Documentum autem illud nondum mihi comparare potui.

ARGUMENTUM VI, *ex absurdis quæ alioquin sequerentur.* — 1° Sequeretur, pendere a principe sæculari, ut nulla emitti possint in toto orbe solemnia vota. Etenim ideo, juxta opinionem quam confutamus, potest lex sæcularis in Gallia impedire ne solemnia sint vota in ea regione a religiosis Gallis emissa, quia in ipsis non agnoscit dominii incapacitatem. Quantumvis nempe ipsi velint sese inhabiles reddere ad possidendum bona temporalia, lex eos habiles semper reputat; ita ut obvenientes hæreditates eis tanquam veris et legitimis dominis attribuat. Porro idem statuere potest sæcularis princeps Galliæ quoad religiosos extraneos quoslibet. Potest namque decernere, ut quilibet extraneus, sive religiosus sit, sive non, si ab aliquo Gallo hæres instituatur, aut ei ab intestato succedat, habeatur tanquam habilis ad colligendam illam hæreditatem. Et sic nullus in mundo existere poterit religiosus, qui capax non sit dominii in Gallia habendi; ac proinde nullus in mundo vere solemnia vota emittere poterit. Nec tantum ita statuere potest lex sæcularis Galliæ, sed de facto ita disposuit. Admittit nempe hæredes institui posse etiam extraneos et valere donationes ipsis factas (1). Neque adest ulla exceptio quoad

(1) Sic habet lex diei 14 julii 1819, articulo 1 : *Les articles 726 et 912 du code civil sont abrogés; en conséquence, les étrangers auront le droit de succéder, de disposer et de recevoir, de la même manière que les Français, dans toute l'étendue du royaume.* (Voir au code civil, article 726.) Dum ibi dicitur *les étrangers*, utique de omnibus omnino pronuntiatur; ita ut sub legis dispositione, absque ullo dubio, comprehendantur etiam religiosi professi exterarum nationum. Unde certum omnino est, nullum hodie existere, aut existere posse in mundo religiosum, qui non sit *legaliter* dominii capax in Gallia.

Digitized by Google

religiosos professos exterarum nationum. Unde si ego alicui Benedictino Italo, sive per testamentum, sive per actum inter vivos, agrum domumve donarem, posset legaliter is Benedictinus possessionem apprehendere; atque ad id auxilium lex Galliæ præstaret; neque vel minimum obstaret, quod solemnem professionem emisisset. Ergo non datur medium inter duo hæc : vel nequit potestas sæcularis Galliæ incapacitatem dominii impedire in religiosis Gallis, vel id valet et de facto efficit quoad omnes mundi religiosos. Posterius autem ab Ecclesia aperte rejicitur, ut patet ex ipsius praxi. Prorsus ergo deserenda est infausta illa opinio de potestate principis sæcularis impediendi, quoad ditiònis suæ religiosos, dominii incapacitatem.

2° Sequeretur hodiernum superiorem generalem Dominicanorum non esse professum, nec proinde legitimum superiorem : siquidem e Gallia oriundus est, neque agnoscit in ipso lex civilis Galliæ dominii incapacitatem. Idem dicendum de hodierno superiori generali Jesuitarum ; quippe qui in Belgio natus, ubi non magis quam in Gallia jus Cæsareum voti solemnitatem ac dominii incapacitatem agnoscit. Proinde jurisdictionis actus, quos uterque generalis superior exercet valorem non haberent, nisi ob titulum coloratum, ob communem scilicet errorem. In quo errore præcipue versari dicendus foret Pius Papa IX, qui toti ordini Dominicanorum pseudo-religiosum virum præfecisset. Notum enim est Reverendissimum Patrem Jandel, non a generali Dominicanorum capitulo, ut fieri solet, sed ab ipsomet Romano Pontifice in totius Dominicanæ familiæ, præsidem electum fuisse atque constitutum. His, inquam, consectariis subscribant necesse est, qui tenent solemnia hodie in Galliis non esse ulla religiosorum vota.

3° Sequeretur nullas ac irritas esse solemnes religiosorum omnium, in quocunque mundi loco emissas, professiones. Etenim lex civilis Galliæ, quam supra retulimus, eos religiosos omnes, non exceptis exteris, habet tanquam habiles ad acqui-

Digitized by Google

rendum in Galliis dominium. Obvenienteque ipsis aliqua hæreditate in Gallia, dicta lex eis, velint nolint, hæreditatem illam tribuet. Non ergo possunt sese *incapaces* dominii reddere, si hæc incapacitas a lege civili pendeat. Ergo vota ipsorum non erunt solemnia. Ergo nulla erit emissa ab ipsis professio.

4° Sequeretur posse ordinum omnium religiosos professos suis respective ordinibus vale dicere. Nam, ex hypothesi, nulla fuisset eorum professio. Imo nec posset valide fieri. Et quod magis est, ut modo dicetur, nullus verus existeret ordo religiosus in quo posset solemnis professio emitti.

5° Extincti forent, et impossibiles illi omnes ordines religiosi, qui ex instituto a sede Apostolica approbato, componi debent religiosis per tria solemnia vota professis. Nam vota illa solemnia nullus religiosus emittere posset, ob impossibilitatem nempe sese reddendi incapacem dominii. Ergo nullus exstaret in iis ordinibus professus. Ergo extincti forent omnes illi ordines; atque ita extincti ut nequaquam reviviscere possent; semper nempe obstante lege Galliæ, quæ omnes mundi homines habet tanquam dominii in Gallia acquirendi capaces.

6° Sequeretur in crassissimo errore versari Romanum Pontificem, Cardinalium Congregationes, totiusque orbis catholici Episcopos. Etenim persuasum ipsis est existere veros religiosos, et quidem cum votis solemnibus, in iis ordinibus, in quibus, juxta institutum a sede Apostolica approbatum, vota solemnia emitti debent. Et quotidie in praxi, juxta hanc hypothesim, causæ de valore professionum tractantur et terminantur. Porro, in opinione quam confutamus, solemnia valide, in dictis ordinibus, emitti vota nequaquam admittendum foret, ut probavimus. Quæ tanta sedis Apostolicæ, Congregationum romanarum, necnon Episcoporum hallucinatio, prorsus repugnat, et neque ut probabilis sine temeritate asseri potest.

7° Sequeretur absurde, in regionibus ubi lex civilis dominii incapacitatem in religiosis non agnoscit, professionem

Digitized by Google

fieri a scholasticis societatis Jesu. Cum enim, juxta opinionem domini Carrière, non valeant nisi simplicibus votis sese ligare, atque vota hæc jam emiserint, incassum et absone professionem emitterent.

8° Invalide eligerentur generales ordinum religiosorum superiores. Ad ejusmodi enim electiones concurrunt deputati e singulis provinciis professi. Nec valet votum deputati, nisi ipse verus sit professus, et a veris professis deputatus fuerit. In opinione autem quam confutamus, veri professi, aut legitime deputati non forent multi ex dictis electoribus. Et revera, facto calculo quoad nuper factam a societate Jesu generalis sui electionem, repertum est eam pro invalida habendam fore, ex defectu legitimorum electorum, si vera foret opinio domini Carrière, id est, si solemnia non sint religiosorum vota, ubi lex civilis dominii incapacitatem ex voto solemni paupertatis non agnoscit.

CAPUT IV.

INDEPENDENTER A LEGE SÆCULARI INDUCI POTEST JUS COMMUNITATIS, QUO AD IPSAM DEVOLVANTUR BONA RELIGIOSIS SUIS PROFESSIS QUOCUNQUE TITULO, ETIAM AB INTESTATO, OBVENIENTIA.

I. *Induci potest vi contractus religiosum inter et communitatem.* Nam 1° possibile est pactum quo religiosus, professionem suam faciendo, omnia bona sua adventitia communitati donet, sub ea conditione quod tanquam professus ab ea recipiatur, et quo vicissim communitas ejus professionem recipiat, sub conditione prædictæ cessionis. Nam ideo talis contractus non esset possibilis, quia donari non possent nisi bona quæ hic et nunc habentur, bona autem adventitia hic et nunc non habeantur. Atqui non valet ratio illa. Nam bona adventitia, ratione fundamenti quo redduntur certa, vel saltem probabilia in futuro, sunt hic et nunc verum bonum,

Digitized by Google

et quidem pretio æstimabile. Ex circumstantia, verbi gratia, quod quis sit filius unicus, certa ipsi est successio in bonis paternis, si parentibus supervixerit, et hoc jus succedendi in futurum est hic et nunc verum bonum, pretio æstimabile, quodque de se potest esse objectum venditionis, donationisve aut alterius contractus. Item ex aptitudinibus aut circumstantiis quæ probabilem reddunt acquisitionem bonorum in futuro, exurgit hic et nunc verum bonum, quod pariter esse potest objectum contractus. Et sic potest quis hodie dare, vel pretio vendere, quidquid cras piscatione aut venatione capiet. Unde revera bona adventitia possunt esse objectum contractus, eo sensu nempe quod jus ad illa acquirenda possit ab uno homine ad alium transferri. Quæ possibilitas confirmari potest ex legibus sæcularibus. Lex civilis Galliæ, verbi gratia, admittit donationem, conjugibus matrimonium contrahentibus factam, non tantum bonorum præsentium, sed etiam adventitiorum : *Les pères et mères, les parents collatéraux des époux, et même les étrangers, pourront par contrat de mariage, disposer de tout ou partie des biens qu'ils laisseront au jour de leur décès, tant au profit desdits époux, qu'au profit des enfants à naître de leur mariage* (Code civil, art. 1082). *La donation par contrat de mariage pourra être faite cumulativement des biens présents et à venir* (ibidem, art. 1084). *La donation des biens à venir, ou de biens présents et à venir, faite entre époux par contrat de mariage, sera soumise aux règles établies par le chapitre précédent à l'égard des donations pareilles qui leur seront faites par un tiers* (ibidem, art. 1093).

Ergo 1° possibilis est contractus, quo religiosus, professionem emittendo, bona sua, quocunque modo et titulo obventura, communitati cedat.

2° Talis contractus, nisi lege humana irritetur, censendus est validus. Nam nedum sit de se malus, quam maxime e contra æquitati naturali consentaneus est. Religiosus siquidem communitatem ingrediendo fit membrum ipsius; et communitas eum tanquam sui partem suscipiendo, onus sibi imposuit

Digitized by Google

providendi ipsi de rebus ad temporalem et (quod multo magis est) ad spiritualem præcipue sustentationem necessariis. Dum ergo membrum communitati donat omnia bona sua adventitia, minus dat quam accipit.

3° Præfatus contractus, nedum prohibeatur aut irritetur a lege ecclesiastica, ab ea e contra approbatur, imo et præscribitur tanquam conditio sine qua non acceptat tanquam solemnia religiosi vota. Non enim ea vota acceptat ut solemnia, nisi fiant juxta institutum religiosum ab ipsa approbatum. Et, ex hypothesi, instituta religiosa approbantur cum illa dispositione, ut quidquid acquiret religiosus acquirat communitas; seu ut bona omnia adventitia religiosi ad communitatem devolvantur.

4° Præfatum contractum nequit lex sæcularis in foro conscientiæ valide prohibere aut irritare. Nam ejusmodi contractus plurimum confert ad bonum communitatum religiosarum, atque ad earum dilatationem et prosperitatem : consequenter valde utilis est ad bonum spiritualem animarum. Sed ad Ecclesiam pertinet ea statuere quæ animarum perfectioni et spirituali bono utilia sunt; ergo potestatem habet Ecclesia præfatum contractum, religiosum inter et communitatem, approbandi et validum reddendi. Ergo repugnat posse eumdum contractum a potestate sæculari invalidum reddi aut illicitum. Nec objiciatur ibi agi de bonis temporalibus, et ad Ecclesiam non pertinere, absque sæcularis potestatis assensu, de ejusmodi bonis decernere. Nam omnino falsum est, non posse Ecclesiam de rebus etiam temporalibus decernere, quando id exigit spiritualis animarum necessitas aut utilitas. Absurdum nempe est, finem Ecclesiæ (id est salutem æternam et spiritualem perfectionem animarum) subordinari fini societatis sæcularis (id est temporali civium tranquillitati). Non enim voluit Christus Dominus homines in terra degentes sanctos effici, ut vitam temporalem tranquille agant; sed e contra voluit per potestatem sæcularem procurari tranquillitatem et securitatem eorum temporalem, ut sic efficaciter

Digitized by Google

sanctificationi suæ vacare queant et salutem æternam consequi. Dum ergo ad animarum spirituale bonum necessaria aut utilis est aliqua dispositio circa res temporales, eam dispositionem decernere valet Ecclesia ; et nedum possit sæcularis princeps ecclesiastico ejusmodi decreto obsistere, tenetur e contra brachii sui auxilium ad ejus executionem præstare. Id invicte sequitur ex utriusque societatis (sæcularis nempe et spiritualis) fine ; ex eo scilicet, quod finis prioris ex natura sua fini posterioris subordinari debeat, et revera Dei Optimi Maximi voluntate subordinatus fuerit. Ast, *inquis*, id si admittatur, redit systema (vix hodie ab ullo doctore catholico propugnatum) *directæ* potestatis Ecclesiæ in temporalia; et dicendum erit, unicam in mundo supremam potestatem, ecclesiasticam nempe, fuisse a Deo constitutam; temporalem vero potestatem nihil aliud esse quam merum alterius ministrum. *Respondeo* : nego sequelam. Etenim ad vindicandum Ecclesiæ jus de temporalibus decernendi, in iis solis casibus in quibus id requirit spirituale animarum bonum, necesse non est recurrere ad systema potestatis *directæ*, et sæcularem principem tanquam merum ministrum ecclesiastico subjicere. Opinionem illam, a probatis scholæ doctoribus communiter rejectam, et nos rejicimus (1). Utraque nempe potestas a Deo est immediate instituta et ad regendum mundum deputata. Ast præfixus unicuique proprius finis : Ecclesiæ ut homines vita supernaturali informet eosque ad salutem æternam deducat : sæculari principatui, ut iisdem hominibus temporalem tranquillitatem et securitatem nanciscatur. Non autem voluit Deus aut velle potuit, ut, sub prætextu proprii finis prosequendi, valeat sæcularis potestas Ecclesiam impedire in iis quæ ad spiritualem hominum profectum conducunt. Alias enim non ordinem, sed Manichæismum æternamque pugnam instituisset. Voluit ergo, ut in iis quæ ex natura sua utriusque

(1) Deserendam opinionem istam, et tenendam hac in re Bellarmini et Suaresii doctrinam probabimus in tractatu *de Jure Ecclesiæ relative ad sæculares potestates*.

Digitized by Google

simul potestatis finem respiciunt, una deberet alteri cedere. Sed neque voluit Deus aut velle potuit, ut promoveretur temporale hominum bonum cum detrimento spiritualis et æterni: nam e contra vitam tranquillam et securam hominum in terra non intendit Deus, nisi tanquam medium ad ipsorum sanctificationem et salutis æternæ prosecutionem. Ergo dubium non est quin voluerit Deus sæcularem potestatem ecclesiasticæ locum cedere, quoad eas omnes (etiam circa rem temporalem) dispositiones, quæ ad procurandum spirituale animarum bonum aptæ sunt. Unde juri Ecclesiæ accensendæ sunt dispositiones hujuscemodi; et sæculari principatui deneganda easdem præpediendi potestas. Non autem inde sequitur *directa* Ecclesiæ in rem temporalem potestas; siquidem nequit Ecclesia disponere de rebus temporalibus, nisi quando et quatenus dispositionem ejusmodi requirit finis ipsi proprius, spiritualis scilicet animarum profectus. Si *directam* in res temporales potestatem haberet, posset de iis decernere hoc ipso quod temporales sint. Porro id rejicimus, et dicimus ipsius jurisdictione non subjici rem temporalem, nisi quando et in quantum id requirit spiritualis ipsi constitutus finis. Porro id plene sufficit ut valeat Ecclesia ratum habere et validum decernere contractum quo religiosus, professionem emittendo, bona sua adventitia communitati cedit; quia id religiosis ordinibus ac proinde spirituali animarum bono valde proficuum est. Ergo I jus communitatis in bona adventitia religiosi induci potest vi contractus, religiosum inter et communitatem initi.

Notandum tamen ejusmodi contractum insufficientem fore ad inducendam incapacitatem dominii eo modo, qui necessarius est ad voti solemnitatem. Nam hicce contractus posset mutuo consensu communitatis et religiosi in ea profitentis dissolvi; et tunc religiosus ille iterum capax dominii evaderet. Porro ad solemnizandum votum paupertatis, necesse est induci incapacitatem dominii, quæ a nullo (præterquam a Romano Pontifice) solvi possit. Proinde necesse est ut interveniat Ecclesiæ, incapacitatem illam firmantis, auctoritas.

Digitized by Google

II. *Induci etiam potest ex Ecclesiæ sic statuentis lege.* — Nam potestatem habet Ecclesia de rebus etiam temporalibus decernendi, quando id necessarium est aut utile ad spirituale animarum bonum, prout modo probavimus. Spirituale autem animarum bonum quam maxime exurgit ex prospera religiosorum ordinum conditione. Jam vero quam utile sit religiosis ordinibus ut ad ipsos transferatur dominium bonorum, quæ singulis ipsorum membris obvenire possunt, nemo non videt. Ergo potest Ecclesia translationem hanc decernere. Unde non tantum valet Ecclesia religiosum professum incapacem dominii reddere, sed et simul ad communitatem transferre bona omnia, quæ religioso in proprietatem obvenirent, si habilis ad ea possidenda remansisset.

Cæterum non in hac re tantum, sed et in multis aliis præfatam potestatem de rebus temporalibus, ob spirituale animarum bonum, decernendi exercet Ecclesia. Dum congregari fideles ad audiendum statutis diebus sacrum præcipit Ecclesia, quid aliud facit quam conventum simul civium decernere, qui per se temporalis est, et reipublicæ tranquillitatem, seu potestatis sæcularis finem, respicit?

Profecto agnita est dicta sedis Apostolicæ in res temporales potestas, quando Gallicanum gubernium postulavit, ut summus Pontifex ecclesiasticorum bonorum detentores a restituendi obligatione absolveret, et eorumdem bonorum ipsis dominium cederet. Quod et concordato anni 1801 peractum fuit.

CAPUT V.

SÆCULARIS POTESTAS NEQUE INCAPACITATEM DOMINII IN RELIGIOSIS, NEQUE BONORUM IPSIS OBVENIENTIUM DEVOLUTIONEM AD IPSORUM COMMUNITATES VALIDE POTEST DECERNERE.

Prænotandum. — 1° Certum est a Justiniano imperatore decretum fuisse, ut res omnes monachi, statim ac professio-

Digitized by Google

nem emisit, monasterio acquirantur; ita ut jam non ipse monachus earum dominus sit, sed monasterium. Constat id capite *si qua mulier* (38, tituli 15 *de sanctissimis Episcopis*, collationis 9); capite *illud quoque* (6, tituli 5 *de monachis*, collationis 1); lege *si qua mulier* (tituli *de sacrosanctis ecclesiis*, in codice); lege *ingressi* (ejusdem tituli in codice), et lege *nunc autem* (tituli *de Episcopis et clericis*, in codice).

2° Non multo post Justinianum, dispositionem illam imperialem invocabat sanctus Gregorius Magnus, ut probaret, ingressis monasterium nullam remanere testandi facultatem. Sic enim habet libro 7 epistolarum, epistola 7 : *Quia ingredientibus monasterium convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem monasterii juris fiunt, aperta legis definitione decretum est.* Verba hæc divi Gregorii efformant caput 7 quæstionis 3 causæ 19, apud Gratianum. In fine autem ejusdem epistolæ sic habet Gregorius Magnus : *Alia igitur omnia, quæ ex testamento prænominatæ Siricæ detinentur, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur, necesse est ut juri monasterii, fraternitatis vestræ sollicitudine sacerdotali, per omnia studia reparentur.* Quod ibi vocat divus Gregorius *legis definitionem* et *legalem sanctionem*, nihil aliud esse quam præfatam Justiniani quoad monasterium ingressos dispositionem, communiter existimant doctores, et ex contextu ipso satis innuitur.

3° Utrumque memoratum factum historicum (quod nempe Justinianus prædicto modo quoad monachos decreverit, et Gregorius Magnus imperialem illam sanctionem allegaverit) adducunt moderni quidam scriptores, ut opinionem suam obtrudant, non minus novam quam erroneam, qua sustinent, nonnisi vi sæcularis legis induci posse in religiosis dominii incapacitatem, et bonorum ipsis obvenientium ad eorumdem communitates devolutionem. Eam opinionem ut probabilem habet dominus Carrière, siquidem solemnia non esse in Galliis religiosorum vota, inde potissimum ut probabilius concludit, quod lex civilis Galliæ nec dictam incapacitatem in reli-

Digitized by Google

giosis professis, nec præfatam translationem dominii ad communitates agnoscat. « Votum paupertatis, inquit, quale « apud nos hodie emittitur, non videtur ea omnia includere « quæ ex disciplina Ecclesiæ requiruntur ut sit solemne: « illud probabilius effici existimamus, tum ex dictis in opi- « nionum expositione (1), tum ex analogia cum votis monia- « lium. » (*De Justitia et jure*, n. 224, circa finem.)

4° Falsam esse opinionem illam satis evincunt deducta duobus superioribus capitibus, ubi posse religiosos, independenter a sæculari lege, incapaces dominii fieri, et transferri ad communitatem dominium bonorum iisdem religiosis professis obvenientium fuse probavimus. Quo tamen facilius perspiciatur quam absone soli principis sæcularis decreto tribuatur vis dictos effectus producendi, hic probabimus, leges civiles dictam incapacitatem et dominii translationem decernentes, nedum ad hos effectus producendos necessariæ sint, prorsus inanes ex seipsis et irritas fore. Quibus prænotatis, sit

PROPOSITIO I^a. — *Lex sæcularis nequaquam potest religiosos incapaces dominii efficere.* — Num bonorum divisio *absolute* sit de jure naturali, inter doctores controvertitur. Dicimus *absolute*, id est, in quocunque generis humani statu, atque adeo etiam in statu naturæ integræ. Putant nempe theologi multi, non futuram fuisse necessariam bonorum divisionem, si Adam non peccasset, et genus humanum in statu naturæ integræ permansisset: in hac proinde hominum conditione omnia futura fuisse omnibus communia; ita ut ejusmodi *communismus*, id est, bonorum communitas, potuisset licite perseverare, imo (ut volunt aliqui) nec potuisset legitime tolli. At vero *relative* ad statum præsentem naturæ lapsæ, cessat fere opinionum diversitas. Est nempe communis doctorum sententia, de jure naturali, posito ut nunc est humano genere, introduci debuisse bonorum divisionem seu jus proprietatis;

(1) Expositio opinionis, quæ ipsius thesi favet, habetur n. 222; et ibi, ob legem civilem Galliæ, incapacitatem dominii in religioso non agnoscentem, sic concluditur: ***Religiosi igitur vera non abdicant dominium.***

Digitized by Google

ne alioquin, si multa millia hominum, cupiditatibus (ut nunc sunt) obnoxiorum, omnia in communi possidere debeant, in perpetuas dissensiones, turbasque ac cædes misere abripiantur, nec possint ullo civilis auctoritatis regimine satis efficaciter in pace contineri. Hinc, relative saltem ad præsentem generis humani statum, juri naturali accenseri potest bonorum divisio, et inde sequens uniuscujusque civis ad possidendum capacitas.

Et tandem, etiamsi hoc non foret omnino certum, saltem certo esset de jure naturali, ut, posita bonorum divisione, nequeat sæcularis potestas absque legitima causa civem aliquem incapacem dominii decernere, quia hoc justitiæ distributivæ repugnaret, ut satis per se patet.

Jam vero paupertatis votum a religioso emissum non est causa legitima, ob quam valeat sæcularis potestas religiosum illum incapacem dominii decernere. Nam causa legitima quoad potestatem sæcularem imponendi gravissimam hanc incapacitatis pœnam, non posset esse, nisi ingens aliquod delictum, vel forte pertimescenda tranquillitatis publicæ perturbatio, ob peculiarem alicujus civis conditionem, nisi acquirendi dominii facultate privaretur. Porro paupertatis votum non est delictum; et aliunde ex eo quod civis votum illud emittat et religiosum statum ingrediatur, nulla imminet reipublicæ perturbatio. Ergo sæcularis potestas nequaquam valet religiosum incapacem dominii reddere. Ergo si incapacitatem illam quoad religiosos decernat sæcularis potestas, ejusmodi decretum erit de se injustum, inane atque irritum; ex defectu nempe jurisdictionis in legislatore sæculari, quoad materiam de qua agitur. Ex quo liquet quam absone asseratur, non posse dictam religiosorum incapacitatem induci, nisi a potestate sæculari. Si non posset induci nisi a sæculari principatu, nunquam exstitisset et foret omnino impossibilis; quia incompetens est ad eam inducendam sæcularis potestas.

Propositio IIa. — *Nequit sæcularis potestas valide statuere, ut bona religioso professo obvenientia ad ipsius communitatem de-*

Digitized by Google

volvantur. — Conclusio hæc ex præcedenti invicte sequitur. Etenim si nequeat sæcularis potestas dominium ejusmodi bonorum religioso eripere, non poterit dominium illud ad communitatem transferre. Atqui, ex probatis, nequit impedire quin religiosus ejusmodi bonorum dominium acquirat; ergo non potest de illo dominio in favorem communitatis disponere.

Objicies. — Saltem poterit lex sæcularis, inducta jam (sive per pactum communitatem inter et religiosum initum, sive per Ecclesiæ sanctionem) dicta incapacitate, statuere de bonis religioso obvenientibus, utpote domino vacantibus. — Respondeo bona ejusmodi, religioso jam professo et dominii incapaci obvenientia, nequaquam domino vacare. Nam, in pacto suo cum communitate, religiosus ejusmodi bonis non renuntiavit, nisi in favorem communitatis et cum hac conditione quod jus suum in communitatem transiret. Et pariter Ecclesia incapacitatem dominii voto solemni paupertatis alligando, id non voluit nisi sub eadem conditione quod bona religiosi, sive præsentia sive adventitia communitati devolverentur. Ergo non datur casus qui supponitur, bonorum nempe derelictorum et ad neminem pertinentium, de quibus, tanquam domino vacantibus, sæcularis potestas disponere valeat.

Propositio IIIª. — *Lex imperatoris Justiniani, religiosos dominii incapaces decernens, et bona ipsorum sive præsentia, sive adventitia eorumdem communitatibus devolvens, de se invalida fuit atque irrita*. — Sequitur ex duobus superioribus conclusionibus. Nimirum esse ad id incompetentem sæcularem potestatem probavimus. Ergo nec ipse Justinianus, vi sola imperialis suæ auctoritatis, potuit de hacce materia valide statuere. Unde nisi ex auctoritate ecclesiastica hisce Justinianeis decretis valor accesserit, inania omnino fuisse atque irrita.

Propositio IVª. — *Falsum est controverti inter probatos doctores catholicos, num prædictæ Justiniani leges valorem ex seipsis habuerint; sed communi sententia tenent eas futuras fuisse invalidas, nisi suas fecisset Ecclesia*. — Noto notius est imperato-

Digitized by Google

rem Justinianum, non in hac re tantum, sed et in multis aliis thuribulo manum admovisse ; tum eo sensu quod de rebus ecclesiasticis, competentiam ipsius excedentibus, nova decreverit, tum etiam forte eo sensu quod vigentia jam passim ex Ecclesiæ auctoritate, suis legibus tanquam vi propria potestatis inseruerit.

At nec minus constat, ejusmodi Justiniani leges, et in specie leges contentas sub titulis supra descriptis, ubi monachos dominii incapaces decernit et eorum bona ipsorum communitatibus attribuit, a doctoribus catholicis, communi sententia haberi tanquam invalidas, ex defectu potestatis in legislatore. De quo in testimonium adducemus Fagnanum : « Lex princi- « pis laici, inquit, utcunque supremam in temporalibus ju- « risdictionem habentis, quæ specialiter de ecclesiis aut ec- « clesiasticis personis, vel earum bonis loquitur, etiamsi « respiciat earum commodum vel favorem, non valet ex « defectu potestatis... A qua conclusione nemo dissentit, nec « dissentire potest, quoniam potestas statuendi a jurisdictione « dependet. » (In caput *ecclesia S. Mariæ* 10, tituli 2, libri 1 decretalium, n. 7.) « Unde etiam infertur ut omnes leges (1), « quæ habentur in titulis codicis, *de sacrosanctis ecclesiis, de* « *Episcopis et clericis*, et in authentica *de sanctissimis Episcopis*, « cum similibus, non valeant ex defectu potestatis. » (Ibidem, n. 17.)

Esse id extra controversiam apud doctores catholicos testatur pariter Reiffenstuel in hunc modum : « An leges juris ci- « vilis, et statuta sæcularia, quæ nominatim ac specifice dispo- « nunt de ecclesiis, personis, rebusque ecclesiasticis, vim « habeant ipsas obligandi? Respondeo negative, nisi appro- « bentur ab Ecclesia. Ita Abbas..., Felinus..., Menochius..., « et *communis* aliorum. » (In titulum 2, libri 1 decretalium, n. 290.) « Infertur proinde, quod leges illæ, quæ habentur « in codice Justinianeo, titulis *de sacrosanctis ecclesiis, de*

(1) Nempe Justiniani imperatoris.

Digitized by Google

« *Episcopis et clericis,* et in authenticis *de Episcopis*, ac hujus-
« modi, per seipsas, nullam vim obligandi clericos habeant,
« ex defectu scilicet potestatis legislativæ ac jurisdictionis :
« disponunt enim specialiter de ecclesiis, personis ecclesia-
« sticis, earumque rebus, respectu quarum nulla sæcularibus
« jurisdictio competit. Abbas Panormitanus..., Joannes An-
« dreas..., Menochius..., Layman..., Fagnanus..., Andreas
« Gailus..., et *alii communiter*. Additur notanter in conclu-
« sione, *nisi approbentur ab Ecclesia*. Nam imprimis ejusmodi
« leges Romanus Pontifex approbare, iisdemque auctoritatem
« tribuere potest... Tunc vero non obligabunt ex vi sæcularis
« potestatis, sed ecclesiasticæ, a qua approbationem confir-
« mationemque, sicque auctoritatem obligandi clericos acce-
« perunt. » (Ibidem, n. 295 et 296.) Cæteros probatæ doctrinæ canonistas si adieris, reperies pariter de hac communi doctorum sententia testantes.

Unde certum omnino est, non controverti, sed communiter teneri a doctoribus catholicis, valore per seipsas caruisse Justiniani leges, sub præfatis titulis contentas; ac proinde illas etiam, quæ monachos dominii incapaces, et eorum bona ad monasterium devoluta decernunt, cum sub iisdem illis titulis jaceant, et circa res et personas ecclesiasticas versentur. Ergo ex eo quod sanctus Gregorius Magnus prædictas Justiniani leges allegaverit, minime sequitur agnitum fuisse ab illo Pontifice hujusmodi legum ex sola principis sæcularis potestate valorem; sed inferri duntaxat inde potest, fuisse eas ab ipso approbatas, seu canonizatas.

PROPOSITIO V^a^. — *Leges sæculares Galliæ, necnon quarumdam aliarum regionum, quibus olim statuebatur mors civilis religiosi professi, nullum valorem habere unquam potuerunt, nisi accedente sedis Apostolicæ approbatione.* — A decimo quinto circiter sæculo inductum in Gallia fuit, ut bona religioso professo, sive per testamentum, sive ab intestato obvenientia, neque ipsi, neque ipsius communitati attribuerentur; sed devolverentur ad eos, ad quos pertinuissent, si religiosus jam obiisset. Et

Digitized by Google

ideo hæc religiosi professi conditio *mors civilis* vocabatur. Quæ civilis juris Galliæ dispositio perduravit usque ad politicam anni 1793 perturbationem, qua et de medio sublati religiosi ordines, et omnia Ecclesiæ jura, ab impia et frenetica hujus temporis sæculari potestate violata et conculcata fuere.

In Belgio pariter olim statuta fuit, regularium professorum *civilis mors;* prout testatur Billuart (*de Contractibus*, dissert. 2, art. 3, § 6) in hunc modum : « Omnia bona et jura, quæ re- « ligioso obvenire possunt, sive ex testamento, sive ab inte- « stato, sive legato, sive donatione aut industria, non tam « ipsi quam ordini aut monasterio acquiruntur; et hujus in- « tuitu censetur hæreditas delata monasterio. Verum huic « juri communi, quoad hæreditatem sive ex testamento, sive « ab intestato, jure speciali Belgarum derogatum est, ex « edicto Caroli V, dato 21 februarii 1528. Similiter in multis « aliis provinciis, ut jam notavi. »

Imo adhuc hodie, *de facto*, plures Belgii communitates perinde se gerunt ac si vigere pergeret dispositio illa. Quando nempe moniali professæ obvenit aliqua hæreditas, civilem renuntiationis actum exerit; ita ut ad eos hæreditas illa adveniat, ad quos devolveretur, si mortua jam monialis foret.

An et quomodo dicta *mors civilis*, in Gallia et aliis regionibus, assentiente auctoritate ecclesiastica inducta sit, non expendimus; asserimus duntaxat, nec justam eam, nec validam esse potuisse, absque dicto sedis Apostolicæ assensu; quod sic probatur :

Ejusmodi legis sæcularis Galliæ dispositione, statuebatur religiosi incapacitas ad quodlibet acquirendum dominium. Sed, ex modo probatis, nequit sæcularis potestas hancce incapacitatem inducere quoad ullum civem, ex eo solo quod paupertatem voveat : ergo ex hac parte valore caruisset præfata dispositio, si fuisset auctoritatis ecclesiasticæ adminiculo destituta.

Præterea de jure communi ecclesiastico, succedit communitas in locum religiosi professi, quoad ipsius bona, sive præ-

Digitized by Google

sentia, sive obventura. Et valere hujusmodi ecclesiasticam legem, independenter a qualibet sæculari potestate, supra etiam probatum est. Sed per sancitam a lege sæculari Galliæ dictam religiosorum *civilem mortem*, hoc jure succedendi in locum religiosorum professorum fraudabantur communitates; ergo ex hac etiam parte civilis illa dispositio injusta fuit atque irrita, nisi ex sedis Apostolicæ confirmatione valor ei accesserit.

Existimo ego præfatam *mortem civilem*, qua religiosi ordines in Gallia, notabili bonorum, sibi de jure communi debitorum, copia fraudati sunt, initium aliquod fuisse atque præludium ingentis illius subsecutæ spoliationis, qua, non regulari tantum, sed et sæculari clero possessiones omnes sacrilega invasione subreptæ fuerunt. Quod, an verum sit, rerum ecclesiasticarum Galliæ historiam scribentibus expendendum relinquo.

CAPUT VI.

INCAPACITAS DOMINII, AD VOTI PAUPERTATIS SOLEMNITATEM REQUISITA, STARE POTEST CUM IIS ACTIBUS DOMINII IMPROPRIE DICTIS, QUI FIUNT EX FACULTATE PONTIFICIA, A RELIGIOSIS SOLEMNITER PROFESSIS.

Sub prima tractatus parte probavimus voti paupertatis solemnitatem esse institutionis mere ecclesiasticæ, seu, quod idem est, provenire ex Ecclesiæ dispositione; qua nempe voto paupertatis in quibusdam religionibus rite emisso, alligatam Ecclesia voluit perpetuam dominii incapacitatem. Ecclesia autem potuit illam dominii incapacitatem voto solemni paupertatis alligare, eo sensu quod religiosus professus, *ex obtenta facultate Apostolica*, posset varios dominii actus valide exerere, non autem *ex propria auctoritate* aut *ex superiorum suorum licentia*.

Porro sub præsenti capite duo probare intendimus : 1° Ecclesiam revera dicto sensu voti paupertatis solemnitatem in-

Digitized by Google

stituisse; id est, ita ut interveniente facultate Pontificia posset religiosus professus actus dominii valide exerere : 2° id nequaquam impedire quin religiosus professus vero sensu remaneat dominii incapax, et hæc incapacitas sufficiat ad voti paupertatis solemnitatem.

I. *Ecclesia voti paupertatis solemnitatem ita instituit, ut religiosus posset ex facultate Pontificia varios dominii actus exerere.* — Constat ex praxi sedis Apostolicæ; quod sic ostendi potest : sedes Apostolica regularibus qui solemnia vota emisere quandoque concedit, ut varios dominii actus exerant; et nihilominus existimat solemne remanere istorum religiosorum votum : ergo existimat et vult sedes Apostolica, solemnia esse et remanere regularium vota, licet varios actus dominii exerere valeant, modo actus illos valide ponere nequeant ex propria auctoritate, sed solummodo ex facultate Pontificia. Probatur antecedens : frequens est ut regulares, qui solemnia vota emiserunt, a sede Apostolica facultatem postulent mutandi testamentum, a se ante professionem conditum, aliasve dispositiones pariter ante professionem peractas; quam facultatem sedes Apostolica, justis intervenientibus causis, concedere solet. Hanc sedis Apostolicæ praxim satis testabitur causa *Toletana* (7 maii 1718, *Thesauri resolutionum,* tomo 1, pag. 53), in cujus relatione sic habetur : « Maria Teresia Lopez, moniа-« lis professa in monasterio... Calatravæ, ordinis S. Bene-« dicti, civitatis Matriti, Sanctissimo Domino Nostro suppli-« cavit pro facultate mutandi dispositionem a se factam, dum « erat in novitiatu; et a Sanctitate Sua fuit supplex oratricis « libellus ad hanc Sacram Congregationem remissus.

« Ut autem adæquatum de instantia ferri valeat judicium, « videtur esse necessarium primo loco exponere tenorem « dispositionis a moniali factæ, dum erat in novitiatu : se-« cundo loco referre dispositionem, quam ipsa facere medi-« tatur; et tertio loco circumstantias enarrare quæ in consi-« mili dispensatione concedenda vel neganda, ab hac Sacra « Congregatione ponderari consueverunt. *Nulla enim quoad*

Digitized by Google

« *potestatem Pontificiam esse valet difficultas;* tum quia prohi-
« bitio dispouendi tam inter vivos, quam in ultima voluntate
« quoad monachos et moniales, descendit a jure positivo, hoc
« est, a textu in authentica *ingressi*, codicis *de sacrosanctis*
« *ecclesiis*, et a capite *quia ingredientibus, de testamentis;* quam
« (prohibitionem) sua auctoritate summus Pontifex tollere
« potest : tum quia, si ecclesiasticas historias transcribere
« liceret, facile esset exempla afferre monachorum etiam
« sanctorum, qui ante juris positivi prohibitionem de bonis
« suis in ultima voluntate disposuerunt. »

Referuntur postea dictæ monialis dispositiones, cum mutationibus quas facere volebat. Ista nempe monialis tres capellanias fundaverat, reservato certis personis et certo modo capellanos nominandi jure. Atque ut in his nonnulla diverso modo statuere posset facultatem postulabat. Quibus enarratis, sic pergit relatio : « Post hæc nihil aliud superest, quam cir-
« cumstantias enarrare, in quibus Sacra hæc Congregatio con-
« similes petitiones aliquando rejiciendas, *et aliquando censuit*
« *admittendas.* » Ibi referuntur plures causæ in quibus concessio denegata est. Tum ita subjungitur : « E contra Sacra
« hæc eadem Congregatio, in quadam causa *Florentina* die
« 13 julii 1686, indulsit fratri Camillo Lando, ordinis S. Au-
« gustini, ut, accedente consensu fratrum sui conventus, re-
« nuntiare posset juribus sibi competentibus super quadam
« domo, favore sui fratris germani. Et in alia causa (*Limana*
« 27 junii 1699), concessit cuidam moniali, ut de certa quan-
« titate disponeret, cujus dispositionem sibi reservaverat in
« testamento quod fecerat ante professionem. »

Tandem posito dubio, *an oratricis precibus sit annuendum*, Sacra Congregatio respondit *affirmative*, addita conditione ut prævio in id consentiret quidam, qui interesse habebat ut perstarent priores monialis dispositiones.

Item anno 1797, mense julio, summus Pontifex facultatem concessit moniali Carmelitanæ de Soyecourt, copiosam quæ ipsi obtigerat successionem percipiendi, necnon monasterium

Digitized by Google

quoddam cum ecclesia (l'église des Carmes, rue Vaugirard, à Paris) acquirendi. Et in brevi Pontificio addebatur clausula, *firma substantia voti solemnis* (Gautrelet, *de l'Etat religieux*, tom. 2, pag. 278, edit. 1853).

Hæc et alia multa quæ addi possent ejusmodi concessionum exempla omnino evincunt, stare posse voti paupertatis solemnitatem cum hisce ex Pontificia facultate gestis dominii actibus; siquidem id sedes Apostolica persuasum habet, suaque praxi aperte declarat et certum facit.

II. *Quamvis religiosus, qui solemnia vota emisit, varios dominii actus ex concessione Pontificia exerere valeat, remanet tamen in vero sensu dominii incapax, et incapacitas in hoc sensu intellecta, sufficit ad voti paupertatis solemnitatem.* — Nam qui nequit *ex sola propria voluntate* actus dominii valide exerere, vere et proprie dominus non est. Et actus dominii quos exercet, hoc ipso quod valorem non habeant vi ipsius voluntatis, sed solummodo vi voluntatis alterius, non sunt actus dominii in proprio et stricto sensu. Et hæc est conditio religiosi, statim ac vota solemnia emisit: est nempe in perpetuum inhabilis ad quemlibet dominii actum *proprie dictum;* siquidem *per se solum*, et *ex sola vi voluntatis suæ*, jam nullum potest dominii actum valide exercere. Quod autem hæc, et non alia inhabilitas requiratur ad voti paupertatis solemnitatem, merito arguitur ex eo quod sedes Apostolica quandoque professis concedat ut quosdam dominii actus valide exercere valeant, et simul existimet atque etiam expresse declaret, hoc fieri, *salva voti paupertatis solemnitate.*

Valde autem diversa est conditio religiosi qui *simplex* duntaxat paupertatis votum emisit. Is enim, quamvis graviter peccet de bonis suis disponendo absque superiorum licentia, valide tamen *vi solius propriæ suæ voluntatis* ejusmodi actus dominii exercet. Imo nec ipsa summi Pontificis prohibitio impedire potest, quin valida sit venditio, donatio, etc., ab ejusmodi religioso peracta.

Digitized by Google

CAPUT VII.

AN OB DIFFICULTATES, EX LEGE SÆCULARI GALLIÆ PROVENIENTES, VOTUM PAUPERTATIS SOLEMNE, ID EST, CUM INCAPACITATE DOMINII CONJUNCTUM, DESINAT ESSE DE RE MELIORI, ET CONSEQUENTER SIT INVALIDUM.

Qui sustinent dari non posse in religiosis Galliæ dominii incapacitatem, ob legis eam non agnoscentis obicem, duplici fundamento nituntur : 1° nempe contendunt capacitatem et incapacitatem dominii in civibus non posse valide statui a potestate ecclesiastica, sed tantum a potestate sæculari ; eo quod ejusmodi capacitas et incapacitas accensenda sit rebus temporalibus, quæ sæculari potestati exclusive subjacent. 2° Etiamsi concederetur posse dictam incapacitatem ab ecclesia valide induci, nihilominus, inquiunt, lex sæcularis religiosos, qui vellent votum paupertatis cum illa incapacitate observare, tot difficultatibus in praxi involveret, ut votum istud desineret esse de re meliori, ac proinde non obligaret. Et sic, *indirecte saltem*, lex sæcularis præfatam incapacitatem non agnoscendo, eam reapse tollit, seu potius impossibilem reddit.

Prius objectum fundamentum satis jam subvertimus. Remanet ut posterioris etiam inanitatem ostendamus.

PROPOSITIO I^a^. — *Religiosi in Gallia, dominii incapaces, non sunt difficultatibus obnoxii quoad bona ante professionem possessa.* — Etenim ante professionem possunt religiosi Galliæ bona sua, sive mobilia, sive immobilia, alienare. Tunc nempe nondum incapaces sunt dominii; unde possunt actus ad alienationem necessarios; absque ulla difficultate ponere. Item potest ordo religiosus quamlibet difficultatem quoad illa bona præcavere, non recipiendo novitium ad professionem, nisi prius quodlibet dominium, hic et nunc ad ipsum pertinens, abjecerit. Unde objectæ graves difficultates, si quæ forent,

Digitized by Google

versarentur duntaxat circa bona religioso jam professo obvenientia. Sed neque hoc sensu admittendæ sunt prætensæ illæ difficultates : quod sequentibus propositionibus ostenditur.

PROPOSITIO II^a. — *Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt difficultatibus obnoxii quoad bona, ipsis post professionem per actus inter vivos obvenientia.* — Nam 1° religiosus Galliæ solemniter professus cui fit aliqua donatio, potest, cum superiorum suorum consensu, respondere, donationem a se non acceptari : in quo profecto nulla est difficultas. 2° Supra probavimus communitatem possidere posse in communi, ita ut bona sub aliquot religiosorum nomine inscribantur, et isti religiosi *civiliter* proprietarii sint. Poterit ergo nomine communitatis, in id consentientis, donationem acceptare, et fieri *civiliter* proprietarius rei donatæ. Item poterit rem illam ipse *civiliter* donare iis religiosis, sub quorum nomine bona communitatis inscribuntur, et actus *civiles* ad id necessarios exerere. Quia, ut probavimus, ejusmodi civiles contractus non sunt veri actus dominii, sed meræ administrationis; cum ejusmodi bona pertineant ad communitatem, non autem ad religiosum sub cujus nomine *civiliter* inscribuntur. Et sic etiam non adest ulla inextricabilis difficultas. 3° Tandem obtineri potest Pontificia facultas, vi cujus religiosus professus donationem pro se valide accipiat; qui actus acceptationis (ut superiori capite dictum est) non erit actus dominii proprie dicti et voti solemnitati repugnans, utpote qui valorem non habebit ex propria religiosi voluntate, sed duntaxat ex voluntate et concessione summi Pontificis. Unde assertæ difficultates si quæ forent, restringerentur ad bona religiosis professis obvenientia causa mortis, id est, per testamentum vel ex intestato.

PROPOSITIO III^a. *Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt gravibus difficultatibus obnoxii quoad bona ipsis per testamentum, vel jure hæreditario obvenientia.* —Vel enim illi religiosi ad ordinem religiosum pertinent qui ex instituto non potest possidere in communi, vel ad ordinem qui in communi bona possidere

Digitized by Google

potest. Atqui in neutro casu adsunt prætensæ illæ graves difficultates.

I. Non adsunt in hypothesi ordinis religiosi, cui ex instituto interdicta est possidendi in communi facultas, prout est religio Fratrum minorum sancti Francisci. Etenim præcaventur difficultates si possit tunc religiosus, salvo suo paupertatis voto, coram magistratu civili actum emittere, quo declaret se renuntiare hæreditati quæ ipsi obtigit. Ejusmodi quippe repudiationis actus est quid valde facile. Unde si possit religiosus, salva voti sui paupertatis solemnitate, et remanente in ipso vera incapacitate dominii, actum hunc emittere, nulla profecto aderit gravis difficultas. Atqui revera hoc modo licite agere potest religiosus Galliæ, integra remanente dominii incapacitate et voti solemnitate. Ideo enim illicitus ipsi foret ejusmodi actus, et incompatibilis cum voti solemnitate, quia esset actus dominii. Atqui prædicta hæreditatis repudiatio nequaquam in hoc casu est actus dominii. Nam quantumvis lex religioso tribuat hæreditatis dominium, revera tamen dominium illud ad ipsum non pertinet, cum per professionem factus fuerit cujuslibet dominii incapax. Hæreditas nempe tunc pertinet ad eos ad quos pertineret, si mortuus foret religiosus. Errat autem lex dum hæreditatem tribuit religioso. Hinc per actum repudiationis religiosus errorem hunc corrigit, et efficit ut hæreditas ad verum suum dominum perveniat. Sed facere ut aliqua res ad verum ipsius dominum perveniat, seu verum dominum juvare ut rei suæ possessionem apprehendere possit, non est actus dominii, sed charitatis erga proximum. Nec obstat, quod formula repudiationis cui subscribit religiosus, juxta sensum legis supponat ipsum esse verum hæreditatis dominum. Nam religiosus subscribendo non intendit hunc sensum legis; sed vult tantum formalitatem explere, sine qua non perveniret ad verum suum dominum hæreditas. Ergo per hanc repudiationem religiosus nequaquam desinit esse dominii incapax, nec actum dominii attentat, nec illicite agit. Ergo nihil obstat quin repudia-

Digitized by Google

tionem faciat. Sed ejusmodi repudiatio non est quid difficile; ergo falsum est intervenire graves difficultates quoad hæreditatem professis obvenientem, quando religiosi pertinent ad ordines, qui in communi possidere non possunt.

II. Sed neque adsunt graves illæ difficultates quando ordo religiosus de iis est, qui ex instituto possunt in communi possidere. Equidem tunc certum est, ex jure ecclesiastico, hæreditatem, quæ religioso professo obtigit, ipso facto communitati deberi, et communitatem esse verum hujus hæreditatis dominum: *Quod* enim, ut aiunt, *acquirit monachus, acquirit monasterium*. Quæ generalis regula locum habet quoad omnes religiosos ordines, præter eos, qui expresse ab ea excipiuntur; id est, quorum constitutiones a sede Apostolica approbatæ contrarium decernunt; prout est, ut diximus, præfata S. Francisci familia. Fatemur autem inde enasci aliqualem in praxi difficultatem; sed prorsus negamus eam superari non posse; et negamus pariter eam talem esse, ut efficiat votum solemne non esse de tunc de re meliori. Difficultas hæc describi potest in hunc modum: « Si religiosus professus, cui « hæreditas contigit, eam simpliciter repudiet, lædit jus « communitatis suæ, quæ est verus hæreditatis dominus. « Etenim posita simplici repudiatione, lex sæcularis hæredi- « tatem tribuet, non communitati (ad quam tamen hæreditas « illa pertinet), sed iis personis ad quas devolveretur, si jam « obiisset religiosus. Unde ad evitandam difficultatem non « videtur recurri posse ad simplicem repudiationem, quando « religiosa familia de iis est, quæ in communi possidere va- « lent. Aliunde neque videtur posse religiosus in hoc casu « hæreditatem suo nomine colligere, et postea eam tradere « communitati: tum quia id actum dominii involveret; tum « quia exstat quædem in Gallia legis sæcularis dispositio, pro- « hibens ne quis religiosus communitati suæ, aut alicui ipsius « membro ultra certam bonorum suorum partem donare « valeat: *Nulle personne faisant partie d'un établissement auto-* « *risé ne pourra disposer par acte entre-vifs ou par testament,*

Digitized by Google

« *soit en faveur de cet établissement, soit au profit de l'un de ses* « *membres, au delà du quart de ses biens, à moins que le bien ou* « *legs n'excède pas la somme de* 10,000 *francs* (loi du 24 mai « 1825, art. 5). Tandem neque valet religiosus difficultatem « vitare per meram abstentionem, seu nihil omnino agendo ; « quia tunc ab interesse habentibus provocaretur coram sæ- « culari magistratu, et cogeretur declarare an hæreditatem « deserat necne ; seu potius abstentio ipsa repudiationi æqui- « valeret. Ergo nulla videtur patere via quam sequi possit « religiosus professus, salva voti sui solemnitate et dominii « incapacitate. »

En ingens illud difficultatis monstrum, quo perterriti moderni quidam auctores, concludendum putarunt, dari non posse hodie in religiosis Galliæ dominii incapacitatem, nec consequenter solemnia vota. Sed, pace illorum dixerim, larvas somniarunt. Multiplex siquidem patet via, eaque non adeo difficilis, ad hanc difficultatem declinandam ; quod sic probatur :

1° Potest communitas renuntiare juri suo in hæreditatem, atque id religioso declarare. Qua facta declaratione, jam licite potest religiosus simplicem repudiationis actum emittere, non secus ac in casu, jam expenso, ordinis religiosi facultatem non habentis possidendi in communi. Etenim si juri suo communitas renuntiet, hæreditas ad eos pertinebit, ad quos vi legis devolveretur, si jam obiisset religiosus legatarius. Unde repudiationis actum emittendo, religiosus ille efficit, ut legatum ad verum suum dominum perveniat ; atque id agendo, non actum dominii exerit (ut supra ostendimus), sed merum actum charitatis.

Objicies. — Si hac via procedatur, religiosi ordines magnum in Gallia detrimentum patientur, cum enim sufficientibus redditibus et fundationibus plerique careant, si hisce legatis, quæ membris suis obveniunt, defraudentur, verendum est ne ad nimiam egestatem redigantur. — Respondeo *primo :* non unica est præfata via ; sed exstant et aliæ mox indigi-

Digitized by Google

tandæ. *Secundo,* etiam si unica foret, ad vitandas difficultates via illa, non ideo periclitarentur religiosi in Gallia ordines. Quod exemplo Belgii satis evinci potest. Nam in Belgio hac via frequenter proceditur; et nihilominus non imminui, sed prospero successu in dies augeri et splendescere religiosas familias notorium est. Quod sic notatum reperio, in dissertatione nondum edita, a quodam doctissimo nostri temporis canonista : « Depuis plus de cinquante ans qu'elles (les religieuses) existent en communauté, la pauvreté religieuse a « été toujours observée et exécutée selon la rigueur des lois « canoniques. Quand une succession s'ouvre civilement pour « une religieuse, elle se contente de poser un acte purement « civil, qui consiste à donner à une personne de confiance « une procuration notariée, pour renoncer purement et simplement à l'héritage. Et qu'on ne croie pas qu'à cause de « ces dispositions généreuses les monastères de la Belgique « soient dans la détresse. Tous, au contraire, sont dans la « voie de la plus grande prospérité. Voilà bientôt 24 ans que « le droit d'association a été pris au sérieux, sans acception « d'opinions ou de personnes : et non-seulement les anciennes institutions se sont agrandies et multipliées, mais de « nouveaux établissements se sont formés sur tous les points « du pays, pour soulager le malheur et instruire la jeunesse. « De manière que le nombre des réguliers, en Belgique, est « bien près d'atteindre, s'il ne l'atteint déjà, le chiffre qu'il « avait avant 1789. Et cependant, non-seulement les religieux proprement profès renoncent à tout, mais même ceux « qui ne font que des vœux simples, se contentent régulièrement d'une pension viagère, en laissant le capital de « leur fortune à leur famille. » Non ergo timeant præfati moderni scriptores ne depereant in Gallia religiosæ communitates, etiamsi legatis et hæreditatibus, membris suis obvenientibus, renuntiare deberent, ad vitandas (ex lege civili alioquin orituras) difficultates : timeant potius infaustam illam opinionem, de impossibilibus in Gallia solemnibus votis,

Digitized by Google

etiam ut probabilem sustinere ; quia erronea est opinio hæc, et religiosis ordinibus Galliæ nociva quam maxime.

2° Vitari etiam possunt difficultates, quin communitas hæreditatibus, membris suis obvenientibus, defraudetur. Etenim duplicis conditionis exstant in Gallia, relative ad gubernium, religiosæ communitates : aliæ scilicet ut tales ab ipso agnitæ, et a lege vocantur *établissements autorisés ;* aliæ hac *authorisatione* carentes, quarum membra tanquam meri cives a lege civili habentur. Plerique autem religiosi ordines, qui ex instituto vota solemnia habent, ad hanc posteriorem classem pertinent. Præfata nempe gubernii *authorisatione* carent in Gallia Dominicani, Jesuitæ, Carmelitani, Franciscani, Benedictini, Fratres sancti Joannis de Deo, etc. Et solet potius peti et obtineri authorisatio hæc a communitatibus quæ vel nulla, vel non perpetua, vel nonnisi simplicia ex instituto suo vota nuncupant. Porro,

Primo, quoad præcipuam communitatum religiosarum classem, earum nempe quæ non sunt a gubernio ut tales agnitæ, seu *authorisatæ*, ut aiunt, facile removeri possunt difficultates de quibus agimus, hoc modo : postquam religioso professo obtigit aliqua hæreditas, is hæreditatem illam, nomine suo colligat, et redactam ex ea pecuniam superiori tradat. Hæc agendi ratio nec votorum solemnitati et incapacitati dominii repugnat, nec a lege civili præpeditur. Quod ita peragi possit, integra remanente voti solemnitate et incapacitate dominii, facile probari potest. Nam hæreditas in hoc casu, ad communitatem pertinet, quantumvis eam lex civilis religioso tribuat. Hinc religiosus ponendo necessarios ad colligendam hæreditatem actus, non alio tendit quam ut hæreditas ad verum suum dominum, ad communitatem scilicet, perveniat. Nec attentat veros actus dominii ; sed explet duntaxat formalitates sine quibus communitas id, quod ad ipsam pertinet, apprehendere non posset. Unde quantumvis *civiliter*, id est, ad terminos legis civilis, reputetur dominus, et veros actus dominii videatur explere, in re tamen non agit tunc nisi com-

Digitized by Google

munitatis œconomum seu administratorem. Porro bonorum temporalium administratio stare potest cum perfecta voti paupertatis solemnitate et dominii incapacitate. Item quod ex collecta hæreditate redactam pecuniam superiori tradat, ad communes monasterii usus expendendam, nullatenus solemnitati votorum repugnat, nec cum incapacitate dominii est incompatibile. Id enim non est actus donationis, cum pecunia hæc ad communitatem jam pertineat ; sed est merus actus deferendi ad verum dominum rem ad ipsum pertinens. Unde præfata agendi ratio et licita omnino est, et cum perfecta dominii incapacitate compatibilis. Aliunde lex civilis ei nequaquam obstat. Etenim imprimis non obstat religioso professo hæreditatem colligere volenti juxta requisitas formalitates ; siquidem e contra hoc jus ei attribuit. Aliunde nec impedit quin religiosus ille redactam ex hæreditate pecuniam communitati suæ tradat. Nam dispositio legis, supra transcriptæ, qua prohibetur religiosus ultra certam bonorum suorum partem communitati aut alicui ejus membro donare, respicit duntaxat communitates a gubernio agnitas (*les établissements autorisés*). Porro in præsentiarum agimus de casu communitatum a gubernio non agnitarum (non autorisées) ; quarum membra tanquam meri cives a lege habentur. Quemadmodum ergo lex non obstat quin religiosus ille totum quod civiliter possidet, cui voluerit cæterorum civium donet, ita nec obstat quin id donet alicui communitatis suæ membro. Unde timendum non est, ne interveniat magistratus sæcularis ad exquirendum, cui religiosus ille redactam ex hæreditate pecuniam dederit. Ergo revera in casu quem expendimus non adest gravis ulla difficultas.

Usurpari etiam potest in eodem casu alius agendi modus : nimirum si hæreditas in bonis immobilibus consistat, necesse non est ea bona in pecuniam commutare ; sed potest religiosus legatarius, per actum civilem donationis, dominium illud *legaliter* transferre ad illa communitatis membra, sub quorum nomine inscribuntur cætera bona immobilia communitatis.

Digitized by Google

Nam, ut supra probavimus, possunt in Gallia religiosi, quamvis ut tales a lege non agniti, bona immobilia in communi possidere : curando nempe ut illa bona inscribantur sub aliquorum communitatis membrorum nomine, ita ut ista membra possessores et domini coram lege censeantur. His ergo membris donationem civilem facere potest religiosus legatarius. Ejusmodi autem civiles actus sunt omnino compatibiles cum voti solemnitate, et dominii incapacitate; siquidem nec sunt in se veri actus dominii, nec ut tales a religioso legatario intenduntur ; sed ab ipso exercentur tanquam meræ formalitates, in hunc finem, ut communitas, quod suum est, apprehendere valeat. In hoc tamen casu quandoque accidere posset ut, defuncto religioso qui bona immobilia sic aliis communitatis membris donavit, ejus consanguinei actionem nullitatis intentarent contra illam donationem, utpote factam, non donatariis, sed communitati. Et tunc cogerentur donatarii jurejurando declarare, an pro se, an vero pro communitate donationem acceptaverint : et sic aliquando forte fieri posset, ut communitas aliquo ejusmodi legato spoliaretur. Sed spoliatio hæc gratis objiceretur tanquam gravis difficultas, ex qua concludendum sit votum solemne non esse de re meliori. Ut tamen præcaveatur ejusmodi inconveniens, patet altera via, jam indicata, nimirum, ut bona immobilia in pecuniam redigat religiosus legatarius. Ergo *primo* quando communitas non est a gubernio agnita, seu *authorisata,* ut aiunt, devitari possunt difficultates, quin amittat legata membris suis obvenientia.

Secundo, si communitas ut talis a gubernio agnoscatur, equidem prohibet lex ne religiosus ultra quartam bonorum suorum partem communitati aut alicui ipsius membro donet (nisi tamen bona illa decem millia francorum non excedant; quo casu omnia bona sua, permittente lege, communitati aut alicui ipsius membro dare potest). Porro non obstante hac lege facile tolli possunt difficultates. Imprimis enim non aderit difficultas, si communitas recipiat tantum quartam illam partem, a lege permissam, et tres alias partes (quæ pariter ad

Digitized by Google

ipsam pertinent, quamvis id lex non agnoscat) velit dare illis personis, communitati extraneis, quibus religiosus legatarius donationem *legaliter* facit. Sic nempe religiosus legatarius non lædit jus communitatis, dando extraneis tres illas partes, siquidem in id consentit communitas; seu potius ipsa communitas donationem illam facit, mediante formalitate, a membro suo expleta. Aliunde religiosus legatarius, dando quartam partem communitati, et tres alias partes extraneis, nihil agit incompatibile cum solemnitate voti et dominii incapacitate; siquidem utraque hæc civilis donatio, non est (ut toties diximus) verus actus dominii, sed mera bonorum communitatis administratio.

Quod si communitas totam hæreditatem retinere velit, id etiam fieri posse videtur absque gravi difficultate, non obstante præfata lege. Totam nempe hæreditatem religiosus legatarius in pecuniam redigat, et pecuniam illam tradat superiori, in usus communes expendendam. Mortuo enim illo religioso, non dabitur actio contra communitatem, ad exquirendum quomodo religiosus ille pecuniam hanc expenderit, et num communitas ultra quartam partem receperit. Quod si tamen legaliter cogi tunc possit communitas ad dicendum cum juramento, num ultra quartam partem acceperit (quod mihi dubium est), tolleretur difficultas declarando rem ut est, et tres alias partes tradendo.

Ergo 1° et quoad *authorisatas*, et quoad non *authorisatas* communitates Galliæ, tolli possunt difficultates objectæ, quin communitates illæ hæreditatibus, membris suis obvenientibus, defraudentur. Aliunde 2° si velint illæ communitates juri suo in præfatas hæreditates renuntiare, omnino etiam evanescit quælibet difficultas: ergo II falso asseruntur graves difficultates quoad communitates religiosas, quæ ex instituto possunt possidere in communi. Aliunde I falso etiam asseruntur quoad communitates, quæ ex proprio instituto non valent possidere in communi. Ergo falsum est religiosos Galliæ, ex eo quod sint dominii incapaces, involvi difficultatibus adeo

Digitized by Google

gravibus, ut vota eorum cum hac incapacitate non sint de re meliori, ac consequenter nullitate laborent.

PROPOSITIO IV^a. — *Præcedentem propositionem plene confirmat decretum Sacræ Congregationis de propaganda fide 15 decembris* 1840. — Decretum illud, quod retulimus supra (capite 2, arg. 2), non tantum possibile et legitimum supponit, ut bona communitatis sub aliquorum nomine inscribantur, et illi proprietarii *civiles* varios exerant legales actus, ad conservanda communitati bona hæc necessarios, sed ita fieri mandat et præscribit in Statibus unitis Americæ, supponit ergo dicta Sacra Congregatio, necnon Gregorius XVI, qui præfatum decretum approbavit et confirmavit, religiosos posse esse bonorum communitatis *proprietarios civiles*, quin sint veri eorum bonorum domini; item posse ipsos quatenus *civiliter* proprietarios sese gerere, et actus legales exercere, quin propterea censendi sint ullum veri dominii actum attentare. Ergo pro certo tenent dictus Pontifex et dicta Sacra Congregatio, posse religiosos solemniter professos, et dominii incapaces, proprietariorum *civilium* personam licite agere, illæso remanente solemni paupertatis voto. Hoc autem semel admisso, evanescunt objectæ omnes difficultates, ut patet. Eodem enim modo res peragi poterunt, quantum ad legis civilis exigentiam attinet, ac si simplicia duntaxat vota emitterentur.

PROPOSITIO V^a. — *Falsum est non posse vel non debere religiosos Galliæ sese voto solemni paupertatis obstringere, ob curas et sollicitudines, quæ ex incapacitate dominii in hac regione necessario consequuntur.* — Qui ejusmodi curas et sollicitudines obtendunt, ut votorum solemnium impossibilitatem in Gallia concludant, sic fere ratiocinantur: ob legis sæcularis Galliæ dispositiones, maximis difficultatibus involverentur religiosi, quorum paupertatis votum foret solemne, seu cum incapacitate dominii conjunctum: ex iis autem difficultatibus orirentur ingentes curæ et sollicitudines, quæ profectum spiritualem præpedirent: ergo votum, quatenus solemne, non censendum est in Gallia esse de re meliori; sed, positis Gal-

Digitized by Google

liæ circumstantiis, utilius est votum *simplex* paupertatis. Ergo religiosus in ea regione non debet velle solemni paupertatis voto se obstringere; et etiamsi velit, nequit id efficere, cum votum invalidum sit, hoc ipso quod non sit de re meliori. Porro tota hæc ratiocinatio inani fundamento nititur. Probavimus enim chimericas esse graves illas difficultates quæ ex incapacitate dominii necessario exurgere asseruntur. Ergo chimericæ pariter sunt ingentes illæ curæ et sollicitudines ex iis difficultatibus provenientes.

Præterea, ab actu ad posse valet consecutio. Atqui in Statibus unitis Americæ, in Belgio et in Gallia religiosi illorum ordinum, qui vota solemnia ex instituto habent, vota sua in professione emissa vere solemnia reputant, et cum incapacitate dominii conjuncta; neque ipsis vel minime dubium est quin debeant sese gerere tanquam omnino incapaces dominii. Et nihilominus, nedum perpetuis curis et anxietatibus quassentur, ut supponitur, valde pacatam vitam agunt. De quo si quis dubitet, adeat Carmelitarum, Dominicanorum, Benedictinorum, Jesuitarum, etc., domos; cum religiosis professis colloquatur; et certe ne unum quidem reperiet, qui, præcise ob dictas difficultates ex lege civili provenientes, pacem animæ, somnumve aut appetitum in refectorio amiserit. Pudet me, fateor, talia confatare. Sed adegit necessitas, cum inanibus hisce rationibus tota nitatur erronea illa opinio, de impossibilibus hodie in Gallia solemnibus votis.

Sit ergo pro generali superiorum capitum conclusione, incapacitatem dominii in religiosis, a sæculari lege Galliæ nec directe, nec indirecte impediri posse.

CAPUT VIII.

CONCLUDITUR EXSTARE HODIE IN GALLIA VEROS RELIGIOSOS, ETIAM CUM VOTIS SOLEMNIBUS.

Dicemus : 1° quinam hodie in Gallia sint veri religiosi

Digitized by Google

cum votis solemnibus; 2° quinam sint veri religiosi cum votis simplicibus; 3° quinam status religiosi essentia careant.

§ I.

Quinam hodie in Gallia sint veri religiosi cum votis solemnibus.

PROPOSITIO I^a. — *Semel approbato religioso instituto, solemnia vota habente, necessaria est expressa Ecclesiæ dispositio, ut solemnia non sint vota religiosorum, rite ad formam illius instituti profitentium.* — Nam sedes Apostolica hoc ipso quod approbet institutum, in quo disponitur solemnia fore vota per professionem emissa, vult et decernit ut vota illa solemnia sint : alias institutum illud non approbaret. Voluntas autem illa solemnitatem votorum inducit independenter a qualibet sæculari potestate, ut supra probatum est. Ergo nisi mutetur decretum hoc sedis Apostolicæ, certo solemnia erunt vota religiosorum omnium, rite juxta illud institutum profitentium. Ut autem sublata quoad aliquos censeri possit aliqua lex ecclesiastica, debet de hac exceptione expresse constare. Unde ut alicujus regionis religiosi, juxta præfatum institutum profitentes, vota solemnia non emittant, necesse est ut sedes Apostolica expresse declaret ipsorum vota jam non acceptari a se nisi tanquam simplicia. Alioquin ex vi sola approbationis instituti, vota hæc pro solemnibus habenda erunt. Ergo, ut pro solemnibus hodie in Galliis habenda sint vota religiosorum, in prædictis ordinibus rite profitentium, necessaria non est sedis Apostolicæ declaratio, solemnitatem illam pronuntians; sed e contra requiritur declaratio hæc, ut haberi possint pro non solemnibus.

PROPOSITIO II^a. — *Religiosi Galliæ professionem rite emittendo in iis ordinibus, qui, ex instituto a sede Apostolica approbato vota solemnia habent, fiunt eorumdem ordinum professi, et eorum vota vere et proprie solemnia sunt.* — Id jam facile evinci potest, quia non est nisi præmissæ doctrinæ consectarium et applica-

Digitized by Google

tio. Etenim vota illa solemnia non forent, vel quia lex civilis Galliæ obstaret incapacitati dominii; vel quia religiosos, si forent dominii incapaces, tot difficultatibus lex civilis implicaret, ut vota cum hac incapacitate non essent de re meliori, nec proinde valida; vel quia, ut certa foret ejusmodi votorum solemnitas, requireretur expressa sedis Apostolicæ declaratio, qua testaretur se habere ut solemnia virorum hodie in Gallia profitentium vota. Atqui nullum ex his dici potest. Etenim supra probatum est legem civilem Galliæ, quantumvis incapacitatem dominii in religioso non agnoscat, nullatenus impedire quominus incapacitas hæc adesse possit. Item probatum est, non impediri indirecte incapacitatem illam ob prætensas difficultates ex præfata lege civili exorientes. Et tandem superiori propositione, probatum est non tantum non requiri expressam sedis Apostolicæ declarationem ut solemnia sint hodie in Gallia vota religiosorum rite profitentium, sed requiri e contra expressam illam declarationem, ut vota hæc solemnia non sint.

Nota. — Si tamen sedes Apostolica, quæ præfatos ordines approbando, vota in professione rite emittenda pro solemnibus acceptavit, expresse acceptationem hanc retraxisset quoad religiosos Gallos, utique vota ipsorum solemnia non forent. Sed ad id necessaria est, ut diximus, sedis Apostolicæ declaratio; cujus declarationis ne vestigium quidem reperire est, quoad cæteros, præter Trappistas, Galliæ religiosos (Trappistarum enim mox specialem conditionem describemus). Imo contrarium ex quodam supra citato Sacræ Pœnitentiariæ responso eruitur. Nam cum sacrum hoc tribunal pluries respondisset, vota monialium Galliæ non haberi a sede Apostolica pro solemnibus, et quæsitum fuisset, an idem de votis virorum in Gallia intelligendum foret, responsum est, emissas hac de re declarationes, ad moniales Galliæ duntaxat spectare.

Corollarium. — Ergo solemnia vota emittunt in Gallia Dominicani, Jesuitæ, Carmelitani, Benedictini, Capuccini, aliique

Digitized by Google

regulares eorum ordinum, qui ex instituto approbato ejusmodi vota emittere debent. Etenim qui exstant hodie in Gallia instaurati horum ordinum conventus, non nomine tantum et simili agendi ratione seu vivendi norma ad eosdem ordines pertinent, sed vere pars eorum sunt; utpote qui erecti fuerunt a superioribus ad dictos ordines vere pertinentibus, ac jurisdictionem ad novas istas domos erigendas, novitiosque informandos, ac professionem recipiendam, habentibus. Unde religiosi isti de iis sunt, qui rite vota solemnia emisere in ordinibus, ejusmodi vota ex instituto a sede Apostolica approbato habentibus.

§ II.

Quinam hodie in Gallia sint veri religiosi cum votis simplicibus.

QUÆSTIO I[a] — *Quænam conditiones requirantur et sufficiant ut adsit status religiosi essentia cum votis simplicibus?* — Conditiones illas sub prima tractatus parte fuse exposuimus. Sunt nempe sequentes : 1° ut tria vota sint perpetua : 2° ut ab aliquo legitime acceptentur : 3° ut congregatio de sedis Apostolicæ licentia fuerit erecta. Nam alioquin, attento solo jure scripto, foret illicita. Sed diximus (parte 2, cap. 2, §. 3) contra illam Ecclesiæ legem hodie jam legitime præscripsisse consuetudinem contrariam ; ita nempe ut ex sola Episcopi licentia erigantur congregationes, in quibus simplicia vota vel ad tempus vel etiam perpetua emittantur. Nec videtur sedes Apostolica ejusmodi congregationes sic erectas pro illicitis habere. Unde conclusimus (loco citato) essentiæ status religiosi hodie non obstare, quod congregatio absque licentia Pontificia, et cum sola Episcopi loci auctoritate erecta fuerit. Quod tamen, non tanquam certam doctrinam, sed tanquam meram opinationem a nobis tradi monuimus.

QUÆSTIO II[a] — *Num adsint hodie in Gallia virorum congregationes quæ dictas conditiones, ad status religiosi essentiam suffi-*

Digitized by Google

cientes, habeant. — Respondeo affirmative. Nempe 1° talis est congregatio patrum *societatis Mariæ*, qui *Maristarum* nomine in Gallia designari solent; quorum institutum Lugduni exordia sumpsit. Etenim approbatum a sede Apostolica fuit ipsorum institutum; bulla *omnium gentium*, diei 29 aprilis 1836 : et juxta ejusmodi institutum emittuntur in ea congregatione tria vota simplicia perpetua : et vota hæc, congregationis et Ecclesiæ nomine, rite a superioribus acceptantur. Ut adeo novæ huic (fructibus tamen apostolicis, jam uberi) congregationi nullum desit ex requisitis ad status religiosi rationem atque essentiam omnimodam.

2° Talis pariter censenda est congregatio fratrum a *Scholis Christianis* nuncupatorum, ex iisdem rationibus. Advertendum tamen est, non omnes illius congregationis fratres veros esse religiosos; sed eos tantum qui *perpetua* vota emiserunt. Cum nempe, ex ipsorum instituto, ad emittenda vota perpetua nonnisi post quoddam determinatum tempus admittantur, interea vero temporalibus duntaxat votis sese adstringant, inter utramque fratrum classem ingens intercedit discrimen. Qui enim *ad tempus* voverunt, nequaquam in statu religioso constituti censendi sunt; siquidem ipsis deest una ex necessariis ad status religiosi essentiam conditionibus, nimirum triplicis voti perpetuitas. Unde habendus est ipsorum status tanquam continuatio quædam tyrocinii, et ad perpetua vota præparatio.

3° Idem dicendum videtur de congregatione *Sancti Spiritus et Immaculati cordis Mariæ;* sic nuncupata, eo quod ex duarum unione, Pii IX feliciter regnantis auctoritate, conflata et approbata fuerit. Cui in primum generalem superiorem præfuit Reverendissimus Libermann, e vivis nuper ereptus, heroicis virtutibus et sanctitatis ardore vir insignis : cujus et sanctimoniam Ecclesiæ judicio aliquando pronuntiandam speramus. In hac scilicet congregatione peculiare est, quod primum, per certum aliquod temporis spatium, nonnisi temporalia vota emittantur : postea vero membris liberum sit, aut perpetuis

Digitized by Google

se votis simplicibus constringere, aut cum temporalibus duntaxat permanere. Ii porro qui perpetua vota in hac congregatione nuncupant, veris religiosis accensendi videntur. Nulla enim ipsis deest e requisitis ad status religiosi essentiam conditionibus: adest quippe votorum perpetuitas; necnon eorumdem legitima acceptatio; idque in legitime erecta congregatione. Nec obstat quod membris ex instituto liberum sit, cum temporalibus duntaxat votis semper remanere, et perpetua nunquam emittere : quanquam enim ipsorum id arbitrio relinquitur, si perpetuo vovere eligant, non est jam cur perpetuis ejusmodi votis vera status religiosi essentia non inducatur. At vero, prout de Scholarum Christianarum fratribus dictum est, cæteri solis temporalibus votis obstricti, nondum status religiosi rationem assecuti censendi sunt.

4° Status religiosi essentiam habere censendæ sunt *generatim* (ne inutiliter de singulis in particulari sermonem instituamus) virorum congregationes præfatis similes; id est, in quibus reperitur trium votorum perpetuitas, eorumque legitima acceptatio; modo tamen ejusmodi congregationes ita fuerint erectæ, ut non sint illicitæ. Si enim ex legitimæ erectionis defectu illicitæ forent, non posset in iis reperiri *status perfectionis*, nec consequenter *status religiosus*. Nobis autem illicitas non videri hodiernæ congregationes, ex eo quod de *sola Ordinarii licentia* erectæ fuerint, diximus parte 2, cap. 2, § 3. Quamvis enim certo exstet lex ecclesiastica eas prohibens, videtur contra legem illam consuetudo legitime jam præscripsisse. Quæ mea opinio si vera sit, tribuenda etiam erit status religiosi essentia congregationi, de sola Ordinarii auctoritate erectæ, modo aliæ non desint conditiones.

5° Status religiosi essentiam pariter habent in societati Jesu *scholastici* et *coadjutores formati*, quamvis simplicia duntaxat vota emittant. Cum enim vota hæc perpetua sint, et rite acceptantur, sitque dicta societas sedis Apostolicæ auctoritate legitime erecta, nulla deest ex requisitis ad status reli-

Digitized by Google

giosi rationem conditionibus. Insuper certam omnino rem fecerunt Gregorii XIII constitutiones.

§ III.

Quænam hodie in Gallia virorum congregationes a status religiosi essentia deficiant.

1° Status religiosi essentia carent congregationes, in quibus ex instituto nulla fiunt vota. Ejusmodi est clericorum *Sancti Sulpitii* congregatio : item Sancti Philippi Nerii institutum. Harum et similium congregationum clerici, non regulari, sed sæculari clero accensendi sunt, ut patet.

2° Idem concludendum venit de congregationibus in quibus temporalia duntaxat vota emittuntur ; siquidem absque votorum perpetuitate non datur verus religiosus status.

3° Quantumvis perpetua vota emittantur, si congregatio Romani Pontificis, aut saltem Ordinarii auctoritate erecta et approbata non fuerit, a status religiosi essentia deficere censenda est: tum quia deest qui valeat vota hæc legitime acceptare : tum quia talis congregatio remanet prohibita et illicita ; ut proinde repugnet in ea reperiri *statum perfectionis*, et consequenter statum religiosum.

Diximus, *aut saltem Ordinarii auctoritate*. Nam etsi, in rigore juris illicita sit congregatio, ante obtentam Pontificiam licentiam, inchoata, ex consuetudine tamen licitam hodie videri, quæ de sola Episcopi licentia erecta fuit, pluries jam monuimus.

4° *Etsi vota simplicia in perpetuum emittantur in aliquo approbato instituto, si vota hæc rite non acceptentur, a status religiosi essentia deficere congregatio ista censenda erit.* — Etenim sub priori tractatus parte probavimus ad status religiosi essentiam requiri, ut, Ecclesiæ et Dei nomine, acceptetur triplex perpetuum votum, ab aliquo ad id potestatem habente. Equidem Romanus Pontifex, hoc ipso quod contrarium non expri-

Digitized by Google

mat, aliquod institutum approbando cum votis perpetuis, censetur superioribus facultatem facere ut vota illa dicto modo rite acceptent. At fieri potest, ut in formula approbationis, expressis terminis facultas hæc excludatur. Quod tunc contingit, quando sedes Apostolica vult alicujus congregationis membra triplici perpetuo voto ligari, et tamen remanere de corpore sæcularis cleri (vide dicta, parte 2, cap. 4, § 2, proposit. 2, *innuitur* 3°).

Hinc status religiosi essentiam non habent presbyteri *Missionis*, a sancto Vincentio de Paulo instituti, qui in Gallia *Lazaristæ* vocari solent. Etenim in ipsorum approbatione (bulla *ex commissa* Alexandri VII, 22 septembris 1655), sic cavetur : *In quorum tamen votorum emissione nemo intersit, qui ea acceptet nomine congregationis, sive Nostro et pro tempore existentis Romani Pontificis nomine... Utque dicta congregatio non censeatur propterea in numero ordinum religiosorum, sed sit de corpore cleri sæcularis.*

CAPUT IX.

DE CONDITIONE SPECIALI TRAPPENSIUM GALLIÆ.

Cum generali conclusione supra sustinuerimus, solemnia esse vota religiosorum Galliæ, quorum institutum, ab Apostolica sede approbatum, emittenda ejusmodi vota præscribit, mirum videri potest specialem nunc de Trappistis quæstionem institui. Ipsorum siquidem ordo, non alius est quam Cisterciensium, a sede Apostolica utique approbatum. Nihilominus applicanda ipsis non est præfata generalis conclusio, et dicendum simplicia duntaxat hodie ab ipsis emitti vota. Quam particularem Trappistarum Galliæ conditionem ut patefaciamus, præmittemus primo decreta varia quoad ipsos prolata : tum quid juris inde sequatur determinabimus.

Digitized by Google

§ I.

Variæ decisiones Trappistas Galliæ respicientes.

I. *Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium anni* 1834 (1). — « Kalendis octobris, anno MDCCCXXXIV, « Eminentissimi et Reverendissimi DD. S. R. E. Cardinales « Carolus Odescalchi, præfectus et relator, Carolus Maria « Pedicini, et Thomas Weld a sanctissimo Domino Nostro « Gregorio XVI, ex S. Congregatione, negotiis et consultatio- « nibus Episcoporum et regularium præposita, speciatim de- « putati, quo aptius monasteria Trappensium in Gallia insti- « tuantur, et virtutibus florescant, auditis Episcopis singula- « rium diœcesium, in quibus eadem monasteria erecta sunt, « et audito P. Antonio abbate Mellearіensi, et visitatore ab « eadem S. Congregatione deputato, censuerunt ea quæ se- « quuntur, decernere et statuere.

« 1° Monasteria omnia Trappensium in Gallia unam con- « gregationem constituant, quæ appellabitur *congregatio Mo- « nachorum Cisterciensium B. Mariæ de Trappa.*

« 2° Huic moderator generalis ordinis Cisterciensis præerit, « et singulos abbates confirmabit.

« 3° In Gallia vicarius generalis habeatur omni potestate « præditus ad congregationem recte administrandam.

« 4° Id muneris perpetuo conjunctum erit cum abbatia « antiqui monasterii B. Mariæ de Trappa, ex quo Trappenses « initium habuerunt, ita ut singuli illius monasterii abbates « canonice electi potestatem simul, et munus vicarii genera- « lis consequantur.

« 5° Quotannis vicarius generalis tum capitulum celebrabit, « reliquis abbatibus, vel prioribus conventualibus accitis; « tum etiam singula monasteria per se, vel per alium abba-

(1) Editum illud decretum reperies apud Ferraris, editio Migne, 1852, tomo 1, col. 1448.

Digitized by Google

« tem visitabit : monasterium vero B. Mariæ de Trappa a « quatuor abbatibus monasteriorum Mellearіensis (de la Meil- « leraie), Portus Salutis (du Port du Salut), Bellofontensis (de « Bellefontaine), et Gardiensis (du Gard) visitabitur.

« 6° Tota congregatio regulam S. Benedicti, et constitutio- « nes abbatis de Rancé observabit, salvis præscriptionibus, « quæ hoc decreto continentur.

« 7° Pareant decreto Congregationis S. Rituum diei 20 « aprilis 1822, super Rituali, Missali, Breviario, et Martyrolo- « gio, quibus uti debebunt.

« 8° Labor manuum ordinarius æstivo tempore ultra sex « horas; et ultra quatuor et dimidiam reliquo anni tem- « pore non producatur. Quod vero ad jejunia, precatio- « nes, et cantum chori pertinet, aut S. Benedicti regulam, « aut constitutiones abbatis de Rancé ex recepto more cujus- « que monasterii sequantur.

« 9° Quæ articulo octavo constituta sunt, ea præsides mo- « nasteriorum moderari possint, et mitigare pro iis monachis, « quos ob ætatem, aut valetudinem, aut aliam justam causam « aliqua indulgentia dignos existimaverint.

« 10° Quamvis monasteria Trappensium a jurisdictione « Episcoporum exempta sint, ea tamen ob peculiares ratio- « nes, et donec aliter statuatur, jurisdictioni eorumdem Epi- « scoporum subsint, qui procedant tanquam Apostolicæ sedis « delegati.

« 11° Moniales Trappenses in Gallia ad hanc congregatio- « nem pertineant, et earum monasteria a jurisdictione Epi- « scoporum non erunt exempta : cura tamen spiritualis « uniuscujusque monasterii monialium uni, aut alteri mona- « cho proximioris monasterii committatur. Monachos autem, « quos idoneos ad illud munus judicaverint, Episcopi dele- « gant, atque approbent, et confessarios extraordinarios e « clero etiam sæculari deputare poterunt.

« 12° Constitutiones, quas moniales servare in posterum « debebunt, judicio S. Sedis subjiciantur.

Digitized by Google

« Hoc decretum SS. D. N. Gregorius PP. XVI in audientia « habita a D. secretario S. Congregationis, negotiis et con- « sultationibus Episcoporum et regularium præpositæ, hac « die 3 octobris an. 1834, ratum in omnibus habuit, et con- « firmavit, et servari mandavit. — Carolus Card. Odescalchi « præfectus. — Joann. Archiep. Ephesinus secretarius. »

II. *Decretum S. Congregationis Inquisitionis anni* 1837. — « Reverendissime Pater (1). — De Trappensis familiæ mo- « nasteriis isthic feliciter restitutis, nonnulla identidem dubii, « ad S. sedem Apostolicam delata sunt. Ea proinde sanctis- « simus Dominus Noster discutienda commisit Eminentissi- « mis Patribus Cardinalibus S. Congregationis sancti Officii, « atque universa rei ratione perpensa, cunctisque pro ipsius « instituti ac temporum locorumque conditione momentis « causarum animadversis, Sanctitas Sua, die prima hujus « mensis, ex Patrum eorumdem consilio, decrevit *vota Trap-* « *pensium, quæ ab ea die in posterum intra fines Galliarum regni* « *emitterentur, tanquam simplicia habenda esse;* idque, donec « aliter a sede Apostolica statuatur. Ad vota vero ante emissa « quod attinet, sanctissimus Dominus, gravissimis rationibus « abstinendum censuit a quocunque judicio circa eadem pro- « ferendo. Hæc idem, sanctissimus Pater, tibi, Reverendis- « sime Pater, significata voluit, ut per te, cæteris quæ tibi « subjecta sunt monasteriis, denuntiarentur. Ego autem San- « ctitatis Suæ mandatis obsecutus, precor ut diu valeas in « Domino. — Romæ, ex Sacra Congregatione Episcoporum « et regularium, die 24 martii 1837. — Tui studiosus, J. A. « Card. Sala præfectus. — J. Patriarcha C. R. secretarius. »

III. *Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium* « *anni* 1839. — « Pater abbas procurator generalis congre- « gationis monachorum Cisterciensium B. M. V. de Trappa in « Gallia, ut omnis dubitandi causa in interpretatione decreti « incipientis *kalendis octobris*, editi die 3 octobris 1834, a

(1) Directum fuit decretum hoc ad vicarium generalem Trappensium Galliæ.

Digitized by Google

« S. Congregatione negotiis et consultationibus Episcoporum « et regularium præposita, e medio tolleretur; dubia, quæ « sequuntur eidem S. Congregationi resolvenda proposuit :

« 1° Cum in articulo X decernatur, quamvis monasteria « Trappensium a jurisdictione Episcoporum exempta sint, ea « tamen ob peculiares rationes, et donec aliter statuatur, « jurisdictioni eorumdem Episcoporum subesse, qui proce- « dant tanquam sedis Apostolicæ delegati, quæritur, in quo « ea jurisdictio consistat, et quænam jam Episcopi circa mo- « nasteria exercere valeant? 2° Quænam sit abbatum juris- « dictio? 3° Utrum abbates potestatem habeant excipiendi « suorum monachorum sacramentales confessiones, eamque « aliis sacerdotibus monachis suorum monasteriorum delegare « valeant, absque approbatione Episcoporum?

« S. Congregatio, audito voto P. procuratoris generalis « ordinis Cisterciensium, respondendum censuit, nempe *ad* « *primum :* donec aliter a sancta sede Apostolica decernatur, « monasteria et monachos subjectos esse visitationi et corre- « ctioni Episcoporum, salvis constitutionibus ordinis. *Ad se-* « *cundum :* in administratione et regimine interiori monaste- « rii abbates eam potestatem habere, quam habent abbates « Cistercienses, salva subjectione ab Episcopis, ut in primo « dubio, servatisque aliis quæ in decreto Sacræ Congrega- « tionis præscribuntur. *Ad tertium :* affirmative in omnibus « quoad monachos; negative quoad moniales, pro quibus ser- « vetur articulus XI citati decreti ejusdem S. Congregationis.

« Et facta de præmissis relatione ad sanctissimum D. N. « Gregorium Papam XVI, in audientia habita die 3 martii « 1839, Sanctitas Sua Sacræ Congregationis resolutionem in « omnibus approbavit ac confirmavit. — A. Riparii subse- « cretarius (1). »

IV. *Decretum Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium*

(1) Habetur illud decretum in edita, Parisiis a Migne 1852, *Bibliotheca canonica Lucii Ferraris*, tomo 1, col. 1450.

Digitized by Google

anni 1836, *Trappistas Belgii respiciens*. — « Sacra Congregatio « negotiis et consultationibus Episcoporum et regularium « præposita, acceptis postulationibus Patris prioris et mona- « chorum monasterii Westmallensis ordinis Cisterciensis, con- « gregationis Beatæ Mariæ de Trappa, in diœcesi Mechli- « niensi, et cognito eorumdem monachorum studio in « curanda prosperitate ipsius ordinis et disciplina regulari « tuenda, atque omnibus sedulo diligenterque perpensis in « generali auditorio diei 11 martii 1836, statuit et decrevit « prout sequitur :

« 1. Archiepiscopus Mechliniensis monasterium Westmal- « lense ordinis Cisterciensis strictioris observantiæ, sublata « qualitate et prærogativa *prioratus*, in titulum *abbatiæ*, vel « per se vel per aliam personam in ecclesiastica dignitate « constitutam, elevet cum omnibus juribus, privilegiis, hono- « ribus, jurisdictionibus, et omnibus quæ, et Apostolicis con- « stitutionibus et regula ordinis, ad ecclesias abbatiales et « abbates spectant.

« 2. Hoc monasterium, et reliqua in Belgio erecta vel eri- « genda, peculiarem congregationem cum toto ordine con- « junctam constituent, cui præerunt abbates monasterii « Westmallensis canonice electi, uti vicarii generales Patris « præsidis generalis ordinis Cisterciensium, qui in Urbe « commoratur.

« 3. Ipse abbas Westmallensis, et cæteri abbates et priores « monasteriorum quæ in Belgio fundata sunt, vel in posterum « fundabuntur, juxta canonicas regulas et constitutiones or- « dinis eligantur, et abbatum electio a præside generali or- « dinis Cisterciensis confirmanda erit.

« 4. Hæc congregatio, ad servandam uniformitatem in « ordine, regulam S. Benedicti et constitutiones abbatis de « Rancé, a summis Pontificibus Innocentio XI, Benedicto XIV, « Pio VI et Pio VII laudatas, observabit.

« 5. In usu Ritualis, Missalis, Breviarii et Martyrologii,

Digitized by Google

« servetur decretum Sacræ Congregationis Rituum, latum die « 20 aprilis 1822.

« 6. Præsides monasteriorum jejunia, precationes, cantum « chori aliasque austeritates moderari et mitigare poterunt « pro eis monachis quos, ob ætatem, valetudinem, aut aliam « justam causam, aliqua indulgentia dignos existimaverint.

« 7. Infirmorum cura ante omnia et super omnia adhibenda « est, ut monet S. Benedictus, eisque omnia præstanda erunt, « quæ circa cibum, potum eorumque curam medicus præ- « scripserit.

« 8. Præsides monasteriorum diligenter curabunt ne quis, « nisi post sufficientem probationem, ad sumendum habitum « religiosum recipiatur, neque deinceps ad vota nuncupanda « admittatur, nisi toto tyrocinii tempore præcipua divina vo- « cationis signa dederit.

« Et facta de præmissis relatione sanctissimo Domino Nostro « Gregorio XVI ab infra scripto secretario Sacræ Congrega- « tionis, negotiis et consultationibus Episcoporum et regula- « rium præpositæ, in audientia habita die 18 martii 1836, « Sanctitas Sua hoc ejusdem Sacræ Congregationis decretum « ratum in omnibus habuit et confirmavit, atque litteras « Apostolicas in forma brevis expediri mandavit. — J. A. « Cardinalis Sala, præfectus. — J. Patriarcha Constantinopo- « litanus, secretarius. » (Bibliotheca canonica Lucii Ferraris, editio Migne 1852, tom. 1, col. 1449.)

V. Die 5 septembris 1834, Sacra Congregatio Episcoporum et regularium *unanimi* Eminentissimorum consensu declaravit, vota Trappensium Galliæ, utpote in ordine religioso ab Ecclesia approbato emissa, esse solemnia. A confirmanda illa decisione summus Pontifex abstinuit; sed nec ei contradixit. Id mihi testatus est Reverendus Pater Dom. Fulgentius, Bellofontanensis monasterii hodiernus abbas, qui tunc Romæ generalem congregationis suæ procuratorem agebat.

Ex præmissis autem documentis quid juris sequatur quoad Trappistas Galliæ nunc expendendum.

Digitized by Google

§ II.

Determinatur Trappistarum Galliæ conditio canonica.

PROPOSITIO I^a. — *Trappistarum Galliæ vota, a die* 1 *martii* 1837 *emissa, pro simplicibus habenda sunt.* — Nam quantumvis solemnia fuerint vota in ordine aliquo emitti solita, statim ac decrevit Romanus Pontifex ea fore in posterum simplicia, jam a nullo religioso possunt emitti solemnia. Quod enim solemnia sint, et solemnitatis effectus producant, a sedis Apostolicæ voluntate pendet. Ergo statim ac constat nolle Pontificem, ut in posterum solemnia emittantur, hoc ipso postmodum emissa solemnitate carent. Atqui die 1 martii 1837 decrevit Romanus Pontifex ne in posterum solemnia forent a Trappistis Galliæ emissa vota, prout constat ex documento sub numero II posito : ergo revera ab hac die facta præfatorum religiosorum vota certo simplicia sunt. Sed notentur hæc decreti verba, transitoriam dispositionem satis indicantia, *donec aliter a sede Apostolica statuatur.*

PROPOSITIO II^a. — *Ante diem* 1 *martii* 1837 *emissa a Trappistis Galliæ vota fuerunt solemnia.* — In modo citato decreto expresse dicitur abstinendum censuisse Romanum Pontificem *a ferendo quocunque judicio* quoad vota hæc antea emissa. Inde autem non sequitur prohibitam fuisse hac de re disceptationem, sed potius permissam. Qua disserendi libertate utentes, emissorum ante dictam diem votorum solemnitatem sustinemus. Et nobis videtur hujus opinionis veritas sequentibus rationibus inconcusse probari :

1° Ita *unanimiter* censuerunt Eminentissimi Patres Sacræ Congregationis Episcoporum et regularium, prout constat ex numero V præcedentis paragraphi. Quantæ autem auctoritatis sit unanimis hæc dictæ Congregationis Cardinalium sententia, nemo non videt.

2° Ita certum et notorium est de approbatis esse Trappi-

Digitized by Google

starum institutum, ut nequeat ullatenus id in controversiam adduci. Sunt enim vere et proprie *Cistercienses;* atque tales nominantur et declarantur in authenticis actibus sedis Apostolicæ. Constituunt nempe illam Cisterciensium *strictioris observantiæ* congregationem, ab abbate de Rancé inductam, quæ a pluribus summis Pontificibus laudata fuit, approbata atque confirmata. Item de canonica recentiorum monasteriorum Galliæ erectione dubitari nequit; cum constet Apostolica fuisse auctoritate factam. Imo hodiernos Galliæ Trappistas abbati monasterii sanctæ Crucis Jerusalem, Romæ existentis, tanquam generali superiori aliquatenus subjecit sedes Apostolica; ita ut superior generalis monasteriorum Galliæ *vicarii generalis* duntaxat, ex eadem Apostolica dispositione, nomen ac potestatem nanciscatur. Unde Trappistæ Galliæ sunt revera veri Cistercienses, et vere pertinent ad institutum et ordinem a sede Apostolica cum votis solemnibus approbatum. Jam vero in superioribus capitibus probatum est solemnia esse vota religiosorum omnium Galliæ, quorum institutum a sede Apostolica approbatum, emittenda ejusmodi vota præscribit; nisi *expresse* Romanus Pontifex quoad aliquos decernat, vota illa fore duntaxat simplicia. Ergo rationes omnes et auctoritates ibi adductæ, urgent etiam pro solemnitate votorum a Trappistis emissorum, pro toto tempore, quo sedes Apostolica contrarium *expresse* non declaravit. Auctoritates autem illæ ac rationes, tot numero et tanti ponderis sunt, ut nobis peremptoriæ omnino videantur.

3° Confirmatur aliquatenus ex privilegio exemptionis quod eis asseritur decreto anni 1834, n. 10 (sub numero I præcedentis paragraphi transcripto). Quamvis enim absolute possit congregatio, in qua simplicia duntaxat vota emittuntur, ab Ordinariorum jurisdictione eximi, id tamen non solet fieri. Cum ergo anno 1834 exempti declarati fuerint, signum est tunc temporis solemnia existimata fuisse eorum vota.

Objicies 1°. — Ex citato decreto anni 1837, constat abstinendum censuisse Romanum Pontificem a dirimenda illa quæ-

Digitized by Google

stione, an solemnia prius fuerint Trappistarum vota : ergo dubiam saltem habuit solemnitatem illam. — Respondeo : nego consequens. Potuit namque solemnitatem illam pro certa habere, et tamen ob quasdam circumstantias prudenter pro tunc ab omni proferendo hac de re judicio abstinere. Cæterum etiamsi rem dubiam habuisset tunc Romanus Pontifex, id non magis falsam quam veram probaret conclusionem nostram, ut patet.

Objicies 2°. — Refert D. Carrière (*de Justitia*, n. 223, pag. 347 edit. 1839), responsum quoddam Sacræ Congregationis de propaganda fide, quo plane simplicia supponuntur Trappistarum vota. En laudati auctoris verba : « Postulata fuit ab « Episcopo N. dispensatio super votis emissis a quodam fratre « in sua professione in conventu Trappensium. Cæterum in « libello supplici nullatenus exprimebatur an vota illa essent « simplicia, an solemnia. Hoc autem fuit responsum : *Ex au-* « *dientia SS. habita* 24 *aprilis* 1831, *SS. D. N. Gregorius, di-* « *vina providentia Papa XVI, referente me infrascripto S. Con-* « *gregationis de propaganda fide secretario, mature perpensis* « *expositis, benigne remisit preces arbitrio et conscientiæ R. P. D.* « *Episcopi N. cum facultatibus necessariis et opportunis, ut si* « *compererit vera esse narrata, dispensare possit cum oratore* « *super votis simplicibus emissis in professione, et præsertim* « *super voto simplici perpetuæ castitatis.* Ibi supponitur simpli- « cia esse vota Trappensium. »

Respondeo. — In enarrando hoc facto prætermisit D. Carrière eas præcise circumstantias, quæ præcipue ad rem faciebant. Etenim non dixit an ageretur de conventu, in quo mos fuerit *fratres conversos* ad professionem recipiendi cum votis duntaxat simplicibus ; et num *frater* de quo agitur fuerit unus de iis *fratribus conversis*. Ex hoc solo capite conclusionem domini Carrière explodit Reverendus Pater Gautrelet : « Cette décision, inquit, ne supposerait pas nécessairement « les vœux des Trappistes simples, les vœux des Frères « pouvant être différents de ceux des Pères, comme il est

Digitized by Google

« certain par le décret concernant les Bénédictins. » (*De l'État religieux*, tom. 2, pag. 273, edit. 1853.)

PROPOSITIO III^a. — *Etiamsi cum aliqua probabilitate sustineri posset, simplicia esse Trappistarum vota ante annum* 1837 *emissa, solemnitatis defectus nequaquam tribuendus esset legi civili Galliæ, incapacitatem dominii non agnoscenti.* — Etenim,

1° Probatum est supra ejusmodi legis civilis Galliæ dispositionem nullatenus impedire posse quin solemnia sint, et dominii incapacitatem inducant religiosorum vota.

2° Si lex civilis votorum solemnitatem impediret quoad Trappistas, impediret etiam quoad alios omnes religiosos ordines Galliæ et Belgii : atqui non impedit, verbi gratia, quoad Benedictinos Solesmenses, Carthusianos, etc.; siquidem omnino constat, ut supra vidimus, vota eorum haberi a sede Apostolica tanquam solemnia : ergo quod solemnitate carerent Trappensium vota, ante annum 1837 emissa, nequaquam dictæ legi sæculari tribui deberet. Omnes scilicet rationes et auctoritates, sub præcedentibus capitibus deductæ, non minus quoad Trappenses, quam quoad alios religiosos probant, votorum solemnitatem a lege civili Galliæ impediri non potuisse.

PROPOSITIO IV^a. — *Trappistarum Belgii vota, sive ante, sive post annum* 1837 *emissa, pro solemnibus habenda sunt.* — Etenim supra citatum decretum sancti Officii, anno 1837 emanatum, quo statuitur simplicia in posterum fore Trappensium vota, de Trappistis *Galliæ* expresse loquitur. Nequit ergo extendi ad Trappenses extra Galliam professionem emittentes. Sed Trappensium ordo de iis est in quibus solemnia vota emittuntur, nisi contrarium expresse statuerit sedes Apostolica : ergo Trappensium Belgii, de quibus nihil tale a sede Apostolica statutum est, solemnia esse vota, etiam post annum 1837 emissa, dubitandum non est.

Id præterea sequitur ex decreto anni 1836 (sub numero IV præcedentis paragraphi transcripto) quo Belgii Trappenses in congregationem auctoritate Apostolica eriguntur. Toto enim

Digitized by Google

hujusce documenti tenore constat, agnosci eos ut veros Cistercienses, illius nempe reformationis ab abbate de Rancé inductæ, quam laudarunt et confirmarunt, et pro vero ordine religioso habuerunt plures summi Pontifices.

PROPOSITIO V^a^. — *Trappistæ Galliæ exemptionem ab Ordinariis ex parte amiserunt.* — Etenim in decreto anni 1837 (sub præcedenti §, numero II relato) sic disponitur : *Quamvis monasteria Trappensium a jurisdictione Episcoporum exempta sint, ea tamen, ob peculiares rationes, et donec aliter statuatur, jurisdictioni eorumdem Episcoporum subsint, qui procedant tanquam Apostolicæ sedis delegati.* Num hisce verbis sublata censenda foret Trappistarum Galliæ exemptio, valde disputatum rescivimus. Sed cum anno 1839 quæsitum fuisset de vero eorum sensu, responsum est a Sacra Congregatione Episcoporum et regularium : *Donec aliter a sancta Sede decernatur, monasteria et monachos subjectos esse visitationi et correctioni Episcoporum, salvis constitutionibus ordinis* (vide numerum III præcedentis paragraphi). De *jure communi* nequeunt Episcopi, etiam tanquam sedis Apostolicæ delegati, exemptos virorum conventus visitare. Item nequeunt eos corrigere, nisi in certis quibusdam casibus, verbi gratia, si delinquant extra monasterium, aut in sacramentorum administratione. Cum ergo, quoad Trappistas Galliæ, jus illud visitationis et correctionis Episcopis, tanquam delegatis, tribuatur; imo cum generatim decernatur, ut *eorumdem Episcoporum jurisdictioni Trappistæ subsint;* manifestum est integrum hisce religiosis non remansisse exemptionis privilegium.

Non tamen privilegium illud in totum amiserunt, sed ex parte : primo, quia facultas hæc Episcopis tributa non est tanquam Ordinariis, sed duntaxat tanquam sedis Apostolicæ delegatis. Secundo, quia hæc apposita fuit restrictio, *salvis constitutionibus ordinis.*

Digitized by Google

CAPUT X.

OSTENDITUR MULTIPLICITER ERRASSE REVERENDUM DOMINUM CARRIÈRE, IN EXPENDENDA QUÆSTIONE AN SOLEMNIA SINT HODIE IN GALLIA RELIGIOSORUM VOTA.

Etsi satis ex præmissis confutata remaneat laudati scriptoris opinio, qua sustinet solemnia probabilius non esse hodie in Galliis religiosorum vota, pro ipsius tamen haud mediocri apud nostrates auctoritate et fama, operæ pretium visum est præcipua quædam ab ipso minus recte dicta hic indigitare ac paucis refellere. Quas animadversiones in sequentes numeros, sub *adnotationum* titulo distribuimus.

ADNOTATIO I^a^. — *Perperam sustinet tanquam probabilius, ad legem civilem exclusive pertinere, ut statuat de iis omnibus, quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium.* — Duo hic patefaciemus : 1° hanc revera esse doctrinam domini Carrière : 2° erroneam esse doctrinam illam, ac prorsus a catholicis rejiciendam.

1° Tanquam probabilius revera admisit dominus Carrière, ad potestatem sæcularem exclusive et absque exceptione pertinere, ut statuat de omnibus, dominium et possessionem rerum temporalium respicientibus. Etenim tanquam probabilius sustinet præfatus auctor, solemne non esse votum paupertatis, quod in professione sua emittunt hodierni religiosi Galliæ. *Probabilius nobis videtur* (inquit) *illud non esse ut solemne habendum, nec proinde alia quoque duo vota* (*de Justitia et jure*, n. 224, pagina 352, edit. 1839). Quibus autem rationibus ad hanc conclusionem impulsus fuerit declarat, in hunc modum : *Illud probabilius effici existimamus, tum ex dictis in opinionum expositione, tum ex analogia cum votis monialium* (ibidem). Ergo rationes quibus impulsus est (præter rationem analogiæ cum votis monialium) sunt illæ ipsæ, quæ in *opinionum expositione* adducuntur ad probandum solemne non esse

Digitized by Google

in Gallia votum paupertatis. Habentur autem rationes illæ, quas suas facit dominus Carrière, sub numero 222, pag. 340, ubi dicitur : *Ad legem civilem pertinere ut statuat de iis quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium... si admittatur incapacitatem dominii esse aliquid mere temporale, jam independenter a lege civili induci non poterit ea incapacitas.* Et jam antea (n. 206, pag. 318) sic adnotaverat : *Dici posset, non sine ulla verisimilitudine, capacitatem dominii esse aliquid mere civile, seu temporale, ac proinde de foro principis.*

Porro allata præfati auctoris verba revera continent doctrinam quam illi tribuimus : æquivalent nempe huic propositioni : *Ad sæcularem potestatem pertinet statuere de iis omnibus, quæ respiciunt dominium et possessionem rerum omnium temporalium.* Quod sic probatur :

Primo, æquivalenter id exprimit allata phrasis, qua asserit, *ad legem civilem pertinere ut statuat de iis quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium.* Nam propositio hæc universalis est; ac proinde, quamvis in ea desint voces *omnium* et *omnibus*, idem ei sensus tribui debet, ac si voces illæ exprimerentur. Ergo revera æquivalenter docuit dominus Carrière, ad potestatem sæcularem pertinere, ut statuat de iis *omnibus* quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium *omnium*.

Secundo, idem sequitur ex obvio sensu ratiocinii ab ipso adhibiti. Etenim, quod *ad legem civilem* pertineat *statuere de iis quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium*, ponit tanquam principium ; ex quo inferendum ipsi videtur, capacitatem et incapacitatem dominii in religioso esse quid *mere civile* seu *mere temporale*, ac proinde ad forum principis pertinens. Unde ipsius ratiocinatio huic syllogismo æquivalet : « Ad potestatem sæcularem pertinet statuere de iis quæ re- « spiciunt dominium et possessionem rerum temporalium ; « ergo ad sæcularem potestatem pertinet de incapacitate do- « minii quoad religiosos statuere. » Porro sic ratiocinando palam facit dominus Carrière *majorem* syllogismi a se usurpari

Digitized by Google

in sensu universali; ita nempe ut voces *rerum temporalium* includant res temporales *omnes*, hoc ipso quod sint temporales; non autem duntaxat res temporales *fori sæcularis*, exclusis rebus temporalibus quæ dicuntur *ecclesiasticæ*. Alioquin enim ratiocinium æquivaleret huic absonæ formulæ: incapacitas dominii in religiosis est de rebus mere temporalibus, seu ad forum principis pertinentibus, quia est de rebus temporalibus fori principis. Ergo 1° tenet revera Reverendus dominus Carrière opinionem quam ipsi tribuimus: propugnat nempe tanquam probabilius, ad sæcularem potestatem pertinere ut statuat de iis *omnibus*, quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium *quarumlibet*, nullis exceptis.

2° Erronea est opinio illa, atque omnino reprobanda. Nam, *primo*, certum est Ecclesiam ex jure proprio possidere posse bona temporalia, verbi gratia, pecunias, agros, ædificia et hujusmodi. Atque item certum est, non ad potestatem sæcularem, sed ad Ecclesiam exclusive pertinere, ut statuat de iis quæ respiciunt ejusmodi bonorum temporalium dominium et possessionem. Imo certum est sæcularem potestatem in censuras canonicas incursuram, si de rebus illis temporalibus, ad Ecclesiam pertinentibus, disponere aut quidquam decernere attentaret. Hoc, inquam, adeo certum est, ut a doctrina catholica excidisse censendus sit qui id in dubium revocat, prout alibi suus erit probandi locus. Hic duntaxat adnotabimus jamdudum fuisse damnatam contrariam opinionem, qua temporalia Ecclesiæ bona sæcularis potestatis jurisdictioni subjecta dicebantur. Etenim sic expresse errorem hunc reprobavit Joannes XXII, constitutione 23 octobris 1327: *Nituntur concludere præfati viri reprobi* (nempe Marsilius de Padua et Joannes Jandunus), *quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt imperatori, et ea potest accipere velut sua. Videntur enim supponere, quod, ex hoc quod Christus tributum solvit ex debito, res temporales ejus imperatori subessent; et per consequens, quod res Ecclesiæ temporales sint imperatori subjectæ... Nullo modo potest concludi, quod res Christi, quales sunt res Ecclesiæ, sub-*

Digitized by Google

sint imperatori. (In annalibus Raynaldi, anno 1327, n. 29, tomo 24, pag. 347, edit. Lucæ 1750.) Ergo assertio domini Carrière, *ad sæcularem principem pertinere ut statuat de iis quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium*, si intelligatur (prout sonat) in sensu universali, ita ut etiam *res temporales Ecclesiæ* comprehendat, prorsus erronea est et reprobanda. Quod si *rerum temporalium* nomine ibi intelligat tantum res temporales *fori sæcularis*, non alias, absque ex isto principio concludit capacitatem dominii in religiosis legi civili subjacere: quia an ea capacitas sit de rebus temporalibus *fori sæcularis*, est ipsissima quæstio.

Secundo : Coercitio per pœnas corporales et temporales, est aliquid temporale et *rebus temporalibus* annumerandum. Et nihilominus Ecclesiæ competere jus eo modo rebelles coercendi, fuse probavimus in tractatu *de judiciis* (tomo 1, pag. 50); ubi videri potest id a Suaresio teneri tanquam *de fide*; atque ab eodem doctore haberi ut *hæresi proximos* et *hæreticorum fautores* eos, qui effutiunt potestatem hanc nonnisi ex sæcularium principum concessione Ecclesiæ obvenisse. Sed præfata domini Carrière opinio hanc Ecclesiæ potestatem de medio tollit; siquidem de *rebus temporalibus omnibus* statuere sæculari potestati attribuit.

Tertio : Est communis inter probatos doctores sententia, res temporales, quæ connectuntur cum aliqua re spirituali, ratione hujus connexionis haberi tanquam spirituales, et Ecclesiæ jurisdictioni subjici. « Ratio est (inquit Schmalzgrueber) « quia magis dignum trahit ad se minus dignum..; et res « temporalis desinit esse talis, quamprimum spirituali annexa « fuerit. » (In tit. 1 *de judiciis*, libri 2 decretalium, n. 50.) Porro receptam et omnino tenendam doctrinam illam subvertit domini Carrière malesana assertio, ad legem civilem pertinere ut statuat de iis quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium. Loquendo enim universaliter, sæculari potestati subjicit etiam res illas temporales, quæ spiritualibus annectuntur.

Digitized by Google

Objicies. — Etsi dictum illud domini Carrière universalem sensum præ se ferat, tamen benigne interpretari potest in sensu restricto; ita ut nempe excludat res temporales *spiritualibus annexas.* — Nescio an benignam illam interpretationem acceptabit laudatus auctor; quia tunc ruit totum quo nititur ejus argumentatio fundamentum. Nam noto notius est incapacitatem dominii in religiosis esse annexam alicui rei spirituali, voto nempe paupertatis. Proinde si Ecclesiæ jurisdictioni subjectas relinquat res temporales *spiritualibus annexas*, consequens est ut de illa capacitate ac incapacitate decernere ad Ecclesiam pertineat.

ADNOTATIO II^a^. *Probabile ipsi est, incapacitatem dominii in religiosis fuisse initio inductam potestatis sæcularis, id est, Justiniani auctoritate.* — Id ne vel minimum probabile esse, satis evincunt superius (capite 4) deducta. Sed hic pandendum duximus, quam inanibus rationibus nitatur Reverendus dominus Carrière ad asserendam ejusmodi probabilitatem. Postquam nempe, numero 203 tractatus sui *de justitia*, enarravit a Justiniano sancitam fuisse hanc religiosorum incapacitatem, et ad illam imperialem sanctionem allusisse S. Gregorium Magnum in quadam sua epistola, aggreditur numero 206 præsentem quæstionem, an scilicet leges illæ Justiniani, per se et independenter ab Ecclesiæ ordinatione validæ fuerint. De quo refert primo doctrinam Suaresii, nempe, *vel Justinianum ex consensu Pontificum illas condidisse, vel certe eas fuisse expresso vel tacito Ecclesiæ consensu admissas.* Tum addit: *Eodem sensu loquuntur plerique auctores, asserentes legem civilem fuisse canonizatam per approbationem Ecclesiæ; ideoque religiosorum incapacitatem repetunt ex ordinatione Ecclesiæ: non solum theologi extranei* (1), *sed et nostri... Unde supponunt quod expressis verbis, sed semper sine ulla discussione, asserit Alasia* (*de justitia, pag.* 22), *Ecclesiam, sicut potest religiosos*

(1) Frequens recurrit apud dominum Carrière ejusmodi nostros inter et extraneos auctores distinctio. Quasi parvi facienda sit doctorum auctoritas, si extranei, maximi autem si Gallici.

Digitized by Google

inhabilem reddere ad matrimonia, ita ad bona temporalia consequenda.

Tandem sententiam illam, a *plerisque* auctoribus (debuisset dicere ab *omnibus*, ut mox ostendemus) receptam, de nullitate Justinianeæ legis, præfatam religiosorum incapacitatem decernentis, nullatenus ut certam habet dominus Carrière. Quibus autem rationum momentis impulsus fuerit ad deserendam hac in re communem catholicorum doctrinam, exponit in hunc modum :

1° *Nihil occurrit in verbis S. Gregorii, quod innuat vim per se non habuisse legem civilem, nisi accederet Ecclesiæ auctoritas ; contra potius videtur S. Pontifex efficaciam legis agnoscere, quam illi conferre.*

2° *Ait Collet, sed pariter sine ulla discussione, et non omnino aperte, non posse Ecclesiam, sine interventu principis, aliquem dominio spoliare.*

3° *Dici posset, non sine ulla verisimilitudine, capacitatem dominii esse aliquid mere civile seu temporale, ac proinde de foro principis.*

Prorsus erravit dominus Carrière, existimando ejusmodi rationibus vim aliquam inesse, ac per eas labefactari doctrinam, qua tanquam certum tenent communiter doctores catholici, nullas et irritas ex seipsis fuisse præfatas Justiniani leges. Id paucis ostendamus.

1° Non debuisset dominus Carrière præfatam doctorum sententiam *plerisque* duntaxat auctoribus tribuere; sed debuisset eam vocare *communem*, imo et *unanimem*. Quos enim in contrarium adducere potuit ? Unum solummodo, virum spuria doctrina haud immunem, Collet! Imo ne istum quidem : nam fatetur ipsum *non omnino aperte locutum*.

2° Non valet ratio deducta ex textu S. Gregorii Magni. Probabile nempe vult dominus Carrière vim per se habuisse Justiniani legem, ex eo quod vim illam *agnoscere videatur* laudatus Pontifex. Sed, quæso, cuinam id *videtur*, nisi tibi ? Adducas vel unum, ex orthodoxis, canonistam aut theologum,

Digitized by Google

cui id visum sit; qui nempe hunc sensum in verbis S. Gregorii sibi videre visus sit. Etiamsi aperte dixisset S. Gregorius *imperiali* sanctione prohiberi monachos testamentum conficere, quid inde concludi posset, nisi quod omnes concluserunt: receptam nempe fuisse inter ecclesiasticas illam Justiniani dispositionem? Quid hoc ad quæstionem, an per se solum vim habere potuerit Justinianeum hocce decretum?

3° Ast omnem moderationem palam excedit dominus Carrière, dum auctoritatibus opinioni suæ probabilitatem vindicare tentat. Quid rei est hoc? Doctoribus catholicis, in re gravissima consentientibus, unicum opponis Collet, etsi (ut ipse fateris) *non omnino aperte* contradicentem! Et inde satis probabilem effici existimas novam quam obtrudis opinationem? Certe vel ex hoc ipso quod nullum, qui decenter citari valeat, tibi patronum repereris, egregie probas hocce tuum systema omni prorsus probabilitate carere.

4° Quod tandem addit dominus Carrière, *dici posse, non sine verisimilitudine, capacitatem dominii esse aliquid mere temporale, ac proinde de foro principis*, nihil valet ad probandam hujusce opinionis probabilitatem. Id siquidem gratis omnino asseritur. Porro non sufficit illud asserere, cum sit ipsissima quæstio. Est nempe communis doctorum sententia incapacitatem dominii in religiosis esse rem *ecclesiasticam*, de qua valide statuere non potuit Justinianus, ex defectu jurisdictionis. Id si negare velit dominus Carrière, afferat rationem aliquam, sed nullam omnino affert.

ADNOTATIO III^a.— *Perperam existimat posse statui a Romano Pontifice, ut votum paupertatis solemne sit absque incapacitate dominii.* — « Posset, inquit, agnoscere ut solemne votum pau« pertatis, etiam retento dominio, et abdicato usu juris tan« tum. » (*De justitia*, n. 224, tom. 1, pag. 348, edit. 1839.) Porro id omnino falsum est, et communiter receptam de substantiali voti paupertatis solemnitate doctrinam subvertit. Nam, prout fuse probavit Suaresius, non aliunde solemne fit votum paupertatis, quam ex illa dominii incapacitate. Et est

Digitized by Google

apud doctores extra controversiam positum, esse solemne illud votum si adsit hæc incapacitas, non esse solemne si non adsit. Ita ut etiam non dicatur proprie solemne votum paupertatis, nisi propter illum effectum. Hinc potest quidem Romanus Pontifex efficere ut in aliqua religiosa familia votum paupertatis incapacitatem dominii non inducat, et sic votum illud ex solemni simplex reddere : at nequaquam facere potest ut, sublata dominii incapacitate, votum solemne remaneat; cum idem sit votum esse solemne, et incapacitatem illam inducere. Et idem est quoad votum castitatis : potest facere sedes Apostolica ut non inhabilitet ad matrimonium, et sic illud simplex reddere : at nequit facere ut solemne sit absque inhabilitate ad matrimonium; cum non aliunde dignoscatur hujus voti solemnitas, quam ex illa inhabilitate. Vice versa potest sedes Apostolica facere ut in aliquo instituto, in quo vota simplicia duntaxat emittebantur, votum paupertatis incapacitatem dominii inducat : sed tunc illud efficit e simplici solemne.

Nec objiciatur valde disputari inter doctores, in quo præcise reponenda sit substantialis votorum solemnitas. Quamvis enim in hac re explicanda sententiis inter se differant, omnes tamen pro certo habent et tradunt, solemne non esse votum paupertatis nisi incapacitatem dominii inducat; et, vice versa, solemne esse si hunc producat effectum. Et de hoc nulla exstat disputatio. Omnes, inquam, dictum effectum habent tanquam *signum certum* solemnitatis; quo scilicet stante, certo adest solemnitas; et sine quo, non adest.

Objicies. — Potest Papa religioso professo concedere ut aliquem exerat dominii actum, salva voti paupertatis solemnitate; prout nos ipsi supra (capite 6) sustinuimus : ergo merito æstimat D. Carrière statui posse a Papa, ut votum sit solemne, remanente penes religiosum dominio, et solo juris usu abdicato.

Respondeo 1° distinguo antecedens : potest concedere Papa ut, salva voti solemnitate, religiosus exerere possit ac-

Digitized by Google

tum dominii *improprie dictum*, concedo : *proprie dictum*, nego. Nimirum actus dominii proprie dictus ille est, qui *valide* exeri potest a religioso *ex sola vi propriæ voluntatis*. Cujusmodi actus valide exercere possunt religiosi, qui *simplex* duntaxat votum paupertatis emiserunt. Quod si non valeat actus dominii ex sola religiosi voluntate, sed duntaxat ex voluntate concedentis sedis Apostolicæ, nonnisi improprie actus dominii dici potest. Porro sustinuimus quidem a Papa concedi posse ut, stante solemnitate voti, religiosus posterioris speciei actus dominii valide exercere valeat; quia cum horum actuum exercitio vera remanet incapacitas dominii, id est, inhabilitas ad quemlibet dominii actum, *vi sola propriæ voluntatis validum* : at prorsus negamus posse Papam, salva solemnitate, facere ut religiosus valide exercere valeat actus dominii prioris speciei, id est, qui vim habeant *ex sola religiosi voluntate;* quia tunc jam non staret in religioso inhabilitas ad dominium *vi propriæ voluntatis valide exercendum;* ac proinde rueret voti solemnitas.

Respondeo 2° nego consequens : nam D. Carrière intelligit, stare posse (ex Pontificia dispositione) voti solemnitatem cum habilitate ad valide exercendos dominii actus *proprie dictos;* eodem nempe modo, quo eos exercere valet, qui simplex duntaxat paupertatis votum emisit. Nimirum, in ipsius opinione, valerent actus dominii *ex sola vi voluntatis* religiosi, et nihilominus remaneret voti solemnitas. Id autem nos superiori cap. 6 nequaquam diximus, sed e contra falsum probavimus.

Neque periculosa caret ambiguitate et confusione quod ibidem asseruit dominus Carrière in hunc modum : « Posset « summus Pontifex, si opportunum judicaret, in Galliis agno- « scere ordines vere et proprie religiosos, etiam positis rebus « ut nunc sunt... Posset... efficere ut etiam cum tribus votis « simplicibus stet vera et proprie dicta religio. » Etenim *ordines religiosi* in strictiori quodam sensu non dicuntur nisi ei, qui cum votis solemnibus approbantur. Et in hoc sensu *veri ordines religiosi* seu *veræ religiones* non sunt ex congregationes

Digitized by Google

quæ cum votis simplicibus duntaxat erectæ sunt; quamvis in eis non desit *status religiosi essentia*. Unde in bullis, quæ hujusmodi congregationes erigunt in ordines cum votis solemnibus, dicitur eas erigi in *religionem formalem*. Vel ergo dominus Carrière locutionem hanc *ordines vere et proprie religiosos* intellexit in hoc strictiori sensu, vel non. Si prius, absonum quid protulit; nempe posse Papam efficere, ut ordo vota solemnia habeat, quamvis habeat solummodo vota simplicia. Si posterius, id est, si *veros ordines religiosos* vocet eos, qui substantiam quidem status religiosi habent, sed cum votis simplicibus, falsum aliquid supponit: dicendo nempe *posset* Papa *eos agnoscere, si opportunum judicaret*, supponit eos jam ut tales non agnosci. Porro hoc ipso quod sedes Apostolica congregationem aliquam approbaverit cum perpetuis tribus simplicibus votis, rite emittendis, eam agnoscit ut congregationem status religiosi essentiam habentem; quia revera eam essentiam habet. Unde semel posita ejusmodi instituti approbatione; jam non pendet a Papa ut non sit, in hoc inferiori sensu, ordo religiosus.

ADNOTATIO IV^a. — *Existimat religiosos, quotquot exstiterunt e regionibus hæreticis vel infidelibus, per professionem suam non factos fuisse dominii incapaces.* — Ad hanc eum novitatem adegit falsum suum de religiosis Galliæ systema. Cum nempe sustineret hodiernorum Galliæ religiosorum vota dominii incapacitatem non inducere, ob contrariam legis sæcularis dispositionem, ac proinde solemnia non esse, ipsi objecta est ingens illa religiosorum turma, qui e regionibus hæreticis infidelibusve oriundi, quoad regionis suæ sæcularem legem in pari prorsus conditione versati sunt; quin tamen ideo votorum ab ipsis emissorum solemnitas fuerit unquam, toto hoc sæculorum tractu, in dubium revocata. Ex qua certe objectione opinionis suæ falsitas facile prodebatur. At ne excogitatum a se, et doctrinæ suæ favens systema deserere cogeretur, maluit ad hos etiam religiosos illud extendere. Sustinet nempe neque istos per professionem suam amisisse capacitatem dominii; ita ut ab ipsis emissum paupertatis votum, vel nullatenus solemne

Digitized by Google

fuerit, vel fuerit solemne cum retenta dominii capacitate, ex nescio qua *expressa vel implicita* sedis Apostolicæ dispositione, quam divinans præsumit. En ipsius verba : « Posset (summus « Pontifex), vel 1° agnoscere ut solemne votum paupertatis, « etiam retento dominio, et abdicato usu juris tantum; vel « 2° stante simplici tantum paupertatis voto, alia duo, castitatis « et obedientiæ pro solemnibus habere; vel 3° efficere ut etiam « cum tribus votis simplicibus stet vera et proprie dicta reli- « gio. *Et reipsa præsumendum est tale aliquid peractum fuisse ex- « presse vel implicite quoad regiones, principibus hæreticis aut « infidelibus subjectas*, in quibus agniti supponuntur veri reli- « giosi. » (*De justitia*, n. 224.) Porro erroneam prorsus esse illam domini Carrière doctrinam sic paucis ostendi potest :

1° Nequaquam præsumendum est paupertatis votum, a præfatis religiosis emissum, fuisse solemne absque incapacitate dominii, ex aliqua speciali sedis Apostolicæ dispositione. Nam præsumi nequit a sede Apostolica factum, quod est impossibile : atqui impossibile est, et pugnat in terminis, votum paupertatis esse solemne cum retentione dominii, prout supra cum Suaresio probavimus. Cæterum quod proprie dicta voti paupertatis solemnitas, præcise ex hujus incapacitatis effectu recte æstimetur, est unanimis doctorum sententia. Etsi enim varii sint dum expendunt in quo præcise reponenda sit solemnitatis essentia, plane tamen consentiunt esse intrinsece seu *essentialiter* solemne votum paupertatis, quando incapacitatem dominii inducit; esse autem intrincese seu *essentialiter* simplex, hoc ipso quod effectum hunc non producat. Ex quo palam fit adactum fuisse dominum Carrière, ut falsum suum systema tueretur, ad subvertendam ipsammet de solemnitate et simplicitate voti paupertatis notionem.

Præterea *præsumi* nequit a sede Apostolica factum id, de quo nullum omnino vestigium reperitur, quamvis (si revera contigisset) quamplurimis deberet monumentis innotescere. Porro si tot religiosi hæreticarum et infidelium regionum, professionem emittendo capacitatem dominii retinuissent, et nihilo-

Digitized by Google

minus ex speciali sedis Apostolicæ dispositione pro veris solemnium votorum religiosis haberi debuissent, exstare deberent de hoc sedis Apostolicæ extraordinario statuto quamplurima indicia. Reperirentur nempe apud canonistas hac de re disceptationes. Pariter, in causis ad romanas Congregationes de valore professionum toto hoc sæculorum tractu perlatis, de hac peculiari religiosorum e regionibus hæreticis aut infidelibus oriundorum conditione crebra mentio occurreret. Item in religiosorum ordinum constitutionibus et earumdem commentariis, accurate præfatorum religiosorum exceptionalis conditio describeretur. Porro ejusmodi monumentorum nedum frequentia, ne vestigium quidam adduci potest.

2° Nec præsumendum est votum paupertatis, quod præfati religiosi emiserunt, ex speciali sedis Apostolicæ dispositione, fuisse simplex. Nam religiosos illos, non secus ac cæteros, per plura sæcula professionem suam juxta propriam regulam et constitutiones eodem modo quo alii, emisisse omnino constat. Porro religiosorum ordinum, de quibus loquimur, instituta, expresse disponunt faciendam esse professionem per tria *solemnia* vota, et aliter factam non valere. Instituta autem illa cum hoc tenore fuerunt a sede Apostolica approbata. Unde ut quis potuerit, post ejusmodi approbationem, membrum ordinis fieri absque tribus solemnibus votis, necessaria fuit expressa sedis Apostolicæ dispositio, qua ordinis religiosi institutum seu regula ex hac parte immutaretur. Nec præsumi potest hæc sedis Apostolicæ dispositio; quia quandiu de ea non constat, pergit institutum religiosum vim habere cum eo tenore, cum quo approbatum fuit. Absurdum nempe est immutatas a sede Apostolica præsumere religiosorum ordinum constitutiones, quandiu iisdem ordinibus nulla innotuit de hacce immutatione authentica declaratio. Cum ergo nulla unquam intervenerit expressa sedis Apostolicæ dispositio, qua statuatur, ut Dominicani (verbi gratia) e regionibus hæreticis vel infidelibus oriundi, valeant cum simplici paupertatis voto professionem emittere, certum est eos non, nisi per tria so-

Digitized by Google

in sensu universali; ita nempe ut voces *rerum temporalium* includant res temporales *omnes*, hoc ipso quod sint temporales; non autem duntaxat res temporales *fori sæcularis*, exclusis rebus temporalibus quæ dicuntur *ecclesiasticæ*. Alioquin enim ratiocinium æquivaleret huic absonæ formulæ: incapacitas dominii in religiosis est de rebus mere temporalibus, seu ad forum principis pertinentibus, quia est de rebus temporalibus fori principis. Ergo 1° tenet revera Reverendus dominus Carrière opinionem quam ipsi tribuimus: propugnat nempe tanquam probabilius, ad sæcularem potestatem pertinere ut statuat de iis *omnibus*, quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium *quarumlibet*, nullis exceptis.

2° Erronea est opinio illa, atque omnino reprobanda. Nam, *primo*, certum est Ecclesiam ex jure proprio possidere posse bona temporalia, verbi gratia, pecunias, agros, ædificia et hujusmodi. Atque item certum est, non ad potestatem sæcularem, sed ad Ecclesiam exclusive pertinere, ut statuat de iis quæ respiciunt ejusmodi bonorum temporalium dominium et possessionem. Imo certum est sæcularem potestatem in censuras canonicas incursuram, si de rebus illis temporalibus, ad Ecclesiam pertinentibus, disponere aut quidquam decernere attentaret. Hoc, inquam, adeo certum est, ut a doctrina catholica excidisse censendus sit qui id in dubium revocat, prout alibi suus erit probandi locus. Hic duntaxat adnotabimus jamdudum fuisse damnatam contrariam opinionem, qua temporalia Ecclesiæ bona sæcularis potestatis jurisdictioni subjecta dicebantur. Etenim sic expresse errorem hunc reprobavit Joannes XXII, constitutione 23 octobris 1327: *Nituntur concludere præfati viri reprobi* (nempe Marsilius de Padua et Joannes Jandunus), *quod omnia temporalia Ecclesiæ subsunt imperatori, et ea potest accipere velut sua. Videntur enim supponere, quod, ex hoc quod Christus tributum solvit ex debito, res temporales ejus imperatori subessent; et per consequens, quod res Ecclesiæ temporales sint imperatori subjectæ... Nullo modo potest concludi, quod res Christi, quales sunt res Ecclesiæ, sub-*

Digitized by Google

sint imperatori. (In annalibus Raynaldi, anno 1327, n. 29, tomo 24, pag. 347, edit. Lucæ 1750.) Ergo assertio domini Carrière, *ad sæcularem principem pertinere ut statuat de iis quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium*, si intelligatur (prout sonat) in sensu universali, ita ut etiam *res temporales Ecclesiæ* comprehendat, prorsus erronea est et reprobanda. Quod si *rerum temporalium* nomine ibi intelligat tantum res temporales *fori sæcularis*, non alias, absone ex isto principio concludit capacitatem dominii in religiosis legi civili subjacere: quia an ea capacitas sit de rebus temporalibus *fori sæcularis*, est ipsissima quæstio.

Secundo : Coercitio per pœnas corporales et temporales, est aliquid temporale et *rebus temporalibus* annumerandum. Et nihilominus Ecclesiæ competere jus eo modo rebelles coercendi, fuse probavimus in tractatu *de judiciis* (tomo 1, pag. 50); ubi videri potest id a Suaresio teneri tanquam *de fide*; atque ab eodem doctore haberi ut *hæresi proximos* et *hæreticorum fautores* eos, qui effutiunt potestatem hanc nonnisi ex sæcularium principum concessione Ecclesiæ obvenisse. Sed præfata domini Carrière opinio hanc Ecclesiæ potestatem de medio tollit; siquidem de *rebus temporalibus omnibus* statuere sæculari potestati attribuit.

Tertio : Est communis inter probatos doctores sententia, res temporales, quæ connectuntur cum aliqua re spirituali, ratione hujus connexionis haberi tanquam spirituales, et Ecclesiæ jurisdictioni subjici. « Ratio est (inquit Schmalzgrueber) « quia magis dignum trahit ad se minus dignum..; et res « temporalis desinit esse talis, quamprimum spirituali annexa « fuerit. » (In tit. 1 *de judiciis*, libri 2 decretalium, n. 50.) Porro receptam et omnino tenendam doctrinam illam subvertit domini Carrière malesana assertio, ad legem civilem pertinere ut statuat de iis quæ respiciunt dominium et possessionem rerum temporalium. Loquendo enim universaliter, sæculari potestati subjicit etiam res illas temporales, quæ spiritualibus annectuntur.

Digitized by Google

Objicies. — Etsi dictum illud domini Carrière universalem sensum præ se ferat, tamen benigne interpretari potest in sensu restricto; ita ut nempe excludat res temporales *spiritualibus annexas.* — Nescio an benignam illam interpretationem acceptabit laudatus auctor; quia tunc ruit totum quo nititur ejus argumentatio fundamentum. Nam noto notius est incapacitatem dominii in religiosis esse annexam alicui rei spirituali, voto nempe paupertatis. Proinde si Ecclesiæ jurisdictioni subjectas relinquat res temporales *spiritualibus annexas*, consequens est ut de illa capacitate ac incapacitate decernere ad Ecclesiam pertineat.

ADNOTATIO II^a^. *Probabile ipsi est, incapacitatem dominii in religiosis fuisse initio inductam potestatis sæcularis, id est, Justiniani auctoritate.* — Id ne vel minimum probabile esse, satis evincunt superius (capite 4) deducta. Sed hic pandendum duximus, quam inanibus rationibus nitatur Reverendus dominus Carrière ad asserendam ejusmodi probabilitatem. Postquam nempe, numero 203 tractatus sui *de justitia*, enarravit a Justiniano sancitam fuisse hanc religiosorum incapacitatem, et ad illam imperialem sanctionem allusisse S. Gregorium Magnum in quadam sua epistola, aggreditur numero 206 præsentem quæstionem, an scilicet leges illæ Justiniani, per se et independenter ab Ecclesiæ ordinatione validæ fuerint. De quo refert primo doctrinam Suaresii, nempe, *vel Justinianum ex consensu Pontificum illas condidisse, vel certe eas fuisse expresso vel tacito Ecclesiæ consensu admissas.* Tum sic addit : *Eodem sensu loquuntur plerique auctores, asserentes legem civilem fuisse canonizatam per approbationem Ecclesiæ; ideoque religiosorum incapacitatem repetunt ex ordinatione Ecclesiæ : ita non solum theologi extranei* (1), *sed et nostri... Unde supponunt, quod expressis verbis, sed semper sine ulla discussione, asserit Alasia* (*de justitia, pag.* 22), *Ecclesiam, sicut potest religiosum*

(1) Frequens recurrit apud dominum Carrière ejusmodi nostros inter et extraneos auctores distinctio. Quasi parvi facienda sit doctorum auctoritas, si sint extranei, maximi autem si Gallici.

Digitized by Google

inhabilem reddere ad matrimonia, ita ad bona temporalia consequenda.

Tandem sententiam illam, a *plerisque* auctoribus (debuisset dicere ab *omnibus*, ut mox ostendemus) receptam, de nullitate Justinianeæ legis, præfatam religiosorum incapacitatem decernentis, nullatenus ut certam habet dominus Carrière. Quibus autem rationum momentis impulsus fuerit ad deserendam hac in re communem catholicorum doctrinam, exponit in hunc modum :

1° *Nihil occurrit in verbis S. Gregorii, quod innuat vim per se non habuisse legem civilem, nisi accederet Ecclesiæ auctoritas ; contra potius videtur S. Pontifex efficaciam legis agnoscere, quam illi conferre.*

2° *Ait Collet, sed pariter sine ulla discussione, et non omnino aperte, non posse Ecclesiam, sine interventu principis, aliquem dominio spoliare.*

3° *Dici posset, non sine ulla verisimilitudine, capacitatem dominii esse aliquid mere civile seu temporale, ac proinde de foro principis.*

Prorsus erravit dominus Carrière, existimando ejusmodi rationibus vim aliquam inesse, ac per eas labefactari doctrinam, qua tanquam certum tenent communiter doctores catholici, nullas et irritas ex seipsis fuisse præfatas Justiniani leges. Id paucis ostendamus.

1° Non debuisset dominus Carrière præfatam doctorum sententiam *plerisque* duntaxat auctoribus tribuere ; sed debuisset eam vocare *communem*, imo et *unanimem*. Quos enim in contrarium adducere potuit ? Unum solummodo, virum spuria doctrina haud immunem, Collet! Imo ne istum quidem : nam fatetur ipsum *non omnino aperte locutum*.

2° Non valet ratio deducta ex textu S. Gregorii Magni. Probabile nempe vult dominus Carrière vim per se habuisse Justiniani legem, ex eo quod vim illam *agnoscere videatur* laudatus Pontifex. Sed, quæso, cuinam id *videtur*, nisi tibi ? Adducas vel unum, ex orthodoxis, canonistam aut theologum,

Digitized by Google

cui id visum sit; qui nempe hunc sensum in verbis S. Gregorii sibi videre visus sit. Etiamsi aperte dixisset S. Gregorius *imperiali* sanctione prohiberi monachos testamentum conficere, quid inde concludi posset, nisi quod omnes concluserunt : receptam nempe fuisse inter ecclesiasticas illam Justiniani dispositionem? Quid hoc ad quæstionem, an per se solum vim habere potuerit Justinianeum hocce decretum ?

3° Ast omnem moderationem palam excedit dominus Carrière, dum auctoritatibus opinioni suæ probabilitatem vindicare tentat. Quid rei est hoc? Doctoribus catholicis, in re gravissima consentientibus, unicum opponis Collet, etsi (ut ipse fateris) *non omnino aperte* contradicentem ! Et inde satis probabilem effici existimas novam quam obtrudis opinationem? Certe vel ex hoc ipso quod nullum, qui decenter citari valeat, tibi patronum repereris, egregie probas hocce tuum systema omni prorsus probabilitate carere.

4° Quod tandem addit dominus Carrière, *dici posse, non sine verisimilitudine, capacitatem dominii esse aliquid mere temporale, ac proinde de foro principis*, nihil valet ad probandam hujusce opinionis probabilitatem. Id siquidem gratis omnino asseritur. Porro non sufficit illud asserere, cum sit ipsissima quæstio. Est nempe communis doctorum sententia incapacitatem dominii in religiosis esse rem *ecclesiasticam*, de qua valide statuere non potuit Justinianus, ex defectu jurisdictionis. Id si negare velit dominus Carrière, afferat rationem aliquam, sed nullam omnino affert.

ADNOTATIO III^a^.— *Perperam existimat posse statui a Romano Pontifice, ut votum paupertatis solemne sit absque incapacitate dominii.* — « Posset, inquit, agnoscere ut solemne votum pau- « pertatis, etiam retento dominio, et abdicato usu juris tan- « tum. » (*De justitia*, n. 224, tom. 1, pag. 348, edit. 1839.) Porro id omnino falsum est, et communiter receptam de substantiali voti paupertatis solemnitate doctrinam subvertit. Nam, prout fuse probavit Suaresius, non aliunde solemne fit votum paupertatis, quam ex illa dominii incapacitate. Et est

Digitized by Google

apud doctores extra controversiam positum, esse solemne illud votum si adsit hæc incapacitas, non esse solemne si non adsit. Ita ut etiam non dicatur proprie solemne votum paupertatis, nisi propter illum effectum. Hinc potest quidem Romanus Pontifex efficere ut in aliqua religiosa familia votum paupertatis incapacitatem dominii non inducat, et sic votum illud ex solemni simplex reddere : at nequaquam facere potest ut, sublata dominii incapacitate, votum solemne remaneat; cum idem sit votum esse solemne, et incapacitatem illam inducere. Et idem est quoad votum castitatis : potest facere sedes Apostolica ut non inhabilitet ad matrimonium, et sic illud simplex reddere : at nequit facere ut solemne sit absque inhabilitate ad matrimonium; cum non aliunde dignoscatur hujus voti solemnitas, quam ex illa inhabilitate. Vice versa potest sedes Apostolica facere ut in aliquo instituto, in quo vota simplicia duntaxat emittebantur, votum paupertatis incapacitatem dominii inducat : sed tunc illud efficit e simplici solemne.

Nec objiciatur valde disputari inter doctores, in quo præcise reponenda sit substantialis votorum solemnitas. Quamvis enim in hac re explicanda sententiis inter se differant, omnes tamen pro certo habent et tradunt, solemne non esse votum paupertatis nisi incapacitatem dominii inducat; et, vice versa, solemne esse si hunc producat effectum. Et de hoc nulla exstat disputatio. Omnes, inquam, dictum effectum habent tanquam *signum certum* solemnitatis; quo scilicet stante, certo adest solemnitas; et sine quo, non adest.

Objicies. — Potest Papa religioso professo concedere ut aliquem exerat dominii actum, salva voti paupertatis solemnitate; prout nos ipsi supra (capite 6) sustinuimus : ergo merito æstimat D. Carrière statui posse a Papa, ut votum sit solemne, remanente penes religiosum dominio, et solo juris usu abdicato.

Respondeo 1° distinguo antecedens : potest concedere Papa ut, salva voti solemnitate, religiosus exerere possit ac-

Digitized by Google

tum dominii *improprie dictum*, concedo : *proprie dictum*, nego. Nimirum actus dominii proprie dictus ille est, qui *valide* exeri potest a religioso *ex sola vi propriæ voluntatis*. Cujusmodi actus valide exercere possunt religiosi, qui *simplex* duntaxat votum paupertatis emiserunt. Quod si non valeat actus dominii ex sola religiosi voluntate, sed duntaxat ex voluntate concedentis sedis Apostolicæ, nonnisi improprie actus dominii dici potest. Porro sustinuimus quidem a Papa concedi posse ut, stante solemnitate voti, religiosus posterioris speciei actus dominii valide exercere valeat; quia cum horum actuum exercitio vera remanet incapacitas dominii, id est, inhabilitas ad quemlibet dominii actum, *vi sola propriæ voluntatis validum :* at prorsus negamus posse Papam, salva solemnitate, facere ut religiosus valide exercere valeat actus dominii prioris speciei, id est, qui vim habeant *ex sola religiosi voluntate;* quia tunc jam non staret in religioso inhabilitas ad dominium *vi propriæ voluntatis valide exercendum;* ac proinde rueret voti solemnitas.

Respondeo 2° nego consequens : nam D. Carrière intelligit, stare posse (ex Pontificia dispositione) voti solemnitatem cum habilitate ad valide exercendos dominii actus *proprie dictos;* eodem nempe modo, quo eos exercere valet, qui simplex duntaxat paupertatis votum emisit. Nimirum, in ipsius opinione, valerent actus dominii *ex sola vi voluntatis* religiosi, et nihilominus remaneret voti solemnitas. Id autem nos superiori cap. 6 nequaquam diximus, sed e contra falsum probavimus.

Neque periculosa caret ambiguitate et confusione quod ibidem asseruit dominus Carrière in hunc modum : « Posset « summus Pontifex, si opportunum judicaret, in Galliis agno- « scere ordines vere et proprie religiosos, etiam positis rebus « ut nunc sunt... Posset... efficere ut etiam cum tribus votis « simplicibus stet vera et proprie dicta religio. » Etenim *ordines religiosi* in strictiori quodam sensu non dicuntur nisi ei, qui cum votis solemnibus approbantur. Et in hoc sensu *veri ordines religiosi* seu *veræ religiones* non sunt eæ congregationes

Digitized by Google

quæ cum votis simplicibus duntaxat erectæ sunt; quamvis in eis non desit *status religiosi essentia*. Unde in bullis, quæ hujusmodi congregationes erigunt in ordines cum votis solemnibus, dicitur eas erigi in *religionem formalem*. Vel ergo dominus Carrière locutionem hanc *ordines vere et proprie religiosos* intellexit in hoc strictiori sensu, vel non. Si prius, absonum quid protulit; nempe posse Papam efficere, ut ordo vota solemnia habeat, quamvis habeat solummodo vota simplicia. Si posterius, id est, si *veros ordines religiosos* vocet eos, qui substantiam quidem status religiosi habent, sed cum votis simplicibus, falsum aliquid supponit: dicendo nempe *posset* Papa *eos agnoscere, si opportunum judicaret*, supponit eos jam ut tales non agnosci. Porro hoc ipso quod sedes Apostolica congregationem aliquam approbaverit cum perpetuis tribus simplicibus votis, rite emittendis, eam agnoscit ut congregationem status religiosi essentiam habentem; quia revera eam essentiam habet. Unde semel posita ejusmodi instituti approbatione; jam non pendet a Papa ut non sit, in hoc inferiori sensu, ordo religiosus.

ADNOTATIO IV^a. — *Existimat religiosos, quotquot exstiterunt e regionibus hæreticis vel infidelibus, per professionem suam non factos fuisse dominii incapaces.* — Ad hanc eum novitatem adegit falsum suum de religiosis Galliæ systema. Cum nempe sustineret hodiernorum Galliæ religiosorum vota dominii incapacitatem non inducere, ob contrariam legis sæcularis dispositionem, ac proinde solemnia non esse, ipsi objecta est ingens illa religiosorum turma, qui e regionibus hæreticis infidelibusve oriundi, quoad regionis suæ sæcularem legem in pari prorsus conditione versati sunt; quin tamen ideo votorum ab ipsis emissorum solemnitas fuerit unquam, toto hoc sæculorum tractu, in dubium revocata. Ex qua certe objectione opinionis suæ falsitas facile prodebatur. At ne excogitatum a se, et doctrinæ suæ favens systema deserere cogeretur, maluit ad hos etiam religiosos illud extendere. Sustinet nempe neque istos per professionem suam amisisse capacitatem dominii; ita ut ab ipsis emissum paupertatis votum, vel nullatenus solemne

Digitized by Google

tum dominii *improprie dictum*, concedo : [illegible] apacitate, ex Nimirum actus dominii proprie dictus [illegible] æ dispositione, potest a religioso *ex sola vi propriæ* [illegible] Posset (summus valide exercere possunt religiosi [illegible] e votum paupertatis, paupertatis emiserunt. Quod [illegible] o usu juris tantum; vel sola religiosi voluntate, se [illegible] atis voto, alia duo, castitatis tis sedis Apostolicæ, n [illegible] s habere; vel 3° efficere ut etiam potest. Porro sustin [illegible] ibus stet vera et proprie dicta relistante solemnitat [illegible] *endum est tale aliquid peractum fuisse ex-* dominii valide [illegible] *ite quoad regiones, principibus hæreticis aut* exercitio ve [illegible] *objectas*, in quibus agniti supponuntur veri reliad quem [illegible] (*De justitia*, n. 224.) Porro erroneam prorsus esse *dum* : [illegible] Carrière doctrinam sic paucis ostendi potest: fac [illegible] Nequaquam præsumendum est paupertatis votum, a præ- [illegible] religiosis emissum, fuisse solemne absque incapacitate *dominii*, ex aliqua speciali sedis Apostolicæ dispositione. Nam *præsumi* nequit a sede Apostolica factum, quod est impossi*bile*: atqui impossibile est, et pugnat in terminis, votum paupertatis esse solemne cum retentione dominii, prout supra cum Suaresio probavimus. Cæterum quod proprie dicta voti paupertatis solemnitas, præcise ex hujus incapacitatis effectu recte æstimetur, est unanimis doctorum sententia. Etsi enim varii sint dum expendunt in quo præcise reponenda sit solemnitatis essentia, plane tamen consentiunt esse intrinsece seu *essentialiter* solemne votum paupertatis, quando incapacitatem dominii inducit; esse autem intrincese seu *essentialiter* simplex, hoc ipso quod effectum hunc non producat. Ex quo palam fit adactum fuisse dominum Carrière, ut falsum suum systema tueretur, ad subvertendam ipsammet de solemnitate et simplicitate voti paupertatis notionem.

Præterea *præsumi* nequit a sede Apostolica factum id, de quo nullum omnino vestigium reperitur, quamvis (si revera contigisset) quamplurimis deberet monumentis innotescere. Porro si tot religiosi hæreticarum et infidelium regionum, professionem emittendo capacitatem dominii retinuissent, et nihilo-

Digitized by Google

ex speciali sedis Apostolicæ dispositione pro veris
m votorum religiosis haberi debuissent, exstare debe-
sedis Apostolicæ extraordinario statuto quamplu-
Reperirentur nempe apud canonistas hac de re
Pariter, in causis ad romanas Congregationes de
m toto hoc sæculorum tractu perlatis, de
eligiosorum e regionibus hæreticis aut infide-
ndorum conditione crebra mentio occurreret. Item
eligiosorum ordinum constitutionibus et earumdem com-
mentariis, accurate præfatorum religiosorum exceptionalis
conditio describeretur. Porro ejusmodi monumentorum ne-
dum frequentia, ne vestigium quidam adduci potest.

2° Nec præsumendum est votum paupertatis, quod præfati religiosi emiserunt, ex speciali sedis Apostolicæ dispositione, fuisse simplex. Nam religiosos illos, non secus ac cæteros, per plura sæcula professionem suam juxta propriam regulam et constitutiones eodem modo quo alii, emisisse omnino constat. Porro religiosorum ordinum, de quibus loquimur, instituta, expresse disponunt faciendam esse professionem per tria *solemnia* vota, et aliter factam non valere. Instituta autem illa cum hoc tenore fuerunt a sede Apostolica approbata. Unde ut quis potuerit, post ejusmodi approbationem, membrum ordinis fieri absque tribus solemnibus votis, necessaria fuit expressa sedis Apostolicæ dispositio, qua ordinis religiosi institutum seu regula ex hac parte immutaretur. Nec præsumi potest hæc sedis Apostolicæ dispositio; quia quandiu de ea non constat, pergit institutum religiosum vim habere cum eo tenore, cum quo approbatum fuit. Absurdum nempe est immutatas a sede Apostolica præsumere religiosorum ordinum constitutiones, quandiu iisdem ordinibus nulla innotuit de hacce immutatione authentica declaratio. Cum ergo nulla unquam intervenerit expressa sedis Apostolicæ dispositio, qua statuatur, ut Dominicani (verbi gratia) e regionibus hæreticis vel infidelibus oriundi, valeant cum simplici paupertatis voto professionem emittere, certum est eos non, nisi per tria so-

Digitized by Google

lemnia vota, ad terminos instituti sui, posse aut unquam potuisse Dominicanæ familiæ membra fieri. Unde contraria domini Carrière *præsumptio* omni prorsus fundamento caret, estque ad gratuitas hypotheses et inania somnia prorsus ableganda.

ADNOTATIO V^a^.—*Existimat vota religiosorum Galliæ, habenda esse ut simplicia, donec sedes Apostolica declaraverit se ea tanquam solemnia agnoscere.* — Ita docet in tractatu *de justitia*, n. 224 (pag. 35, edit. 1839). Porro contrarium omnino dicere debuisset : habenda nempe esse illa vota tanquam solemnia, donec sedes Apostolica expresse disposuerit ea fore simplicia. Nam religiosi Galliæ de quibus agitur (qui scilicet ad eos ordines pertinent, in quibus ex instituto solemnia vota emitti debent), professionem faciunt juxta suum quisque institutum. Ad tenorem autem ejusmodi institutorum vota illa solemnia intelliguntur, non simplicia duntaxat. Aliunde sedes Apostolica instituta ejusmodi approbando, hoc ipso per professionem rite emissa tanquam solemnia approbavit. Ergo donec approbationem hanc sedes Apostolica retraxerit, perseverare votorum solemnitas censenda est, saltem in quantum pendet ab ejusdem Sedis voluntate.

Neque hic objiciatur, cessasse in Gallia hanc solemnitatem ob legis civilis, incapacitatem dominii non agnoscentis, obstaculum : etenim nequaquam impediri in religiosis Galliæ dominii incapacitatem, ex legis civilis dispositionibus fuse jam probatum est. Et præterea pro solemnibus in Galliis habenda esse religiosorum vota, variis modis declaravit sedes Apostolica, prout supra etiam ostendimus.

ADNOTATIO VI^a^. — *Vota religiosorum in Gallia non esse solemnia probabilius existimat, ob analogiam cum votis monialium.* — « Illud probabilius effici existimamus, inquit, tum ex dictis « in opinionum expositione, tum ex *analogia cum votis moniа-* « *lium.* » *(De justitia*, n. 224, circa finem.) Porro nulla ipsius opinioni accedit probabilitas, ex prætensa illa cum votis monialium analogia.

Digitized by Google

Etenim vota monialium simplicia reputat dominus Carrière, vel ob legem civilem Galliæ, vel ob sedis Apostolicæ voluntatem. Nimirum si præsens status Galliæ ex natura sua non impediat solemnitatem votorum a monialibus in professione rite emissorum, remanet ut solemnitas illa impediatur duntaxat per sedis Apostolicæ, illa vota ut solemnia agnoscere recusantis, voluntatem. Porro in neutra hypothesi valet a votis simplicibus monialium ad vota simplicia virorum illatio.

I. Non valet argumentum analogiæ, si vota monialium supponantur simplicia vi legis civilis Galliæ. Nam in hac hypothesi fatemur quidem idem fore dicendum de votis virorum ac de votis monialium; siquidem lex civilis non magis quoad viros quam quoad moniales incapacitatem dominii agnoscit. At negamus ipsammet hypothesim; scilicet ideo simplicia esse monialium vota, quod eorum solemnitatem impediat legis civilis dispositio. Prorsus erroneam esse illam hypothesim fuse supra probavimus. Unde si dominus Carrière argumentum suum ex analogia intelligat juxta hanc formulam : *Vota monialium sunt simplicia ex vi legis civilis; ergo a pari simplicia sunt virorum vota;* negatur antecedens, id est totius ratiocinii fundamentum.

II. Nec valet argumentum analogiæ, si vota monialium simplicia sint ex mera voluntate sedis Apostolicæ, ea ut solemnia acceptare recusantis. Ideo enim in hac hypothesi a votis simplicibus monialium ad vota simplicia virorum legitime fieret illatio, quia sedes Apostolica non posset velle priora esse simplicia, quin simul idem vellet quoad posteriora; vel saltem quia ex variis indiciis præsumendum foret, hanc sedis Apostolicæ voluntatem extendi etiam ad virorum vota. Atqui,

1° Potuit velle sedes Apostolica monialium vota non acceptare ut solemnia, quin idem voluerit quoad religiosos virorum ordines. In hoc enim nulla est repugnantia. Sicut nempe alias religiosas familias approbat sedes Apostolica cum votis solemnibus, et alias cum votis duntaxat simplicibus, prout opportunum ipsi videtur; ita potuit, ob varias sibi notas rationes,

Digitized by Google

hodiernarum Galliæ monialium vota simplicia efficere, declarando ea non acceptari a se ut solemnia, et simul abstinere a simili quoad viros declaratione, ipsorum votis relinquendo solemnitatem, quam ex approbato instituto sortiuntur. Unde ex eo quod sedes Apostolica declaraverit vota monialium non haberi a se ut solemnia, nequaquam concludi potest similis quoad viros dispositio; sed ut paris conditionis censeri possint virorum vota, requiritur expressa quoad ipsos declaratio.

2° Nec tandem ex variis indiciis præsumenda est sedes Apostolica prædictam dispositionem ad vota virorum extendisse. Nam in hacce materia mera indicia jus non mutant. Cum nempe instituta virorum, de quibus agimus, approbata fuerint cum votis solemnibus, vi hujus authenticæ voluntatis sedis Apostolicæ, certo solemnia erunt vota in iis institutis rite emissa, quandiu expresse priorem voluntatem Sedes eadem non retraxerit. Mera autem indicia non sunt expressa et authentica immutatæ prioris voluntatis declaratio.

Præterea, nedum exstent indicia quæ suadeant, de votis etiam virorum intelligendas esse declarationes Apostolicas, monialium Galliæ vota respicientes, expresse respondit Sacra Pœnitentiaria, hasce declarationes ad moniales duntaxat spectare. Cum enim Cenomanensis Episcopus præfatæ S. Pœnitentiariæ proposuisset varia dubia in hunc modum : *Cum ex pluries decisis, vota monialium in Gallia uti simplicia a sancta Sede æstimentur, sequentia nascuntur dubia* 1°... 4° *An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, ut videtur?* Responsum est :... *Ad quartum, decreta per Sacram Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales.* Vix intelligo quomodo post ejusmodi sibi notum responsum urgere perrexerit dominus Carrière suum ex analogia argumentum. Certe hanc analogiam urgebat Cenomanensis Episcopus, siquidem postulando num idem de votis virorum dicendum esset ac de votis monialium, addebat, *ut videtur*. Et ipsi responsum est, datas decisiones spectare *solummodo ad moniales.*

Tandem positivis documentis constat pro solemnibus Romæ

Digitized by Google

haberi vota Benedictinorum Solesmensium, et Carthusianorum, prout supra patefecimus. Unde nulla stare potest præsumptio, quod simplicia sint virorum vota in Galliis. Et quoad præfatos Benedictinos rem fatetur ipsemet Carrière, in suo *compendio de justitia* (pag. 58, edit. 1854) : « Dis- « cimus, inquit, ex epistola D. Guéranger, abbatis Soles- « mensis, vota a Benedictinis illius abbatiæ emissa, a San- « cta Congregatione Episcoporum et regularium, et ab ipso « S. Pontifice, agnosci ut solemnia, *hancque novam familiam « locum tenere veterum congregationum Cluniacensis, SS. Vitoni « et Hidulphi, ac S. Mauri, et eorumdem privilegiorum partici- « pem et hæredem exstituram.* » Dum hæc in citato compendio fatetur Reverendus dominus Carrière, nequaquam deserit absonum suum systema, quo tenet tanquam probabilius solemnia non esse in Galliis religiosorum vota, ob legis civilis, incapacitatem dominii non agnoscentis, obstaculum; sed nihil cunctando, pertinaciter adhuc illud propugnat, et iisdem fere terminis, quibus in suo anteriori opere usus fuerat, obtrudit.

Hanc ego Reverendi domini Carrière opinionem, necnon alteram, qua sæculari principi dirimentia matrimonii impedimenta constituendi potestatem tribuit, cum haud paucis aliis, ex ipsius operibus expuncta cuperem ; utpote sanæ, et a probatis auctoribus catholicis traditæ doctrinæ, haudquaquam consonas.

SUBSECTIO II.

De conditione monialium Galliæ quoad status religiosi essentiam et votorum solemnitatem.

Ad triplicem classem referri possunt hodiernæ Galliarum sanctimoniales : earum nempe quæ profitentur institutum a

Digitized by Google

cui id visum sit; qui nempe hunc sensum in verbis S. Gregorii sibi videre visus sit. Etiamsi aperte dixisset S. Gregorius *imperiali* sanctione prohiberi monachos testamentum conficere, quid inde concludi posset, nisi quod omnes concluserunt: receptam nempe fuisse inter ecclesiasticas illam Justiniani dispositionem? Quid hoc ad quæstionem, an per se solum vim habere potuerit Justinianeum hocce decretum?

3° Ast omnem moderationem palam excedit dominus Carrière, dum auctoritatibus opinioni suæ probabilitatem vindicare tentat. Quid rei est hoc? Doctoribus catholicis, in re gravissima consentientibus, unicum opponis Collet, etsi (ut ipse fateris) *non omnino aperte* contradicentem! Et inde satis probabilem effici existimas novam quam obtrudis opinationem? Certe vel ex hoc ipso quod nullum, qui decenter citari valeat, tibi patronum repereris, egregie probas hocce tuum systema omni prorsus probabilitate carere.

4° Quod tandem addit dominus Carrière, *dici posse, non sine verisimilitudine, capacitatem dominii esse aliquid mere temporale, ac proinde de foro principis*, nihil valet ad probandam hujusce opinionis probabilitatem. Id siquidem gratis omnino asseritur. Porro non sufficit illud asserere, cum sit ipsissima quæstio. Est nempe communis doctorum sententia incapacitatem dominii in religiosis esse rem *ecclesiasticam*, de qua valide statuere non potuit Justinianus, ex defectu jurisdictionis. Id si negare velit dominus Carrière, afferat rationem aliquam, sed nullam omnino affert.

ADNOTATIO III^a.— *Perperam existimat posse statui a Romano Pontifice, ut votum paupertatis solemne sit absque incapacitate dominii.* — « Posset, inquit, agnoscere ut solemne votum pau« pertatis, etiam retento dominio, et abdicato usu juris tan« tum. » (*De justitia*, n. 224, tom. 1, pag. 348, edit. 1839.) Porro id omnino falsum est, et communiter receptam de substantiali voti paupertatis solemnitate doctrinam subvertit. Nam, prout fuse probavit Suaresius, non aliunde solemne fit votum paupertatis, quam ex illa dominii incapacitate. Et est

Digitized by Google

apud doctores extra controversiam positum, esse solemne illud votum si adsit hæc incapacitas, non esse solemne si non adsit. Ita ut etiam non dicatur proprie solemne votum paupertatis, nisi propter illum effectum. Hinc potest quidem Romanus Pontifex efficere ut in aliqua religiosa familia votum paupertatis incapacitatem dominii non inducat, et sic votum illud ex solemni simplex reddere : at nequaquam facere potest ut, sublata dominii incapacitate, votum solemne remaneat; cum idem sit votum esse solemne, et incapacitatem illam inducere. Et idem est quoad votum castitatis : potest facere sedes Apostolica ut non inhabilitet ad matrimonium, et sic illud simplex reddere : at nequit facere ut solemne sit absque inhabilitate ad matrimonium; cum non aliunde dignoscatur hujus voti solemnitas, quam ex illa inhabilitate. Vice versa potest sedes Apostolica facere ut in aliquo instituto, in quo vota simplicia duntaxat emittebantur, votum paupertatis incapacitatem dominii inducat : sed tunc illud efficit e simplici solemne.

Nec objiciatur valde disputari inter doctores, in quo præcise reponenda sit substantialis votorum solemnitas. Quamvis enim in hac re explicanda sententiis inter se differant, omnes tamen pro certo habent et tradunt, solemne non esse votum paupertatis nisi incapacitatem dominii inducat; et, vice versa, solemne esse si hunc producat effectum. Et de hoc nulla exstat disputatio. Omnes, inquam, dictum effectum habent tanquam *signum certum* solemnitatis; quo scilicet stante, certo adest solemnitas; et sine quo, non adest.

Objicies. — Potest Papa religioso professo concedere ut aliquem exerat dominii actum, salva voti paupertatis solemnitate; prout nos ipsi supra (capite 6) sustinuimus : ergo merito æstimat D. Carrière statui posse a Papa, ut votum sit solemne, remanente penes religiosum dominio, et solo juris usu abdicato.

Respondeo 1° distinguo antecedens : potest concedere Papa ut, salva voti solemnitate, religiosus exerere possit ac-

Digitized by Google

tum dominii *improprie dictum*, concedo : *proprie dictum*, nego. Nimirum actus dominii proprie dictus ille est, qui *valide* exeri potest a religioso *ex sola vi propriæ voluntatis*. Cujusmodi actus valide exercere possunt religiosi, qui *simplex* duntaxat votum paupertatis emiserunt. Quod si non valeat actus dominii ex sola religiosi voluntate, sed duntaxat ex voluntate concedentis sedis Apostolicæ, nonnisi improprie actus dominii dici potest. Porro sustinuimus quidem a Papa concedi posse ut, stante solemnitate voti, religiosus posterioris speciei actus dominii valide exercere valeat; quia cum horum actuum exercitio vera remanet incapacitas dominii, id est, inhabilitas ad quemlibet dominii actum, *vi sola propriæ voluntatis validum :* at prorsus negamus posse Papam, salva solemnitate, facere ut religiosus valide exercere valeat actus dominii prioris speciei, id est, qui vim habeant *ex sola religiosi voluntate;* quia tunc jam non staret in religioso inhabilitas ad dominium *vi propriæ voluntatis valide exercendum;* ac proinde rueret voti solemnitas.

Respondeo 2° nego consequens : nam D. Carrière intelligit, stare posse (ex Pontificia dispositione) voti solemnitatem cum habilitate ad valide exercendos dominii actus *proprie dictos;* eodem nempe modo, quo eos exercere valet, qui simplex duntaxat paupertatis votum emisit. Nimirum, in ipsius opinione, valerent actus dominii *ex sola vi voluntatis* religiosi, et nihilominus remaneret voti solemnitas. Id autem nos superiori cap. 6 nequaquam diximus, sed e contra falsum probavimus.

Neque periculosa caret ambiguitate et confusione quod ibidem asseruit dominus Carrière in hunc modum : « Posset « summus Pontifex, si opportunum judicaret, in Galliis agnoscere ordines vere et proprie religiosos, etiam positis rebus « ut nunc sunt... Posset... efficere ut etiam cum tribus votis « simplicibus stet vera et proprie dicta religio. » Etenim *ordines religiosi* in strictiori quodam sensu non dicuntur nisi ei, qui cum votis solemnibus approbantur. Et in hoc sensu *veri ordines religiosi* seu *veræ religiones* non sunt ex congregationes

Digitized by Google

quæ cum votis simplicibus duntaxat erectæ sunt; quamvis in eis non desit *status religiosi essentia*. Unde in bullis, quæ hujusmodi congregationes erigunt in ordines cum votis solemnibus, dicitur eas erigi in *religionem formalem*. Vel ergo dominus Carrière locutionem hanc *ordines vere et proprie religiosos* intellexit in hoc strictiori sensu, vel non. Si prius, absonum quid protulit; nempe posse Papam efficere, ut ordo vota solemnia habeat, quamvis habeat solummodo vota simplicia. Si posterius, id est, si *veros ordines religiosos* vocet eos, qui substantiam quidem status religiosi habent, sed cum votis simplicibus, falsum aliquid supponit: dicendo nempe *posset* Papa *eos agnoscere, si opportunum judicaret*, supponit eos jam ut tales non agnosci. Porro hoc ipso quod sedes Apostolica congregationem aliquam approbaverit cum perpetuis tribus simplicibus votis, rite emittendis, eam agnoscit ut congregationem status religiosi essentiam habentem; quia revera eam essentiam habet. Unde semel posita ejusmodi instituti approbatione; jam non pendet a Papa ut non sit, in hoc inferiori sensu, ordo religiosus.

ADNOTATIO IV. — *Existimat religiosos, quotquot exstiterunt e regionibus hæreticis vel infidelibus, per professionem suam non factos fuisse dominii incapaces.* — Ad hanc eum novitatem adegit falsum suum de religiosis Galliæ systema. Cum nempe sustineret hodiernorum Galliæ religiosorum vota dominii incapacitatem non inducere, ob contrariam legis sæcularis dispositionem, ac proinde solemnia non esse, ipsi objecta est ingens illa religiosorum turma, qui e regionibus hæreticis infidelibusve oriundi, quoad regionis suæ sæcularem legem in pari prorsus conditione versati sunt; quin tamen ideo votorum ab ipsis emissorum solemnitas fuerit unquam, toto hoc sæculorum tractu, in dubium revocata. Ex qua certe objectione opinionis suæ falsitas facile prodebatur. At ne excogitatum a se, et doctrinæ suæ favens systema deserere cogeretur, maluit ad hos etiam religiosos illud extendere. Sustinet nempe neque istos per professionem suam amisisse capacitatem dominii; ita ut ab ipsis emissum paupertatis votum, vel nullatenus solemne

Digitized by Google

fuerit, vel fuerit solemne cum retenta dominii capacitate, ex nescio qua *expressa vel implicita* sedis Apostolicæ dispositione, quam divinans præsumit. En ipsius verba : « Posset (summus « Pontifex), vel 1° agnoscere ut solemne votum paupertatis, « etiam retento dominio, et abdicato usu juris tantum; vel « 2° stante simplici tantum paupertatis voto, alia duo, castitatis « et obedientiæ pro solemnibus habere; vel 3° efficere ut etiam « cum tribus votis simplicibus stet vera et proprie dicta reli- « gio. *Et reipsa præsumendum est tale aliquid peractum fuisse ex- « presse vel implicite quoad regiones, principibus hæreticis aut « infidelibus subjectas*, in quibus agniti supponuntur veri reli- « giosi. » (*De justitia*, n. 224.) Porro erroneam prorsus esse illam domini Carrière doctrinam sic paucis ostendi potest :

1° Nequaquam præsumendum est paupertatis votum, a præfatis religiosis emissum, fuisse solemne absque incapacitate dominii, ex aliqua speciali sedis Apostolicæ dispositione. Nam præsumi nequit a sede Apostolica factum, quod est impossibile : atqui impossibile est, et pugnat in terminis, votum paupertatis esse solemne cum retentione dominii, prout supra cum Suaresio probavimus. Cæterum quod proprie dicta voti paupertatis solemnitas, præcise ex hujus incapacitatis effectu recte æstimetur, est unanimis doctorum sententia. Etsi enim varii sint dum expendunt in quo præcise reponenda sit solemnitatis essentia, plane tamen consentiunt esse intrinsece seu *essentialiter* solemne votum paupertatis, quando incapacitatem dominii inducit; esse autem intrincese seu *essentialiter* simplex, hoc ipso quod effectum hunc non producat. Ex quo palam fit adactum fuisse dominum Carrière, ut falsum suum systema tueretur, ad subvertendam ipsammet de solemnitate et simplicitate voti paupertatis notionem.

Præterea *præsumi* nequit a sede Apostolica factum id, de quo nullum omnino vestigium reperitur, quamvis (si revera contigisset) quamplurimis deberet monumentis innotescere. Porro si tot religiosi hæreticarum et infidelium regionum, professionem emittendo capacitatem dominii retinuissent, et nihilo-

Digitized by Google

minus ex speciali sedis Apostolicæ dispositione pro veris solemnium votorum religiosis haberi debuissent, extare deberent de hoc sedis Apostolicæ extraordinario statuto quamplurima indicia. Reperirentur nempe apud canonistas hac de re disceptationes. Pariter, in causis ad romanas Congregationes de valore professionum toto hoc sæculorum tractu perlatis, de hac peculiari religiosorum e regionibus hæreticis aut infidelibus oriundorum conditione crebra mentio occurreret. Item in religiosorum ordinum constitutionibus et earumdem commentariis, accurate præfatorum religiosorum exceptionalis conditio describeretur. Porro ejusmodi monumentorum nedum frequentia, ne vestigium quidam adduci potest.

2° Nec præsumendum est votum paupertatis, quod præfati religiosi emiserunt, ex speciali sedis Apostolicæ dispositione, fuisse simplex. Nam religiosos illos, non secus ac cæteros, per plura sæcula professionem suam juxta propriam regulam et constitutiones eodem modo quo alii, emisisse omnino constat. Porro religiosorum ordinum, de quibus loquimur, instituta, expresse disponunt faciendam esse professionem per tria *solemnia* vota, et aliter factam non valere. Instituta autem illa cum hoc tenore fuerunt a sede Apostolica approbata. Unde ut quis potuerit, post ejusmodi approbationem, membrum ordinis fieri absque tribus solemnibus votis, necessaria fuit expressa sedis Apostolicæ dispositio, qua ordinis religiosi institutum seu regula ex hac parte immutaretur. Nec præsumi potest hæc sedis Apostolicæ dispositio; quia quandiu de ea non constat, pergit institutum religiosum vim habere cum eo tenore, cum quo approbatum fuit. Absurdum nempe est immutatas a sede Apostolica præsumere religiosorum ordinum constitutiones, quandiu iisdem ordinibus nulla innotuit de hacce immutatione authentica declaratio. Cum ergo nulla unquam intervenerit expressa sedis Apostolicæ dispositio, qua statuatur, ut Dominicani (verbi gratia) e regionibus hæreticis vel infidelibus oriundi, valeant cum simplici paupertatis voto professionem emittere, certum est eos non, nisi per tria so-

Digitized by Google

lemnia vota, ad terminos instituti sui, posse aut unquam potuisse Dominicanæ familiæ membra fieri. Unde contraria domini Carrière *præsumptio* omni prorsus fundamento caret, estque ad gratuitas hypotheses et inania somnia prorsus ableganda.

ADNOTATIO V^a^.—*Existimat vota religiosorum Galliæ, habenda esse ut simplicia, donec sedes Apostolica declaraverit se ea tanquam solemnia agnoscere.* — Ita docet in tractatu *de justitia*, n. 224 (pag. 35, edit. 1839). Porro contrarium omnino dicere debuisset : habenda nempe esse illa vota tanquam solemnia, donec sedes Apostolica expresse disposuerit ea fore simplicia. Nam religiosi Galliæ de quibus agitur (qui scilicet ad eos ordines pertinent, in quibus ex instituto solemnia vota emitti debent), professionem faciunt juxta suum quisque institutum. Ad tenorem autem ejusmodi institutorum vota illa solemnia intelliguntur, non simplicia duntaxat. Aliunde sedes Apostolica instituta ejusmodi approbando, hoc ipso per professionem rite emissa tanquam solemnia approbavit. Ergo donec approbationem hanc sedes Apostolica retraxerit, perseverare votorum solemnitas censenda est, saltem in quantum pendet ab ejusdem Sedis voluntate.

Neque hic objiciatur, cessasse in Gallia hanc solemnitatem ob legis civilis, incapacitatem dominii non agnoscentis, obstaculum : etenim nequaquam impediri in religiosis Galliæ dominii incapacitatem, ex legis civilis dispositionibus fuse jam probatum est. Et præterea pro solemnibus in Galliis habenda esse religiosorum vota, variis modis declaravit sedes Apostolica, prout supra etiam ostendimus.

ADNOTATIO VI^a^. — *Vota religiosorum in Gallia non esse solemnia probabilius existimat, ob analogiam cum votis monialium.* — « Illud probabilius effici existimamus, inquit, tum ex dictis « in opinionum expositione, tum ex *analogia cum votis monia-* « *lium.* » *(De justitia*, n. 224, circa finem.) Porro nulla ipsius opinioni accedit probabilitas, ex prætensa illa cum votis monialium analogia.

Digitized by Google

Etenim vota monialium simplicia reputat dominus Carrière, vel ob legem civilem Galliæ, vel ob sedis Apostolicæ voluntatem. Nimirum si præsens status Galliæ ex natura sua non impediat solemnitatem votorum a monialibus in professione rite emissorum, remanet ut solemnitas illa impediatur duntaxat per sedis Apostolicæ, illa vota ut solemnia agnoscere recusantis, voluntatem. Porro in neutra hypothesi valet a votis simplicibus monialium ad vota simplicia virorum illatio.

I. Non valet argumentum analogiæ, si vota monialium supponantur simplicia vi legis civilis Galliæ. Nam in hac hypothesi fatemur quidem idem fore dicendum de votis virorum ac de votis monialium; siquidem lex civilis non magis quoad viros quam quoad moniales incapacitatem dominii agnoscit. At negamus ipsammet hypothesim; scilicet ideo simplicia esse monialium vota, quod eorum solemnitatem impediat legis civilis dispositio. Prorsus erroneam esse illam hypothesim fuse supra probavimus. Unde si dominus Carrière argumentum suum ex analogia intelligat juxta hanc formulam: *Vota monialium sunt simplicia ex vi legis civilis; ergo a pari simplicia sunt virorum vota;* negatur antecedens, id est totius ratiocinii fundamentum.

II. Nec valet argumentum analogiæ, si vota monialium simplicia sint ex mera voluntate sedis Apostolicæ, ea ut solemnia acceptare recusantis. Ideo enim in hac hypothesi a votis simplicibus monialium ad vota simplicia virorum legitime fieret illatio, quia sedes Apostolica non posset velle priora esse simplicia, quin simul idem vellet quoad posteriora; vel saltem quia ex variis indiciis præsumendum foret, hanc sedis Apostolicæ voluntatem extendi etiam ad virorum vota. Atqui,

1° Potuit velle sedes Apostolica monialium vota non acceptare ut solemnia, quin idem voluerit quoad religiosos virorum ordines. In hoc enim nulla est repugnantia. Sicut nempe alias religiosas familias approbat sedes Apostolica cum votis solemnibus, et alias cum votis duntaxat simplicibus, prout opportunum ipsi videtur; ita potuit, ob varias sibi notas rationes,

Digitized by Google

hodiernarum Galliæ monialium vota simplicia efficere, declarando ea non acceptari a se ut solemnia, et simul abstinere a simili quoad viros declaratione, ipsorum votis relinquendo solemnitatem, quam ex approbato instituto sortiuntur. Unde ex eo quod sedes Apostolica declaraverit vota monialium non haberi a se ut solemnia, nequaquam concludi potest similis quoad viros dispositio; sed ut paris conditionis censeri possint virorum vota, requiritur expressa quoad ipsos declaratio.

2° Nec tandem ex variis indiciis præsumenda est sedes Apostolica prædictam dispositionem ad vota virorum extendisse. Nam in hacce materia mera indicia jus non mutant. Cum nempe instituta virorum, de quibus agimus, approbata fuerint cum votis solemnibus, vi hujus authenticæ voluntatis sedis Apostolicæ, certo solemnia erunt vota in iis institutis rite emissa, quandiu expresse priorem voluntatem Sedes eadem non retraxerit. Mera autem indicia non sunt expressa et authentica immutatæ prioris voluntatis declaratio.

Præterea, nedum exstent indicia quæ suadeant, de votis etiam virorum intelligendas esse declarationes Apostolicas, monialium Galliæ vota respicientes, expresse respondit Sacra Pœnitentiaria, hasce declarationes ad moniales duntaxat spectare. Cum enim Cenomanensis Episcopus præfatæ S. Pœnitentiariæ proposuisset varia dubia in hunc modum : *Cum ex pluries decisis, vota monialium in Gallia uti simplicia a sancta Sede æstimentur, sequentia nascuntur dubia* 1°... 4° *An de votis virorum idem dicendum sit ac de votis monialium, ut videtur?* Responsum est :... *Ad quartum, decreta per Sacram Pœnitentiariam alias edita spectare solummodo ad moniales.* Vix intelligo quomodo post ejusmodi sibi notum responsum urgere perrexerit dominus Carrière suum ex analogia argumentum. Certe hanc analogiam urgebat Cenomanensis Episcopus, siquidem postulando num idem de votis virorum dicendum esset ac de votis monialium, addebat, *ut videtur*. Et ipsi responsum est, datas decisiones spectare *solummodo ad moniales.*

Tandem positivis documentis constat pro solemnibus Romæ

Digitized by Google

haberi vota Benedictinorum Solesmensium, et Carthusianorum, prout supra patefecimus. Unde nulla stare potest præsumptio, quod simplicia sint virorum vota in Galliis. Et quoad præfatos Benedictinos rem fatetur ipsemet Carrière, in suo *compendio de justitia* (pag. 58, edit. 1854) : « Dis-« cimus, inquit, ex epistola D. Guéranger, abbatis Soles-« mensis, vota a Benedictinis illius abbatiæ emissa, a San-« cta Congregatione Episcoporum et regularium, et ab ipso « S. Pontifice, agnosci ut solemnia, *hancque novam familiam* « *locum tenere veterum congregationum Cluniacensis, SS. Vitoni* « *et Hidulphi, ac S. Mauri, et eorumdem privilegiorum partici-*« *pem et hæredem exstituram.* » Dum hæc in citato compendio fatetur Reverendus dominus Carrière, nequaquam deserit absonum suum systema, quo tenet tanquam probabilius solemnia non esse in Galliis religiosorum vota, ob legis civilis, incapacitatem dominii non agnoscentis, obstaculum; sed nihil cunctando, pertinaciter adhuc illud propugnat, et iisdem fere terminis, quibus in suo anteriori opere usus fuerat, obtrudit.

Hanc ego Reverendi domini Carrière opinionem, necnon alteram, qua sæculari principi dirimentia matrimonii impedimenta constituendi potestatem tribuit, cum haud paucis aliis, ex ipsius operibus expuncta cuperem ; utpote sanæ, et a probatis auctoribus catholicis traditæ doctrinæ, haudquaquam consonas.

SUBSECTIO II.

De conditione monialium Galliæ quoad status religiosi essentiam et votorum solemnitatem.

Ad triplicem classem referri possunt hodiernæ Galliarum sanctimoniales : earum nempe quæ profitentur institutum a

Digitized by Google

sede Apostolica cum votis solemnibus approbatum, prout sunt Carmelitæ, Visitandinæ, Benedictinæ et similes : earum quæ nomen dederunt alicui congregationi, in qua juxta regulam simplicia duntaxat, perpetua tamen, vota emittuntur : et earum quæ vel nulla, vel temporaria tantum vota nuncupant. De singulis sub triplici sequenti capite.

CAPUT I.

DE HODIERNIS MONIALIBUS GALLIÆ, QUÆ EX INSTITUTO SUO, A SEDE APOSTOLICA APPROBATO, SOLEMNIA VOTA EMITTERE DEBERENT.

Ad recte solvendam quæstionem, an revera solemnia sint ipsarum vota, et an status religiosi saltem essentiam habeant, multa sunt attendenda, prænoscenda multa. Quare instituenda visa est sequens paragraphorum series.

§ I.

Dici nequit solemnitate carere ejusmodi monialium vota, ex eo quod ipsarum conventus anticanonice erecti fuerint.

In secunda hujus tractatus parte, canonicam descripsimus normam novos erigendi conventus. Vidimus nempe requiri licentiam Ordinarii. Obtinendam etiam esse facultatem a sede Apostolica, etsi neget Fagnanus, tenet communius recepta sententia, prout ibidem ostendimus. Aliunde autem (parte tertia, sectione 2), de regularibus dispersis agendo, probavimus eos nulla nova licentia indigere ut conventualem vitam denuo instaurent, iis in locis, in quibus ante dispersionem conventum legitime erectum habebant. Quibus prænotatis, videntur tanquam certa hæc statui posse.

I. *Dictarum monialium conventus pro canonice constitutis habendi forent, etiamsi nulla intervenisset sedis Apostolicæ, aut*

Digitized by Google

etiam Ordinarii licentia. — Etenim ejusmodi conventus instaurati sunt a monialibus e dispersione remeantibus, atque in iisdem civitatibus aut pagis, in quibus suum antea conventum habebant. De quo in exemplum adducemus moniales Carmelitanas, quæ Parisiis, via sancti Jacobi, olim degebant. Ex eo conventu superstites post dispersionem moniales, ædes sibi, non tantum in eadem civitate, sed in eodem ferme loco sibi compararunt, atque ibi propriam instituti sui vitam ac formam instaurarunt. Porro, ex supra statutis principiis, id absque nova licentia peragere potuerunt moniales post dispersionem superstites. Conventus proinde, sic ab antiquis monialibus instaurati, pro canonice institutis habendi forent, etiamsi absque nova ulla licentia ejusmodi instauratio peracta fuisset.

II. *Dicti conventus cum assensu Ordinariorum constituti sunt.* — Id documentis probare necesse non est. Ordinarii consensum quoad singulos qui nunc exstant in Gallia monialium conventus, vel illud solum satis testatur, quod statim ab uniuscujusque exordiis, deputatus ab Episcopo fuerit presbyter, qui ibi sacrum faceret et sacramenta monialibus ministraret. Unde anticanonice constitutos fuisse hosce Galliæ conventus, nequaquam ex hoc capite deduci potest, quod defuerit a sacro Tridentino Concilio requisita Episcopi licentia.

III. *Licet in constituendis hodiernis Galliæ conventibus non obtenta fuerit licentia sedis Apostolicæ, non sequitur conventus illos fuisse anticanonice constitutos.* — Nam, ex hypothesi, conventus illi constituti sunt in iisdem civitatibus aut pagis, in quibus ejusdem ordinis monasterium exstiterat. Sed in hoc casu, ut supra diximus, potuerunt moniales, absque nova obtenta licentia, ibi conventualem suam vitam instaurare; eo quod nempe jus ibi conventualiter degendi, per expulsionem, dispersionemque, ac monasterii sui destructionem et alienationem nullatenus ipsis perierit. Ergo ex defectu licentiæ Apostolicæ anticanonice fundati dici nequeunt præfati mo-

Digitized by Google

nialium Galliæ conventus. Unde, etiam si nullus ex dictis conventibus cum licentia Romani Pontificis constitutus fuerit, et falsam insuper supponendo Fagnani opinionem (qua nempe sustinet sufficere Ordinarii licentiam, nec requiri Apostolicam in erigendis monialium conventibus), nequaquam pro anticanonice erectis illi conventus habendi sunt.

IV. *Nec anticanonice constituti habendi sunt dicti conventus ex eo quod servatæ non fuerint cæteræ pro novis monialium conventibus erigendis conditiones.* — Equidem præter Ordinarii licentiam, in erigendo novo monialium conventu requiritur ut sufficiens adsit religiosarum numerus, et sufficiens pro earumdem sustentatione redditus, etc. Ast ejusmodi præscriptiones locum non habent quoad regulares quibus jam acquisitum est jus conventualiter existendi in aliqua civitate. Porro dictis Galliæ monialibus jus non perierat conventualiter degendi in civitatibus, in quibus exstabant ipsarum monasteria. Unde potuerunt in iis civitatibus sibi ædes comparare et conventualiter iterum degere, absque dictis formalitatibus: interveniente præsertim Ordinarii licentia, quæ de facto nullibi defuit.

Unde tandem, quod solemnia non sint hodie monialium Galliæ vota, falso tribueretur juris defectibus, qui in erigendis seu instaurandis ipsarum conventibus intervenisse supponerentur.

Confirmatur ex modo agendi sedis Apostolicæ. Si enim ex nulla alia causa, quam ob non servatas in iis instaurandis conventibus canonicas formalitates, a solemnitate deficerent monialium vota, eos juris defectus supplesset et sanasset Apostolica sedes; præsertim postquam, largiente Deo, ad eam quam videmus prosperitatem, tum quoad monialium numeram, tum quoad disciplinæ sanctimoniam, tum quoad rei etiam temporalis copiam, ii conventus devenere. Cum ergo Romanæ Congregationes, ad dubium, an solemnia sint dictarum Galliæ monialium vota, negativo responso contentæ fuerint, nec prædictos juris defectus sanaverint, et illud solemnitatis impedimentum non removerint, signum est, non ob ejusmodi for-

Digitized by Google

malitatum in inchoandis conventibus defectum, sed ob aliam causam, vota hæc solemnitate destituta Romæ existimari.

Præterea, si ex illo formalitatum defectu proveniret solemnitatis votorum carentia, dictæ romanæ Congregationes, non respondissent *generaliter* quoad omnes conventus, non emitti in eis solemnia vota; sed duntaxat quoad eos, quos constaret non fuisse canonice, servatis nempe præfatis præscriptionibus, erectos.

§ II.

Quod solemnia non sint dictarum monialium vota tribui non debet civilibus Galliæ legibus.

Id sufficienter probatum existimamus ex dictis in præcedenti subsectione. Ibi nempe fuse probavimus, legem civilem Galliæ, quantumvis non agnoscat in religiosis viris dominii incapacitatem et voti solemnitatem, nequaquam posse solemnitatem hanc et incapacitatem impedire. Si autem lex civilis votorum solemnitatem non impedit in viris, nec impedit in monialibus; siquidem non minus viros quam moniales agnoscere renuit tanquam dominii incapaces.

Inter adductas autem probationes præcipue notetur argumentum, ex monialibus ante dispersionem regularium Galliæ professis, deductum. Certum nempe est extinctam non fuisse quoad ipsas votorum solemnitatem, prout constat ex variis Sacræ Pœnitentiariæ responsis; et tamen a lege civili omnino habitæ sunt et ipsæ tanquam dominii capaces. Item notetur argumentum deductum ex monialibus cujusdam conventus Belgii, quarum vota ab anno 1814 usque ad annum 1820, pro solemnibus a Sacra Congregatione habita sunt, quamvis toto hoc tempore lex civilis Belgii moniales nullas agnoverit tanquam incapaces dominii.

Digitized by Google

§ III.

Solemnitate non carent dictarum monialium vota ob clausuræ defectum.

Equidem instituta monialium quæ clausuræ legem non habent, sancti Pii V constitutionibus adversantur; ac proinde solemnia esse nequeunt vota in iis conventibus, in quibus non adest clausuræ lex. Ast omnino distinguenda est lex clausuræ, ab hujus legis observatione. Ex eo quod institutum aliquod monialium clausuræ obligationem non habeat, recte concluditur ab istis monialibus emissa vota non esse solemnia; quia nempe ejusmodi monialium conventus prohibiti fuerunt, et huic prohibitioni postea successit mera tolerantia, prout supra explicavimus. Ejusmodi autem monialium toleratarum et absque clausura ex instituto degentium, vota, nonnisi ut simplicia a se haberi multoties declaravit sedes Apostolica. Unde si moniales Galliæ de quibus agimus, clausuræ legem a suo instituto rejecissent; ita ut voverent quidem juxta constitutiones ordinis sui, sed *citra legem clausuræ*, quam illæ constitutiones præscribunt, revera inde concludendum foret solemnia non esse ipsarum vota.

Quod autem in conventu aliquo, in quo juxta institutum clausura obligat, obligatio hæc plus minusve violetur, id nequaquam annullat professiones ibi rite emissas. Supponamus, verbi gratia, in aliquo ex Romanis conventibus, in quo solemnia vota emittuntur et obligatoria est clausura, frequenter contingere (quod Deus avertat!) ut moniales professæ claustris egrediantur aliisve modis clausuram infringant. Frustra ob illos abusus contenderet monialis aliqua nullam fuisse professionem suam in eo conventu solemniter emissam. Etsi enim conventus ille clausuram de facto non servet, de jure tamen illam habet.

Jam vero moniales Galliæ de quibus agimus, 1° profitentur juxta institutum ad clausuram obligans: 2° non profitentur

Digitized by Google

sub hac conditione, quod ad clausuram non tenebuntur; sed e contra huic obligationi, quam optime norunt, sese subjicere volunt: 3° clausuram de facto servant, et quidem (quod asserere possumus) quam diligentissime. 4° Si quid contra legem illam, sive ex canonum ignorantia, sive ex humana fragilitate, sive ex aliis circumstantiis, peccent, id, ut diximus, nequaquam valori professionis et votorum solemnitati obstare potest. Alioquin dicendum foret tolli votorum solemnitatem per peccatum contra clausuram, quod absurdum est. Ergo quod solemnia non sint dictarum Galliæ monialium vota, non provenit ex male servata clausuræ lege.

§ IV.

Nisi intervenisset voluntas sedis Apostolicæ, statuens ne solemnia forent monialium Galliæ vota, pro solemnibus vota hæc habenda forent.

Agimus enim de monialibus eorum ordinum, qui a sede Apostolica fuerunt approbati, cum ea lege ut professio in eis per votorum solemnium emissionem fieret; prout sunt Visitandinæ, Carmelitanæ, Benedictinæ, moniales sanctæ Claræ, et aliæ similes, quarum institutum a sede Apostolica approbatum emittenda vota solemnia præscribit. Porro nisi sedes Apostolica, quæ, instituta hæc approbando, vota in eis rite emissa semel pro semper tanquam solemnia acceptavit, voluntatem mutaverit, et sufficienter declaraverit, vota hæc jam non fore solemnia, nulla est ratio cur desiisse in Gallia eorum solemnitas censenda sit. Nam ratio illa foret: vel quod lex civilis Galliæ incapacitatem domiuii in iis monialibus non agnoscat, sicque impediat ne solemne esse possit paupertatis votum et consequenter ne alia etiam duo vota solemnia sint: vel quia ipsarum conventus canonice erecti non fuerunt: vel quia, ob deficientem clausuram, iidem conventus forent anticanonici: vel quia dictæ moniales Galliæ votum paupertatis emitterent cum *intentione* servandæ habilitatis ad dominium,

Digitized by Google

ad legis civilis terminos; sicque revera non profiterentur, juxta institutum suum, nec votum solemne paupertatis emitterent : atqui nulli ex his rationibus tribui potest, quod hodie solemnitate in Galliis careant dictarum monialium vota.

1° Solemnitatem non impedit lex civilis Galliæ, prout supra fuse quoad vota virorum probatum est.

2° Neque solemnitatem impedire censendus est modus, quo earumdem monialium conventus in Gallia instaurati sunt, ut modo probavimus.

3° Neque impeditur votorum solemnitas, ob deficientem in ipsarum conventibus clausuram canonicam. Id etiam supra probavimus.

4° Tandem falsum est ab ipsis emitti votum paupertatis, cum *intentione* retinendæ habilitatis ad dominium. Id documentis omnino certis infra firmamus. Volunt e contra sese incapaces cujuslibet proprietatis seu dominii efficere, ad terminos instituti et constitutionum suarum. Nec curant quod lex civilis eam incapacitatem in ipsis nolit agnoscere. Ergo rationes præmissæ, quæ solæ excogitari posse videntur, votorum solemnitati non obstant. Ergo remanet ut solemnitatis defectus repeti nequeat, nisi ex voluntate sedis Apostolicæ. Cum nempe sedes Apostolica instituta hæc approbando, in perpetuum disposuerit vota in iis institutis rite emissa solemnia fore, nisi voluntatem hanc mutasset, et contrariam quoad hodiernas illas Galliæ moniales expresse declarasset, adhuc hodie pro solemnibus ipsarum vota habenda forent.

§ V.

A Sacra Pœnitentiaria pluries declaratum est, pro solemnibus habenda non esse dictarum Galliæ monialium vota.

De existentia et authenticitate declarationum ejusmodi nullum exstat dubium in Gallia et Belgio, eo quod declarationes illas ediderint auctores fide omnino digni, et publici

Digitized by Google

juris eas etiam fecerint Episcopi, ad quos directæ sunt. Quapropter ne in stabilienda re omnino certa inutiliter immoremur, nonnullas duntaxat ex iis declarationibus hic subjiciemus.

Inter alia dubia, Galliæ moniales respicientia, postulaverat Cenomanensis Episcopus, 2° *an votum ingrediendi religionem sedi Apostolicæ adhuc sit reservatum?* Die autem 2 januarii 1836 responsum est : *Ad secundum, affirmative : sed votum mulieris cujus intentio respexerit ad monasteria prout nunc in Galliis existunt, non est reservatum ; quia scilicet monasteria eadem a sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ feminarum æstimantur.* Notanda autem sunt verba, quæ suis hisce dubiis præmiserat laudatus Cenomanensis Antistes : *Cum, ex pluries decisis, vota monialium in Gallia, uti simplicia a sancta Sede æstimentur, sequentia nascuntur dubia...* (Gautrelet, *État religieux*, tom. 2, pag. 271, édit. 1853).

Die 23 januarii 1821, ad quoddam quæsitum, e Nannetensi diœcesi expeditum, respondit Sacra Pœnitentiaria : *Novas Galliarum moniales, quæ institutum aliquod religiosum sectantur, in quo secundum ejus acceptationem atque approbationem ab Apostolica sede factam, professionem solemnem ac solemnia vota emittere deberent, et nihilominus per temporum circumstantias, atque ex præfatis rationibus, vota duntaxat simplicia modo nuncupant, moniales profecto istas, licet maxima commendatione dignæ sint, dum hac saltem ratione Deo interim servire student, ipsas tamen in ordine ac religione sua vere professas dici ac censeri non posse* (Gautrelet, *État religieux*, tom. 2, pag. 281, édit. 1853).

Die 28 novembris 1818 ad superiorem Nannetensis seminarii responsum est : *Votum paupertatis, quod novæ Galliarum religiosæ, secundum articulum a gubernio adjectum emittunt, non esse solemne, cum per illud bonorum suorum proprietatem ac dominium adhuc retineant. Proinde nec solemnia esse alia duo vota castitatis et obedientiæ...* (Gautrelet, *État religieux*, tom. 2, pag. 270, édit. 1853).

Ergo revera pluries a Sacra Pœnitentiaria declaratum est,

Digitized by Google

pro solemnibus habenda non esse vota, quæ a monialibus Galliæ emittuntur.

§ VI.

Expenditur opinio quæ tenet, præfatas declarationes esse relativas ad falsa exposita, nec proinde impedire, quin in pluribus monialium Galliæ conventibus solemnia vota emittantur.

Opinionem illam, etsi (prout certior factus sum) viro cuidam doctrina conspicuo haud improbabilem, meam ego non facio. Pro rei tamen gravitate silentio prætermittendas haud duxi rationes quibus nititur. Quæ an valorem aliquem habeant, aliorum judicium sit.

PROPOSITIO I^a. — *Plures e dictis declarationibus relativæ sunt ad exposita, in quibus asserebatur, vovere moniales omnes Galliæ cum* INTENTIONE *servandi veram capacitatem dominti.* — 1° Talis est declaratio Sacræ Pœnitentiariæ, ad Lemovicensem Episcopum anno 1820 directa, quam refert dominus Carrière (*De justitia*, tom. 1, pag. 343, edit. 1839) in hunc modum : « Sacra Pœnitentiaria, diligenter perpensis expositis, vene- « rabili in Christo Patri Episcopo Lemovicensi respondet : « votum solemne illud esse quod ab Ecclesia ut tale acce- « ptatur, et voventem *inhabilem* reddit in perpetuum et im- « mutabiliter (spectata lege ordinaria et seclusa dispensatione « Pontificia) ad matrimonium contrahendum, et ad dominia « rerum acquirenda vel retinenda; prout cum cæteris sacro- « rum canonum tractatoribus loquitur Pater Pirhing (in 3 « decretalium, titulo 34, § 1).

« Cum ergo, *ut præmissa ab Episcopo oratore significant*, modo « Galliarum moniales, ut sese civilibus legibus accommodent, « sic paupertatis votum emittant, *ut minime se abdicent dominio* « *rerum suarum*, sed eas *ut proprias* retineant, ac de iisdem cum « opus fuerit *juxta leges civiles disponere* INTENDANT, *ideo* hoc « earum votum, sive quinquennale, sive perpetuum sit, solemne

Digitized by Google

« certe non est, neque ut tale ab Ecclesia acceptatur. Quod « si hujusmodi paupertatis votum solemne non est, nec so- « lemnia censeri possunt reliqua duo vota castitatis et obe- « dientiæ : quippe cum, secundum solemnis religiosæ profes- « sionis naturam, atque Ecclesiæ disciplinam, votum unum « sine alio solemne esse non possit. »

Omnino manifestum est Sacram Pœnitentiariam ibi loqui juxta exposita, ad ipsam ab Episcopo Lemovicensi transmissa; id est, in hypothesi quod res sese habeant prout dictus Præsul exposuerat. Quod autem Lemovicensis Episcopus tanquam certum asseruerit de omnibus Galliæ monialibus, eas in emittendis votis suis *intentionem* habere retinendæ capacitatis dominii *juxta leges civiles*, manifestum etiam faciunt Sacræ Pœnitentiariæ verba, illud idem exprimentia, cum hac additione, *ut præmissa ab Episcopo oratore significant*.

2° Idem dicendum de responso Pœnitentiariæ, 23 januarii 1821, ad quæsitum e Nannetensi diœcesi expeditum; cujus quæsiti et reponsi is tenor fuit :

« *Quæstio.* Hodie in Gallia nostra *certum est* moniales (sive « de expressa regis licentia, sive tolerantia tantum, in clau- « stra redierint, ubi juxta primam regulam viventes, acceden- « tes puellas ad vota suscipiunt), *ita paupertatis votum emit- « tere,* jubentibus legibus, *ut sibi paterna bona hæreditate obti- « nendi et testamento donandi jus retineant*. Unde fieri videtur « ut jam non solemne, sed simplex votum illud sit, et simul « duo alia vota castitatis scilicet et obedientiæ simplicia eva- « dant. Quæro igitur utrum tum prædictæ moniales, tum « cæteri omnes homines sive sæculares sive regulares, adhuc « subjaceant censuris a Tridentina synodo edictis : nempe an « quæcunque monialis absque legitima licentia claustro exierit, « atque an quivis in claustra monialium ingressus fuerit sine « necessitate evidenti, ut statuit prædicta Tridentina synodus, « pœnam etiam nunc incurrat ab hac synodo decretam. — « Nannetis, die 30 novembris 1821. — Gely, canonicus. »

En responsum : « Sacra Pœnitentiaria, rite perpensa quæ-

Digitized by Google

« stione, ad eamdem respondet: novas Galliarum moniales, « quæ institutum aliquod religiosum sectantur, in quo secun- « dum ejus acceptationem et approbationem ab Apostolica « sede factam, professionem solemnem ac solemnia vota emit- « tere deberent, et nihilominus per temporum circumstan- « tias atque *ex præfatis rationibus vota duntaxat simplicia modo* « *nuncupant*, moniales profecto istas, licet magna commenda- « tione dignæ sint, dum hac saltem ratione Deo interim « servire student, ipsas tamen in ordine ac religione sua vere « professas dici ac censeri non posse. Porro Bonifacium Pa- « pam VIII, in celebri sua constitutione, quæ incipit, *pericu-* « *loso* (de statu regularium, in 6), et S. Tridentinam synodum « quæ hanc ipsam Bonifacii constitutionem renovat (sess. 25, « c. 5, *de regularibus*), monasticam illam clausuram non injun- « gere, nisi *monialibus religionem suam professis;* quod certe « intelligendum est de vera propriaque professione, secundum « ordinis institutum ab Apostolica sede approbatum: novas « igitur istas Galliarum moniales, de quibus sermo est, cano- « nica ista et Pontificia clausuræ lege minime adstringi... » (Gautrelet, *État religieux*, tom. 2, pag. 280, édit. 1853).

Ibi etiam exponens tanquam *certum* de omnibus Galliæ monialibus asserebat, eas ita vovere paupertatem, ut sibi *jus retinerent* habendi dominii; quod idem erat ac tanquam certum asserere, simplicia duntaxat vota ab ipsis emitti, ob eam ipsarum *intentionem*, habilitatem conservandi ad acquirendum et possidendum dominium. Sacræ autem Pœnitentiariæ responsio, tota relativa est ad hanc hypothesim. Respondet nempe moniales illas, quæ sic *ex præfatis rationibus, vota duntaxat simplicia modo nuncupant*, ad clausuram non teneri.

3° Idem concludendum venit ex sequenti responso, ad superiorem seminarii Nannetensis directo, 28 novembris 1818: « Votum paupertatis, quod novæ Galliarum religiosæ, *secundum* « *articulum* (1) a gubernio adjectum emittunt, non esse solem-

(1) Is articulus, gubernii jussu monialium statutis adjiciendus, ic habebat :

Digitized by Google

« ne, cum per illud bonorum suorum proprietatem ac domi-
« nium adhuc retineant. Proinde nec solemnia esse alia duo
« vota castitatis et obedientiæ... » (Apud Gautrelet, *Etat religieux*, tom. 2, pag. 270, édit. 1853.)

Licet non habeamus præfati superioris verba, quibus casum exposuerat, ex responso tamen satis liquet ipsum monialibus tribuisse *intentionem* vovendi *secundum* articulum gubernii; id est, intentionem servandi bonorum suorum proprietatem. Id omnino supponunt istæ responsi voces : « Votum paupertatis « quod novæ Galliarum religiosæ *secundum articulum* a guber-« nio adjectum *emittunt*... » Respondetur nempe relative ad hypothesim, quod moniales intentionem illam in vovendo habeant.

Ergo revera plures romanæ declarationes relativæ fuerunt ad exposita, quibus asserebatur vovere moniales Galliæ, cum intentione retinendæ habilitatis ad dominium, juxta legis civilis dispositionem.

PROPOSITIO II^a^. — *Vera non fuerunt præfata exposita, quibus universaliter asserebatur, emitti professionem a monialibus Galliæ, cum intentione retinendi dominii aut habilitatis ad dominium.* — Frequens mihi fuit occasio, in variis Galliæ regionibus, verbum faciendi cum iis variorum ordinum monialibus, quæ, ex instituto a sede Apostolica approbato, solemnia vota emittere deberent. Percunctatus autem quomodo votum suum paupertatis intelligerent, et an existimarent se adhuc, post emissam professionem, habiles remanere ad habendam seu acquirendam rei alicujus proprietatem, mihi responderunt, emitti a se paupertatis votum juxta totam constitutionum suarum vim; ita nempe ut alicui professæ obveniens hæreditas, nequaquam reputetur ad ipsam pertinere, quantumvis lex civilis, non communitati, sed moniali hæreditatem illam attribuat; nihil curare se quoad conscientiam, de legis civilis dispositione; obligatorium reputari paupertatis votum, quoad

Chaque sœur conserve la propriété de ses biens présents et à venir; mais elle peut en disposer conformément aux lois.

Digitized by Google

conscientiam, perinde ac si lex illa civilis non existeret; expleri quidem a singulis monialibus legis civilis formalitates, sed tanquam meras formalitates, non tanquam actus dominii; et quidem id a moniali peragi ex mandato superiorissæ, et eo modo qui ipsi a superiorissa præscribitur; nec ipsam existimare sibi ullum proprietatis jus competere in rem circa quam formalitates illas explet.

Hanc ego persuasionem generalem reperiens in dictis monialium Galliæ ordinibus, non potui quin minus veritati consona existimaverim supra memorata exposita, Romam transmissa, quibus incunctanter et universaliter assertum est, vovere moniales Galliæ cum *intentione* retinendi dominii, aut servandæ habilitatis ad dominium acquirendum.

Ut autem hujusce asserti falsitatem probare possem, aliter quam ex solo meo testimonio, scripsi ad præfatos conventus; a quibus responsa accepi, quæ dictam generalem persuasionem authentice testantur. Subjiciam primum epistolam meam, tum ex responsis ea quæ præcipue ad rem faciunt.

I. Epistola a me scripta : « Ma révérende Mère. — J'ai re-
« cours à votre obligeance pour être renseigné sur quelques
« points relatifs au vœu de pauvreté, que font les religieuses
« de votre ordre, dans leurs couvents de France.

« Comme vous le savez, la loi civile de notre pays n'ayant
« point égard à la profession solennelle, regarde vos reli-
« gieuses professes comme aptes à recueillir des héritages :
« devant la loi, elles en acquièrent la propriété, et peuvent
« en disposer à leur gré.

« Je voudrais savoir si vos religieuses, en faisant leur pro-
« fession, entendent se priver en tout ou en partie de ces
« droits que la loi civile leur attribue; et comment vous ins-
« truisez vos novices à cet égard.

« Pour plus de précision, je vous prie de vouloir bien rat-
« tacher vos renseignements aux questions suivantes :

« 1° La religieuse en faisant sa profession entend-elle s'o-
« bliger en conscience et devant Dieu à ne jamais disposer

Digitized by Google

« par sa propre volonté des biens qui seraient ou devien-
« draient *siens*, dans le sens de la loi ?

« 2° Un héritage arrivant à une professe, entendez-vous que
« cette professe devient véritablement et devant Dieu, *pro-*
« *priétaire* de cet héritage, et que le vœu de pauvreté l'o-
« blige seulement à n'en disposer que d'après la volonté de
« ses supérieurs ? — ou bien

« 3° Entendez-vous que cet héritage appartient à la *com-*
« *munauté*, et que la professe, quoique *propriétaire* devant la
« loi, ne l'est pas réellement et devant Dieu ; en sorte que
« les actes qu'on lui fait faire pour s'adapter aux exigences
« de la loi, ne soient pas de vrais actes de propriété, mais
« plutôt ceux d'un agent de la communauté ?

« 4° ...

« 5° Y a-t-il aujourd'hui, ou y a-t-il eu, que vous sachiez,
« dans vos couvents de France, depuis leur dernier rétablis-
« sement, *incertitude vague*, ou *divergence* dans la manière
« d'entendre le vœu de pauvreté, par rapport aux points ci-
« dessus ? Enfin

« 6° Entendez-vous faire le vœu de pauvreté dans le sens
« des constitutions de votre ordre, approuvées par le Saint-
« Siége ; en sorte que vous entendiez les obligations de ce
« vœu comme on doit les entendre, d'après la *teneur de ces*
« *constitutions ?*

« En d'autres termes, entendez-vous, en faisant profession,
« assumer *toutes les obligations*, qu'emporte le vœu de pau-
« vreté, *tel* qu'il a été établi dans les constitutions de votre
« ordre, approuvées par le Saint-Siége ?

« Il pourrait se faire que les autres points étant incertains
« dans votre esprit, ce dernier ne le fût pas... Veuillez, etc. »

II. Responsoria epistola superiorissæ conventus, N....:
« Mon Père. — J'ignorais que vous fussiez à Paris en ce mo-
« ment ; j'ai relu votre signature avec un double plaisir, et
« c'est de grand cœur que je vais répondre avec toute sim-
« plicité aux questions que vous me posez.

Digitized by Google

« 1re QUESTION. La religieuse, en faisant sa profession, en-
« tend-elle s'obliger en conscience et devant Dieu à ne jamais
« disposer par sa propre volonté des biens qui seraient ou
« deviendraient siens dans le sens de la loi? *Oui*.

« 2° Un héritage arrivant à une professe, entendez-vous
« que cette professe devient véritablement et devant Dieu
« propriétaire de cet héritage, et que le vœu de pauvreté
« l'oblige seulement à n'en disposer que d'après la volonté
« de ses supérieurs?

« R. La professe n'est pas propriétaire de cet héritage;
« elle n'y a pas plus droit que les autres Sœurs de la commu-
« nauté.

« 3° Entendez-vous que cet héritage appartient à la com-
« munauté, et que la professe, quoique propriétaire devant
« la loi, ne l'est pas réellement et devant Dieu, en sorte que
« les actes qu'on lui fait faire pour s'adapter aux exigences
« de la loi, ne soient pas de vrais actes de propriété; mais
« plutôt ceux d'un agent de la communauté? *Oui*.

« 4° ....

« 5° Y a-t-il aujourd'hui, ou y a-t-il eu, que vous sachiez,
« dans vos couvents de France, depuis leur dernier rétablis-
« sement, *incertitude vague*, ou *divergence* dans la manière
« d'entendre le vœu de pauvreté, par rapport aux points ci-
« dessus? R. Je ne le crois pas.

« 6° Entendez-vous faire le vœu de pauvreté dans le sens
« des constitutions de votre ordre, approuvées par le Saint-
« Siége, en sorte que vous entendiez les obligations de ce
« vœu comme on doit les entendre, d'après la teneur de ces
« constitutions? En d'autres termes, entendez-vous, en fai-
« sant profession, assumer toutes les obligations qu'emporte
« le vœu de pauvreté, *tel* qu'il a été établi dans les constitu-
« tions de votre ordre, approuvées par le Saint-Siége?
« R. *Oui*. Nous entendons ainsi le vœu de pauvreté, nous
« avons été formées à la vie religieuse suivant la pratique
« la plus exacte du vœu de pauvreté, telle que nos cous-

Digitized by Google

« titutions nous l'imposent, nous y formons de même les « autres.

« Lorsqu'une novice sur le point de faire ses vœux est « propriétaire d'une somme plus élevée que ce qu'elle veut « donner pour sa dot, elle nous fait savoir quelles sont les « œuvres qu'elle veut faire avec les fonds qui sont ou *seront* « à sa disposition; nous prenons alors envers elle l'engage- « ment de satisfaire à ses vues et intentions dans un temps « plus ou moins éloigné; c'est comme un testament que la « communauté est obligée d'exécuter en son temps... »

III. Alia responsoria epistola : « Comme vous me le dites, « Monsieur l'abbé, la dernière question est la plus claire et « la plus facile à résoudre. Oui, en faisant le vœu de pauvreté « nous entendons le faire dans le sens des constitutions de « notre ordre, approuvées par le Saint-Siége; nous en em- « brassons toutes les obligations telles qu'elles nous sont « marquées dans ces constitutions, qu'il vous suffira de con- « sulter pour connaître nos engagements.

« Cependant, pour satisfaire autant que nous le pouvons à « votre désir, nous allons, Monsieur l'abbé, reprendre suc- « cessivement vos différentes questions.

« Il est bien certain qu'en faisant profession, nous nous en- « gageons à ne jamais disposer par notre propre volonté « des biens qui pourraient devenir nôtres dans le sens « de la loi. Les lois civiles et les modifications qui peuvent « y être apportées n'ont aucunement le pouvoir de changer « la nature des engagements que nous contractons devant « Dieu; et avant de faire la sainte profession nous renonçons, « non-seulement à toute propriété, mais à l'usage et à la « disposition de tout ce qui pourrait nous revenir dans la « suite.

« Nous ne croyons pas qu'une professe recevant un héri- « tage en devienne propriétaire. Elle ne peut en disposer « que par la volonté de ses supérieurs, sans laquelle elle n'a « le droit ni de l'accepter, ni d'y renoncer, et devant Dieu

Digitized by Google

« elle n'a aucune propriété, quoiqu'elle doive agir en pro-
« priétaire devant la loi. Cela est si vrai que nos sœurs, en
« signant les actes pour lesquels leurs noms sont nécessaires,
« ne feraient même pas attention à ce qui est contenu dans
« ces actes, si la prudence ne l'exigeait pas, sachant bien
« qu'en donnant leur signature elles remplissent une simple
« formalité.

« Pour tout ce qui concerne ces sortes d'affaires, notre
« communauté a toujours agi avec un désintéressement très-
« grand. »

IV. Alia responsoria epistola : « S'il lui revient par héritage
« ou autrement un bien... ce bien est acquis à la commu-
« nauté. Ce sont les supérieurs qui décident de la destina-
« tion qu'il aura; et il entre dans la masse commune, aussi
« bien que la plus petite offrande remise dans le tronc ignoré
« de la chapelle. »

V. Alia responsoria epistola : « 1° La religieuse, en faisant
« profession, s'oblige en conscience devant Dieu à ne jamais
« disposer par sa propre volonté des biens qui deviendraient
« *siens* par la loi, parce que nos constitutions, approuvées par
« le Saint-Siége, s'expriment ainsi : Les novices seront aver-
« ties un peu avant leur profession, de disposer pour le pré-
« sent et pour l'avenir de ce qui peut leur revenir.

« 2° Un héritage arrivant à une professe, elle n'en dispose
« que selon la volonté des supérieurs.

« 3° L'héritage appartient à la communauté ou à telle
« autre destinataire, selon la volonté exprimée par la reli-
« gieuse lorsqu'elle était libre. Les actes qu'on lui fait faire
« ne sont pas alors de vrais actes de propriété...

« Toujours est-il que nos vœux se pratiquent avec la même
« fidélité et la même exactitude que dans les beaux jours de
« la vie monastique, et si la loi nous force à remplir certaine
« formalité, le fonds reste le même, et la pauvreté est des
« plus exactes. »

VI. Alia responsoria epistola : « D. 1° La religieuse, en fai-

Digitized by Google

« sant sa profession, entend-elle s'obliger en conscience et « devant Dieu à ne jamais disposer par sa propre volonté des « biens qui seraient ou qui deviendraient *siens* dans le sens « de la loi ?

« R. 1° Oui, mon très-révérend Père.

« D. 2° Un héritage arrivant à une professe, entendez-« vous que cette professe devient véritablement et devant « Dieu *propriétaire* de cet héritage, et que le vœu de pau-« vreté l'oblige seulement à n'en disposer que d'après la « volonté de ses supérieurs?

« R. 2° Non, mon Père, nous ne nous regardons jamais « comme *propriétaires* devant Dieu : notre vœu de pauvreté « ne nous le permettant pas.

« D. 3° Ou bien : Entendez-vous que cet héritage appar-« tient à la communauté, et que la professe, quoique proprié-« taire devant la loi, ne l'est pas réellement devant Dieu, en « sorte que les actes qu'on lui fait faire pour s'adapter aux « exigences de la loi, ne soient pas de vrais actes de pro-« priété, mais plutôt ceux d'un agent de la communauté?

« R. 3° Oui, mon Père...

« D. 5° Y a-t-il aujourd'hui, ou y a-t-il eu, que vous sa-« chiez, dans vos couvents de France, depuis leur dernier « rétablissement, *incertitude vague*, ou *divergence* dans la ma-« nière d'entendre le vœu de pauvreté, par rapport aux « points ci-dessus?

« R. 5° Nous l'ignorons, mon Père, aucun ne témoignant « de l'embarras sur ce point; sans doute nos sœurs s'en « tiennent, comme nous, aux règles et constitutions de notre « saint ordre.

« D. 6° Enfin, entendez-vous faire le vœu de pauvreté « dans le sens des constitutions de votre ordre approuvées « par le Saint-Siége; en sorte que vous entendiez les obliga-« tions de ce vœu comme on doit les entendre d'après *la te-« neur de ces constitutions?* En d'autres termes, entendez-vous, « en faisant profession, assumer *toutes les obligations* qu'em-

Digitized by Google

« porte le vœu de pauvreté, *tel* qu'il a été établi dans les « constitutions de votre ordre, approuvées par le Saint Siége?

« R. 6° Oui, mon révérend Père. »

Ex præmissis epistolis sic concludendum videtur : falsum est omnes Galliæ moniales, in emittenda professione, *intentionem* habere remanendi habiles ad dominium, juxta legis civilis dispositionem. Ii proinde viri Galliæ, qui pro variorum dubiorum solutione Romam scribentes, dictam intentionem tanquam certam quoad omnes generaliter Galliæ moniales asseruerunt, errasse dicendi sunt, et rem aliter ac erat exposuisse.

Et notetur hodiedum in multis Galliæ conventibus perseverare illam quam testamur persuasionem. Quidquid nempe iis monialibus dictum fuerit, a viris etiam gravissimis, de simplicitate votorum ab ipsis emissorum, id veluti theoricum quid prætermittentes, pergunt votum suum paupertatis ita intelligere, ut evadant ad cujuslibet rei retinendam aut acquirendam proprietatem prorsus inhabiles.

Propositio IIIª. — *Si romanæ declarationes omnes, quibus rescriptum est haberi ut simplicia monialium Galliæ vota relativæ fuerint ad dicta falsa exposita, iis non obstantibus, concludendum foret adhuc hodie in Galliis emitti a monialibus vota solemnia.* — Etenim supra probavimus, habenda pro solemnibus fore dictarum monialium Galliæ vota, nisi constaret de contraria sedis Apostolicæ voluntate : hæc autem contraria sedis Apostolicæ voluntas hucusque non aliter innotuit, quam per varias Sacræ Pœnitentiariæ aut aliarum Congregationum declarationes. Jam vero declarationes illæ, si relativæ tantum fuerint ad falsam hypothesim, id est ad casum qui non existit, nihil probant. Si nempe non declarent vota esse simplicia, nisi in hypothesi quod moniales omnes Galliæ *intendant* remanere ad dominium habiles, prout ab exponentibus falso asserebatur, non verificata hypothesi, applicandæ istæ decisiones non veniunt; nec probant inesse Romano Pontifici voluntatem, ut simplicia sint earum etiam Galliæ monialium vota, quæ intentionem habent sese reddendi ad dominium inhabiles.

Digitized by Google

PROPOSITIO IV^a^ — *Romanas declarationes non esse omnes intelligendas relative ad præfata falsa exposita, suadent saltem rationes gravissimæ.* — Cum enim de monialium Galliæ conditione frequenter a multis annis agi soleat, verisimile non est Romæ non innotuisse, quomodo et qua intentione moniales illæ professionem suam emittant. Nihilominus constanter responsum est, eas non haberi a sede Apostolica tanquam votorum solemnium professas, sed tanquam pias feminas, simplicibus duntaxat votis obstrictas. Id autem indicat absolutam sedis Apostolicæ voluntatem, ut moniales omnes Galliæ votorum solemnitate careant; et non tantum declarationem relativam ad falsam hypothesim, qua asserebatur *intendi* ab istis monialibus omnibus dominii retentionem. Præterea, in supra transcripta responsione Sacræ Pœnitentiariæ ad Cenomanensem Episcopum, 2 januarii 1836, expresse sic habetur : *Monasteria eadem*(nempe monialium Galliæ) *a sede Apostolica, attentis peculiaribus circumstantiis, non tanquam ordines vere et proprie religiosi, sed uti piissimarum familiæ feminarum æstimantur.* Verba hæc absolute proferuntur; nec dici possunt relativa ad falsam hypothesim, quod moniales omnes Galliæ intendant habilitatem ad dominium retinere.

Objicies. — Cum pluries antea Sacræ Pœnitentiariæ expositum falso fuisset, intendi a monialibus omnibus Galliæ, professionem emittentibus, habilitatis ad dominii retentionem, probabile est juxta illam hypothesim, et enatam inde apud Romanos Consultores persuasionem, Cenomanensi etiam Episcopo responsum fuisse; ita ut voces istæ *attentis peculiaribus circumstantiis*, intelligi etiam possint de hac supposita omnium monialium Galliæ *intentione*, retinendæ ad dominium habilitatis, ad terminos civilis legis.—Respondeo : interpretatio hæc mihi videtur sensui obvio citatæ declarationis difficile aptari posse. Unde omnino abstinendum duxi a propugnanda opinione illa, quæ præfatas declarationes *omnes* habens tanquam ad falsa exposita relativas, existimat hodie adhuc emitti a multis Galliæ monialibus solemnia vota.

Digitized by Google

Fateor tamen me in promptu non habere argumenta, quibus peremptorie confutari posse opinionem illam existimem. Quapropter enucleandam quæstionem relinquo iis scriptoribus, qui uberiorem hac de re documentorum copiam sibi comparare potuerunt.

§ VII.

Ostenditur monialium Belgii vota pro solemnibus esse habenda.

Agimus semper de iis duntaxat monialibus, quæ ex instituto suo a sede Apostolica approbato, solemnia vota emittere deberent; prout sunt moniales sanctæ Claræ, Visitationis, Carmelitanæ, et similes. Quo prænotato, sit

PROPOSITIO I^a. — *A solemnitate non deficiunt Belgicarum monialium vota, ex eo quod lex civilis incapacitatem dominii in ipsis non agnoscat.* — Id evincunt rationes, quibus supra idem probatum est quoad religiosorum et religiosarum Galliæ vota.

PROPOSITIO II^a. — *Neque repeti potest solemnitatis defectus, ex eo quod dictarum monialium conventus non fuerint legitime instaurati.* — Etenim supra adductæ rationes, quibus idem probavimus quoad regulares Galliæ, æque vel etiam magis applicandæ veniunt Belgicis conventibus, post sedatam anni 1793 politicam tempestatem instauratis.

PROPOSITIO III^a. — *Nec ideo solemnitate carent dictarum monialium vota, quod in emittenda professione intentionem habeant servandi dominium aut dominii capacitatem.* — Etenim mihi compertum est, ex testimoniis omnino fide dignis, vovere dictas moniales cum intentione sese reddendi ad cujuslibet rei dominium prorsus inhabiles. Dominium, si quod habeant, antequam profiteantur a se abdicant; persuasumque ipsis est, hæreditatem alicui moniali professæ obvenientem, nequaquam ad ipsam pertinere; imo nec communitati acquiri hæreditatem illam existimant. Illæsa enim apud ipsas per-

Digitized by Google

mansit observantia juris olim in Gallia et Belgio vigentis, quod *mortis civilis* nomine designatur; vi cujus scilicet hæreditates et legata, quæ religioso professo obvenissent, neque ipsi, neque ipsius communitati acquirebantur, sed consanguineis aut aliis juxta legis civilis ordinem, perinde ac si profitendo religiosus obiisset. Hinc praxis est in conventibus tam virorum quam monialium Belgii, ut, obveniente aliqua hæreditate, is cui hæreditas hæc per legem civilem attribuitur, puram et simplicem renuntiationem faciat. Unde monialis quælibet, statim ac professionem emisit, prorsus inhabilis reputatur, sive ad retinendum, sive ad acquirendum dominium. Dum autem dictam renuntiationem facit monialis, non tanquam actum dominii formalitatem illam explet, sed eo animo, ut bona hæc ad veros suos dominos pervenire valeant.

Propositio IV^a^. — *Nec deest solemnitas in votis dictarum Belgii monialium, ex defectu clausuræ.* — Huic enim clausuræ legi subjectas sese existimant, vi professionis suæ, et vi instituti in quo professionem emiserunt. Id autem sufficit ut salva sit votorum solemnitas. Quod enim obligatio hæc minus diligenter servetur, noxium quidem est et corrigendum; at solemnitatem votorum non tollit. Cæterum nullos in Belgio quoad clausuram irrepsisse alicujus momenti abusus existimo.

Propositio V^a^. — *Nisi sufficienter constet, velle sedem Apostolicam, ut dictarum Belgii monialium vota simplicia sint, pro solemnibus sunt habenda.* — Seclusa quippe hac sedis Apostolicæ voluntate, nulla allegari potest ratio ad asserendam ejusmodi votorum simplicitatem. Nam præter modo confutatas, nulla alicujus momenti excogitari posse videtur.

Ad voluntatem autem Pontificiam quod attinet, certum est ab illa pendere ut vota hæc simplicia sint. Sed quandiu non constat velle Romanum Pontificem, ut simplicia sint vota emissa in aliquo instituto, cum votis solemnibus antea approbato, perseverare solemnitas censenda est. Nam ejusmodi institutum approbando, semel pro semper tanquam solemnia sedes Apostolica acceptat vota omnia, quæ in eo instituto

Digitized by Google

rite emittentur. Ergo ut vota hæc in aliqua regione jam non sint solemnia, necesse est, ut, quoad eam regionem, sedes Apostolica declaret mutatam voluntatem suam, vi cujus fuerant hucusque solemnia. Et cum prior sedis Apostolicæ voluntas possideat, non debet supponi contraria, nisi de ea sufficienter constet. Ergo revera nisi sufficienter constet hanc esse hodie sedis Apostolicæ voluntatem, ut simplicia duntaxat emittantur a dictis Belgii monialibus vota, pro solemnibus vota hæc habenda erunt.

PROPOSITIO VI^a. — *Non constat esse voluntatem Romani Pontificis, ut simplicia duntaxat vota a dictis Belgii monialibus emittantur.* — Quoad moniales Galliæ sufficienter innotuisse dictam sedis Apostolicæ voluntatem, fortiter saltem innuunt Sacræ Pœnitentiariæ declarationes supra memoratæ. At quoad Belgium, non item. Nam Romanæ declarationes quæ Belgium respiciunt, aliæ simplicitatem, aliæ solemnitatem votorum adstruere videntur; et sic rem incertam relinquunt. Ad quod patefaciendum, satis erit varia ejusmodi responsa ordine chronologico recensere.

1° In rescripto S. Pœnitentiariæ 20 novembris 1820 (relato supra, parte 3, sect. 3, subsect. 1, cap. 3, argum. 5, n. 8), expresse tanquam solemnia habentur vota ante dictum annum emissa a canonissis sancti Augustini, *a Barlaymont* nuncupatis, quarum conventus Bruxellis exstat. En rescripti verba: *Dans ce décret* (1) *mentionné plusieurs fois, et dans la lettre susdite* (2), *l'empêchement qu'on met a l'émission des vœux solennels ne regarde pas les anciennes professes, qui ne doivent plus faire des vœux, mais les nouvelles religieuses qui en feront dans la suite. Donc, si à cause des circonstances on a quelque égard au décret et à cette lettre, les anciennes religieuses ne doivent pas craindre qu'elles ne paraissent par là se détruire elles-mêmes et renoncer à*

(1) Nempe decretum gubernii Gallicani 18 februarii 1809, quo unicuique monali tribuitur bonorum suorum proprietas et libera administratio, et prohibentur perpetua vota.

(2) Nempe epistola ministri cultuum.

Digitized by Google

leurs vœux solennels. Ergo anno 1820, ne in dubium quidem vocabat S. Pœnitentiaria, num solemnia essent Belgicarum monialium vota, hucusque emissa.

2° Consonat aliud ejusdem S. Pœnitentiariæ responsum anni 1852, cujus hæc fuit occasio : novitia quædam, tentationi obsequens, clam omnibus, deposita veste regulari, e monasterio suo evasit, cum animo non amplius redeundi. Mox vero, facti pœnitens, regreditur; et fugam suam, quæ adhuc in monasterio ignorabatur, superiorissæ suæ manifestat. Interrupto anno tyrocinii, inchoandus erat denuo novitiatus. Quapropter ad Sacram Pœnitentiariam recurritur; quæ, quoniam tam exitus quam reditus occultus fuerat, dispensationem concessit in anno novitiatus. Certo ad me testimonio perlata fuit facti hujus notitia. Probat autem persuasum Sacræ Pœnitentiariæ fuisse solemnia emitti a Belgicis monialibus vota. Si enim simplicia illa reputasset, non concessisset dispensationem, sed respondisset ad valorem simplicium votorum nequaquam requiri integrum novitiatus annum.

3° Anno 1854 ad S. Pœnitentiariam facto recursu, pro facultate mutandi nonnullas dispositiones testamenti, a moniali quadam Belgica, ante professionem suam conditi, rescriptum est in hunc modum : *S. Pœnitentiaria, consideratis expositis, respondet, quod vota monialium in Gallia et Belgio habentur ut simplicia; et ideo oratrix rem agat cum Ordinario, et ejus judicio se dirigat. Datum Romæ in Sacra Pœnitentiaria, die* 2ª *decembris* 1854. Præ manibus habeo ipsum authographum instrumentum, S. Pœnitentiariæ sigillo munitum; ex quo ipse propria manu præmissa verba transcripsi. Ante illud rescriptum, nulla, quod sciam, in hunc sensum decisio quoad Belgium prodierat. Quod autem cum duobus præcedentibus haud cohæreat, per se patet. Videtur autem decisio illa occasionem dedisse sat arduo sequenti dubio, quod S. Pœnitentiaria decidere noluit, sed (quod forte ipsa anceps hæreret) S. Congregationi Episcoporum et regularium remisit. Nempe,

4° A quodam Belgicarum monialium confessario, Eminen-

Digitized by Google

tissimo Cardinali S. Pœnitentiariæ præfecto directæ sunt sequentes litteræ : « Eminentissime ac Reverendissime prin-
« ceps, — Confessarius monialium ordinis regularis, a S. Sede
« olim expresse approbati, ea qua par est reverentia recurrit
« ad Eminentiam Tuam Reverendissimam pro solutione dubii
« urgentissimi et gravissimi.

« Nuper scilicet innotuit dictis monialibus, illarum vota
« non esse solemnia, sed Romæ haberi tanquam mere sim-
« plicia.

« Subito exorta est in monasterio maxima animorum per-
« turbatio : bona enim fide vota sua emiserant, in eorum ac-
« curata observantia hactenus perseverarant, sciebant mo-
« nasterium suum nunquam in mediis turbinibus amisisse
« conventualitatem, sed successione nunquam interrupta in
« eodem statu permansisse : votum paupertatis ad hanc usque
« diem tam fideliter servaverunt, ut quidquid titulo legum
« civilium obvenerit, semper et constanter, premente etiam
« maxima penuria, tanquam rem alienam repudiaverint. Unde
« conclamaverunt se hactenus fuisse turpiter delusas et in-
« juste deceptas. Et quoniam nunquam habuerunt volun-
« tatem et intentionem emittendi vota simplicia, sed con-
« stanter voluerunt solemniter profiteri, secundum regulam
« ordinis sui, a S. Sede approbati, aliquæ, præsertim juniores,
« declararunt tum præpositæ monasterii, tum confessario,
« se deinceps esse liberas et ab omni obligatione regulari
« solutas : adeoque obedientiam antistitæ suæ denegant, cum
« eadem agere intendunt ad obtinendum dotis suæ restitu-
« tionem, imo timendum est, ne cum maximo fidelium scan-
« dalo et familiarum detrimento, in animi desperationem
« actæ, matrimonia attentent.

« Confessarius discolis hactenus respondit, opinionem de
« invaliditate professionis solemnis vigere quidem in Gallia,
« sed neutiquam in Belgio, et obligationem certam incertis
« vanisque rumusculis non debere convelli ; promisit insuper
« se consilia collaturum cum Ordinario.

Digitized by Google

« Sed obstinatæ moniales reposuere Ordinarium nullam « auctoritatem habere ad controversiam componendam; se « velle stare soli decisioni Romani Pontificis : si professio sua « solemnis non est, nihil prorsus est, quandoquidem mens « nunquam fuit emittere vota simplicia, quæ facile solvi « possunt et absolutam renuntiationem sæculi non indu- « cunt.

« Suspicatur etiam confessarius aliquos de clero viros « istiusmodi ratiocinia monialibus præcinisse; quinimo iidem « suggessisse videntur, ut lites intricatissimas excitent fami- « liis, quatenus monialibus restituant partem variarum hære- « ditatum, quæ ipsis obvenissent, nisi quod persuasæ fuerint, « sibi, facta professione solemni, nihil juris fuisse aut esse ad « hæreditates sive testamentarias, sive ab intestato.

« Quapropter cum omni fiducia, sed pressus etiam ingenti « anxietate recurrit confessarius orator ad Sacram Pœniten- « tiariam, ut sciat quid sibi agendum sit in re tam gravi, et « præsertim, an invalidata professione solemni, omnino et « necessario urgenda sit obligatio trium votorum simplicium, « quæ nunquam emittere intenderunt.

« Tandem obtinuit confessarius, ut omnia tranquille et « more consueto procederent, usque ad hebdomadam qua- « tuor temporum Quadragesimæ, quo intervallo sperat se « decisionem Romanam obtenturum. »

Die 31 januarii 1855, expeditum est rescriptum tenoris sequentis : *Sacra Pœnitentiaria, perpensis expositis, respon- dendum censuit, quod orator, de consensu monialium recurrat pro opportuno remedio ad S. Congregationem Episcoporum et regu- larium, per medium agentis in Urbe deputandi. Datum Romæ in S. Pœnitentiaria, die* 31 *januarii* 1855.

Illud pariter rescriptum ex autographo instrumento ipse transcripsi.

Quid S. Congregatio Episcoporum et regularium respon- derit, non vidi : sed ad me perlatum est, remisisse dictæ S. Congregationis Eminentissimos Patres, ad emanatas S. Pœ-

Digitized by Google

nitentiariæ declarationes. Quæ cum, ut vidimus, variæ fuerint, incertam rem adhuc relinquere videntur.

PROPOSITIO VII^a. — *Concludenda est votorum a prædictis Belgii monialibus emissorum solemnitas.* — Sequitur ex præmissis propositionibus. Hoc ipso nempe quod non constet de Pontificia voluntate, vota hæc jam pro solemnibus non acceptante, perseverare censenda est prior sedis Apostolicæ voluntas; qua scilicet instituta hæc approbando, semel pro semper tanquam solemnia acceptavit vota omnia, quæ in iisdem institutis rite emitterentur. Unde ex parte Pontificiæ voluntatis, non est cur a solemnitate defecisse existimentur. Aliunde nec ex aliis rationibus, quæ excogitari possunt, deneganda est solemnitas; prout rationes illas recensendo probavimus. Ergo revera pro solemnibus habenda sunt dictarum Belgii monialium vota.

§ VIII.

Moniales Galliæ, quæ ex instituto a sede Apostolica approbato solemnia vota emittere deberent, etiamsi simplicia duntaxat (ob dictam Pontificiam voluntatem) hodie emittant, status religiosi essentiam habere censendæ sunt.

Nam ad status religiosi essentiam non requiritur votorum solemnitas; sed stare potest tota status religiosi ratio cum votis simplicibus. Id expresse definivit Gregorius XIII quoad scholasticos societatis Jesu, quos, etsi votis simplicibus duntaxat ligatos, pro veris et proprie dictis religiosis esse habendos laudatus Pontifex declaravit.

Ut autem adsit status religiosi essentia cum tribus votis simplicibus, sufficit, ut vota hæc perpetua sint, et nomine Ecclesiæ rite acceptentur. Jam vero id non deest in monialium institutis, de quibus loquimur. Fuerunt, ex hypothesi, instituta hæc approbata, et facta etiam fuit semel pro semper legitimis superioribus facultas, vota in iis emittenda, Dei et Ecclesiæ nomine acceptandi. Quamvis autem cessaverit sedes

Digitized by Google

Apostolica vota hæc, in recentibus Galliæ conventibus emissa, pro solemnibus acceptare, non ideo desiit eadem instituta in cæteris approbare; neque item revocata est facultas, legitimis superioribus initio data, Dei et Ecclesiæ nomine vota in iis institutis emissa acceptandi. Unde nulla est ratio cur dictæ Galliarum moniales a status religiosi essentia dejectæ censeantur. Hinc pro veris et proprie dictis *religiosis* habendæ sunt, in *stricto* hujus vocis sensu : non tamen tales sunt in quodam alio *strictiori* sensu, frequenter usurpari solito, quo nempe voce illa *religiosorum* ii soli designantur, qui per vota solemnia professionem emiserunt.

CAPUT II.

AN MONIALES GALLIÆ, QUÆ EX INSTITUTO TRIA VOTA SIMPLICIA IN PERPETUUM EMITTUNT, STATUS RELIGIOSI ESSENTIAM HABEANT?

Prænotanda. — 1° Correlativum est moniales simplicia duntaxat vota emittere, et ad clausuram *de jure communi* non teneri. Etenim ecclesiasticæ leges clausuram decernentes, non agunt nisi de monialibus per solemnium votorum emissionem profitentibus. Hinc etsi aliquæ monialium congregationes, solemnibus votis carentes, clausuram servent, non tamen ad eam vi legis ecclesiasticæ, sed tantum ex propriæ regulæ præscripto, obligantur. Quæ propterea dicuntur *Papalis clausuræ* legi non subjacere.

2° Quod non in Gallia duntaxat et recentioribus temporibus exstiterint ejusmodi sanctimonialium congregationes, votis solemnibus et Papalis clausuræ lege expertes, palam faciunt sequentia verba Cardinalis de Luca, quæ insuper ad illustrandam earumdem canonicam conditionem haud parum prodesse visa sunt. Sic nempe adnotat laudatus Cardinalis (*de Regularibus*, discursu 1, n. 126 et seq.) : « Moniales, quæ « virgines Deo sacratæ, vel sanctimoniales, in utroque jure

Digitized by Google

« appellantur, vere et proprie illæ sunt, quæ cum solemni « trium votorum substantialium emissione, matrimonium « spirituale, quod per professionem contrahi dicitur, Christo « desponsatæ sunt; prævio integro probationis anno, ac in « legitima ætate, eo modo, quo in viris religiosis professis, ex « canonum et concilii Tridentini decretis requiritur ad hujus- « modi regularis status immutationem, ac impressionem. Illæ « siquidem mulieres, quæ virginitatem, vel castitatem Deo « offerentes, atque sub aliquo instituto ab Ecclesia approbato, « more monialium vivunt, adeo ut vulgo moniales pariformiter « nuncupentur ac existimentur, professionem tamen « cum dictorum votorum solemnitate non emittunt, neque « formalem novitiatum peragunt, *oblatæ* potius quam moniales « censendæ sunt: quæstione cadente, an licet non sint per- « sonæ *religiosæ*, attamen personæ *ecclesiasticæ* reputari de- « beant, quoad fori ac legum, et onerum laicalium exemptio- « nem; quod certam non recipit regulam generalem cuicun- « que casui applicabilem, ob institutorum hujusmodi varieta- « tem, diversamque regionum, seu principatuum observan- « tiam, cui desuper minime deferendum videtur.

« Quamvis etenim (cessantibus privilegiis explicitis, vel « illis implicitis, quæ vigore immemorabilis, vel centenariæ « scriptionis bene probatæ, allegare licet) certa sit Ordinarii « loci jurisdictio ordinaria vel delegata, super visitatione ac « recognitione hujusmodi adunantiarum mulierum (quibus « scholarum, vel conservatoriorum seu templorum nomen « congruit, ac etiam, ex vulgari usu, monasteriorum) attamen, « hoc jure secluso, in reliquis, an personæ sæculares, vel eccle- « siasticæ censendæ sint, ex singulorum casuum, seu locorum « qualitate, ac circumstantiis pendet, attentis præsertim legibus « fundationis, aliaque lege, quam observantia producit; « ideoque respectu istarum mulierum, quæ vere moniales ac « personæ religiosæ non sint, sive collegialiter cum formali « clausura, sive absque clausura vivant, super hujusmodi visi- « tatione, vel recognitione quæstiones frequenter audiuntur,

Digitized by Google

« etiam in Sacris Congregationibus Concilii et Immunitatis;
« frequentius vero in ista Regularium, quæ aliquando hujusmodi
« adunantiarum dissolutionem demandare solet, mulieres ad
« proprias domos transmittendo, quando facti circumstantiæ
« ita suadeant.

« Cumque dos a matrimonio carnali vel spirituali nomen
« ac essentiam recipit, illaque sine uno vel altero matri-
« monio non detur, hinc proinde, quemadmodum in istis
« mulieribus, quamvis cælibem vitam collegialiter in habitu
« monastico ducentibus, nullum dignoscitur matrimonium,
« ita quoque dotatæ dici non possunt, quamvis ad instar mo-
« nialium, sub nomine dotis, certa summa in ingressu sol-
« vatur loco; quoniam in effectu non est dos, sed quædam
« alimentorum assignatio ad sustentationis recompensam;
« adeo ut pia legata quæ pro dotalibus subsidiis monialium
« facta sunt, hujusmodi mulieribus non congruere Sacra Con-
« cilii Congregatio in facti contingentia decreverit.

« Posita igitur qualitate formalis monasterii ac monialium
« per veritatem, ut supra (quidquid sit in aliquibus regio-
« nibus ultra montes, in quibus aliquarum canonissarum
« usus absque clausura adhuc retinetur, quæ tamen sæcu-
« lares potius reputantur) quatenus pertinet ad mores præ-
« sertim Italiæ, non datur hodie hujusmodi monialium pro-
« fessarum usus, nisi viventium in monasteriis, sub formali
« perpetua clausura; cum ea monasteria, in quibus illam
« non servari praxis docet, vere monasteria non sint, sed
« potius conservatoria, ipsæque mulieres non moniales, sed
« oblatæ.

« Ut est præsertim celebre monasterium Turris speculorum
« Urbis, ad cujus instar, pleraque alia per Italiam et extra,
« erecta sunt, et quod tanquam exemplar communiter DD. de
« hac materia agentes, allegare solent; cum in eo mulieres
« primariæ nobilitatis exemplarissime sub nimium austero
« instituto vivant, fundatricem habentes sanctam Franciscam
« Romanam; et tamen revera moniales, ac personæ religiosæ

Digitized by Google

« non sunt, quamvis ecclesiasticæ censeantur. » Quibus prænotatis sit

PROPOSITIO I^a^. — *Ejusmodi moniales, utpote absque clausura et votis solemnibus in congregatione viventes, habendæ sunt, etiam hodie, tanquam toleratæ duntaxat, non autem tanquam approbatæ.* — Id probavimus supra (parte 3, sectione 1, capite 2, § 2). Et notetur hoc verum remanere, etiamsi sedes Apostolica regulas et vivendi modum alicujus e dictis congregationibus approbet atque confirmet; quia confirmatio et approbatio hæc non solet iis monialibus concedi, nisi cum clausula *citra approbationem conservatorii*. Quæ clausula ideo apponitur, ut moniales illæ remaneant in conditione *meræ tolerantiæ*, et sancti Pii V constitutionibus, congregationes illas prohibentibus, in totum non derogetur; prout loco citato satis ostendimus.

PROPOSITIO II^a^. — *Dictæ moniales Galliæ, quamvis duntaxat toleratæ, essentiam status religiosi habere censendæ sunt.* — Id pariter probatum remanet ex dictis supra (parte 3, sectione 1, capite 2, § 3).

PROPOSITIO III^a^. — *Præcedens conclusio applicanda etiam est novæ alicui prædictarum monialium congregationi, de sola Episcopi licentia, absque sedis Apostolicæ assensu erectæ.* — Probavimus supra (parte 2, sectione 1, capite 2, § 2, propositione 4), prohibitas esse, de jure communi, novas congregationes absque sedis Apostolicæ facultate erectas, quamvis simplicia duntaxat vota ex instituto emittere debeant. Ibidem autem (§ 3, puncto 3) expendimus an legitima evaserit consuetudo contraria, in Galliis vigens, qua solent ejusmodi novæ monialium congregationes, de sola Ordinariorum licentia erigi; et affirmativam sententiam propugnavimus. Sed quidquid sit de liceitate hujusmodi erectionis, diximus (§ 5) hasce congregationes, sic de sola Ordinarii licentia erectas, pro toleratis saltem esse habendas.

Jam vero tolerantia hæc sufficit, ut defectus approbationis Pontificiæ status religiosi essentiam non impediat. Aliunde

Digitized by Google

autem hisce congregationibus non desunt aliæ ad status religiosi rationem requisitæ conditiones; siquidem, ex hypothesi, habent triplex perpetuum votum, quod et a legitimis superioribus acceptatur. Ergo et in dictis congregationibus agnoscenda est status religiosi essentia. Nec obstat supra citata Cardinalis de Luca assertio, ejusmodi scilicet moniales non esse personas *religiosas :* nam ibi laudatus auctor *religiosarum* vocabulum sumit in *strictiori* illo sensu, quo nomine hoc designari peculiariter solent moniales per solemnia vota professæ. Cæterum non requiri votorum solemnitatem ad status religiosi essentiam, seu ut personæ sint, vere et proprie *religiosæ*, omnino certum est, et (ut toties diximus) fuit a Gregorio XIII quoad scholasticos societatis Jesu definitum.

CAPUT III.

DE MONIALIBUS GALLIÆ, QUÆ EX INSTITUTO TRIPLEX PERPETUUM VOTUM NON EMITTUNT.

Ex principiis sub prima tractatus parte expositis, certum est stare non posse religiosi status essentiam absque triplici perpetuo voto castitatis, paupertatis et obedientiæ. Ex quo rigorose concludendum venit, a status religiosi essentia deficere eas omnes monialium congregationes, in Gallia numero plurimæ, quæ, vel nullum ex instituto votum emittunt, vel ad tempus duntaxat vovent, vel uno aut altero perpetuo voto, non autem triplici, sese obstringunt. Moniales ergo illæ religiosis, personis nequaquam accensendæ sunt.

Nota. — Si quoad aliquam congregationem, triplex perpetuum votum habentem, cautum fuisset ut a nullo vota hæc acceptarentur, etiam hæc congregatio a status religiosi essentia deficeret. Illa enim acceptatio, Dei et Ecclesiæ nomine facta, una est e conditionibus ad dictam status religiosi essentiam requisitis; prout superius probatum fuit. Et hinc est,

Digitized by Google

ut jam alibi notavimus, quod Lazaristæ sint de corpore *cleri sæcularis*, quamvis triplex perpetuum votum emittant. In approbando enim ipsorum instituto, expresse disposuit Romanus Pontifex, ut a nemine ipsorum vota sedis Apostolicæ et congregationis nomine acceptarentur.

Digitized by Google

PARS IV

NORMA CANONICA STATUM RELIGIOSUM INGREDIENDI

SEU

DE NOVITIATU ET PROFESSIONE.

Statum religiosum ingredi volentibus duplex olim patebat vitæ forma, cœnobitica nempe et solitaria : hodie vero unica tantum, nimirum cœnobitica. Cum enim Ecclesia prohibuerit quamlibet vitæ religiosæ formam a se non approbatam, atque aliunde solitariæ vitæ professionem approbare jamdudum desierit, consequens est ut professio hæc illicita remanserit. Quod autem ex Ecclesiæ dispositionibus evasit illicitum, jam nequit esse *status perfectionis*, et consequenter nec *status religiosus*.

Hinc, prætermissa vita solitaria, quæ sub præsenti tractatus parte expendenda veniunt de modo canonico statum religiosum ingrediendi, omnia ad collegialem vitæ religiosæ formam referemus. Cum autem statum religiosum, in ejusmodi approbatis vitæ cœnobiticæ institutis, canonice ingredi, nihil aliud sit quam, legitime peracto novitiatu, rite seu canonice professionem emittere, in exponendo circa novitiatum et professionem communi jure, tota præsens disceptatio versabitur.

Digitized by Google

SECTIO I.

De Novitiatu.

Dicemus 1° quibusnam personis a jure permittatur vel prohibeatur ingressus in religionem; 2° de ætate sive ad novitiatum sive ad professionem requisita; 3° ad quem pertineat novitios admittere; 4° quænam informationes capiendæ sint antequam admittantur; 5° de novitiatus duratione, loco, et habitu; 6° de jure novitiorum quoad facultatem disponendi de bonis suis temporalibus; 7° de ipsorum jure quoad beneficia sua; 8° quorumnam jurisdictioni subjaceant; 9° de ipsorum privilegiis et de potestate eos ordinandi; 10° de ipsorum obligationibus.

CAPUT I.

QUIBUSNAM PERSONIS A JURE PERMITTATUR VEL PROHIBEATUR INGRESSUS IN RELIGIONEM.

Non agimus hic de personis quæ excluduntur ex jure *particulari* alicujus instituti religiosi, sed duntaxat de iis, quæ lege universali Ecclesiæ ab ingressu religionis prohibentur. Cum enim possit quilibet ordo religiosus constitutionibus suis varias ejusmodi incapacitates seu impedimenta, præter jus commune, statuere, si vellemus et de iis disserere, percurrenda nobis forent varia in variis religionibus hac de re decreta; quod ab hujus tractatus scopo alienum est. Unde mox subjicienda enumeratio personarum ab ingressu religionis prohibitarum, intelligenda est duntaxat relative ad jus

Digitized by Google

commune. Cum autem in Gallia recentioribus temporibus haud pauci opinati sint, non licere clericis religionem ingredi absque Episcopi approbatione, imo et quandoque ad praxim falsa hæc opinio deducta fuerit, speciali paragrapho, pro rei gravitate, errorem hunc explodemus. Notandum insuper, satis cognosci personas quibus pateat ad religionem ingressus, per enumerationem earum quæ ab eodem ingressu prohibentur. Est enim regula generalis, omnino certa et tenenda, posse religiosos effici christianos omnes, qui jure non prohibentur (vide Schmalzgrueber, in titulum 31 *de regularibus*, libri 3 decretalium, n. 23). Quibus prænotatis, sit

§ I.

Enumerantur personæ ab ingressu religionis jure communi prohibitæ.

I. De Episcopis. — Certum est Episcopum jam consecratum, et etiam solummodo confirmatum, non posse religionem ingredi, absque Romani Pontificis licentia Constat capite *licet* (18 *de regularibus*), capite *inter* (2, *de translatione Episc.*), capite *nisi cum pridem* (10, *de renuntiatione*). « Nam « hic, inquit Schmalzgrueber, Ecclesiam suam, propter vin- « culum spiritualis matrimonii, quod inter eam et ipsum in- « tercedit, inscio aut non consentiente Papa, non potest « deserere. » (In titulum *de regularibus*, n. 24.)

Ad quæstionem, *quando Pontifex Episcopo dare possit aut soleat licentiam ingrediendi religionem ?* respondet laudatus Schmalzgrueber in hunc modum : « Respondeo : iis casibus, « quibus Episcopus renuntiare potest episcopatui. Tales au- « tem (capite *nisi cum pridem, de renunt.*) enumerantur sex : « *primo* conscientia criminis; non tamen cujuscunque, sed « talis duntaxat propter quod executio officii, etiam post per- « actam pœnitentiam impeditur; *secundo,* debilitas corporis, « per quam impotens redditur ad exequendum officium pa- « storale ; *tertio,* defectus scientiæ necessariæ ad spiritualium

Digitized by Google

« et temporalium administrationem, si facile tolli nequeat;
« *quarto*, malitia plebis, quæ ita duræ cervicis existat, ut pro-
« ficere nequeat apud ipsam; *quinto*, grave scandalum po-
« puli, quod aliter sedari non possit : *sexto*, irregularitas
« personæ non dispensabilis. Quibus addi *septimus* casus po-
« test, si facile haberi possit alius, qui æque bene profuturus
« credatur Ecclesiæ. »

« Extra hos casus et causas, Papa Episcopo ingressum re-
« ligionis concedere non solet, nec de jure debet, etsi hoc
« petat Episcopus ex desiderio majoris perfectionis propriæ;
« quia totius populi diœcesani bonum commune præferri de-
« bet privatæ ipsius Episcopi utilitati, ut docet sanctus
« Thomas (2, 2, q. 185, art. 5), Suarez (tom. 3, *de religione*,
« l. 1, cap. 20, n. 7), Palaus (tract. 16, p. 7, § 1, n. 3 et 4),
« Wiestner... »

« Proceditque hoc etiam de Episcopis titularibus aut rele-
« gatis; quia et ipsi alligati sunt certæ Ecclesiæ, etsi per ac-
« cidens ob infidelium occupationem, vel ob tyrannorum
« persecutionem, non possint actu præesse episcopatui...;
« nisi forte impedimentum sit perpetuum, sine spe aliquando
« recuperandi episcopatum. » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 31 et seq.)

II. De conjugatis. — Distingendum est matrimonium ratum et consummatum, a matrimonio rato non consummato.

1° *Casus matrimonii rati et consummati.* — Generalis et certa regula est conjugatos, post matrimonii consummationem, ab ingressu religionis prohiberi. Nec attendenda in hoc est lex Justiniani imperatoris (novella 123, cap. 40), quæ unicuique conjugum religionem ingrediendi facultatem concedebat, et liberas alteri conjugi novas nuptias faciebat. In hac enim re sicut et in multis aliis, potestatis suæ limites excessit Justinianus. Unde semper pro nulla et irrita habita est illa præfati imperatoris dispositio, utpote ab incompetenti auctoritate facta (cum de materia sacra et ecclesiastica agatur), et Ecclesiæ legibus contraria.

Digitized by Google

Nihilominus dicta generalis regula triplicem admittit exceptionem. *Prima exceptio* est, si alter conjux consentiat. Tunc autem nequaquam dissolvitur matrimoniale vinculum, nec potest proinde alter conjux ad novas nuptias convolare. Imo jure canonico statutum est ut, si juvenis sit, vel suspectus de incontinentia, debeat et ipse religionem ingredi; sin vero senex et extra dictam suspicionem, potest in sæculo remanere cum simplici continentiæ voto (indicatos juris textus vide apud Schmalzgrueber, in titulum *de conversione conjug.*, n. 19). Si forte contingeret a conjugato vel conjugata emitti professionem religiosam, nescia vel invita parte altera, non valeret professio ut talis; sed valeret ut votum simplex continentiæ. Ac proinde pars quæ id fecisset, debitum non posset petere, quamvis reddere teneretur. Dubium autem non est, quin deberet e conventu egredi, et ad conjugem revocantem reverti (vide hæc probata apud Schmalzgrueber, loco citato, n. 24 et 25) (1). *Secunda exceptio* est si alter conjugum adulterium patraverit. Tunc scilicet pars innocens potest, invita etiam altera, religionem ingredi, atque in ea valide profiteri. Remanet tamen matrimoniale vinculum, ita ut nequeat pars adultera ad novas nuptias convolare. *Tertia exceptio* est, si alter conjugum in hæresim vel apostasiam lapsus sit, et monitus in errore suo pertinaciter perseveret. Tunc etiam licitum est conjugi innocenti religionem ingredi; quin tamen possit alter novum matrimonium valide contrahere.

2° *Casus matrimonii rati non consummati*. — Certa est regula, posse unumquemque conjugum, ante matrimonii consummationem, religionem ingredi et professionem valide emittere. Nec minus certum est solvi tunc matrimoniale vinculum; ita ut possit alter conjux ad novas nuptias convolare. Ne autem pars, quæ de ingredienda religione deliberat, propositi executionem, et debiti conjugalis redditionem ad nimium tempus protrahat, lege ecclesiastica præfixum ei fuit bimestre, intra

(1) Ibidem reperies plures alios casus, qui solent a moralistis expendi.

Digitized by Google

quod spatium, si religionem non sit ingressa, tenetur, exigente conjuge, matrimonium consummare (capite *ex publico, de conversione conjugatorum*). Oriuntur autem, quoad modum illas juris dispositiones intelligendi, nonnulla dubia, quorum solutionem a doctoribus communiter receptam, breviter subjungimus.

Primum dubium : A quo tempore dictum bimestre currere incipiat? — Aliqui dixerunt, a die contracti matrimonii. Sed magis recepta sententia quæ tenet computandum a die præfixionis termini, per judicem factæ (vide Schmalzgrueber, in titulum *de conversione conjugatorum*, n. 3).

Secundum dubium : An per dictum bimestre debitum denegare possit conjux, quamvis non proponat religionem ingredi? — Probabilior sententia quæ negat (vide ibidem, n. 4 et 5).

Tertium dubium: An dictum bimestre intelligendum sit eo sensu, quod volens religionem ingredi, intra illud tempus professionem emittere debeat; an vero eo sensu, quod possit toto bimestri deliberare, et ultimo etiam bimestris die conventum ingredi, ibique per annum in novitiatu manere, et postea profiteri? — Tenendum est concedi bimestre in posteriori sensu, quidquid olim in contrarium aliqui canonistæ disputaverint. Hinc conjux in sæculo remanens, tenetur expectare donec expletus fuerit novitiatus annus et emissa professio; nec potest antea matrimonium aliud valide contrahere. Imo si vir ingrederetur societatem Jesu, teneretur sponsa expectare per duos annos; quia in hoc ordine, duobus annis tyrocinium constat. Quamvis autem in dicta societate post expletum novitiatum simplicia duntaxat vota emittantur, solvitur matrimonii rati vinculum, ob Gregorii XIII constitutionem, quæ iis votis, quoad matrimonium, eumdem effectum alligari voluit, ac votis solemnibus.

Quartum dubium : An transacto bimestri, si nondum fuerit consummatum matrimonium, possit adhuc fieri ad religionem transitus? — Respondendum affirmative; « sive causa, quare « consummatum non sit matrimonium, fuerit quia alter con-

Digitized by Google

« jux non petiit, sive quia alter, cum petitum ab ipso fuisset, « negavit... Quia etsi post lapsum bimestre debitum negans « conjugi peccet, jus tamen ingrediendi religionem adhuc « retinet, utpote quod Christus, intuitu religionis, conju- « gibus quandiu matrimonium nondum est consummatum, « sine temporis determinatione concessit.» (Schmalzgrueber, in tit. *de conversione conjugatorum*, n. 9.)

Quintum dubium : Num matrimonium ratum per ingressum alterius conjugum in religionem, dissolvatur statim post admissionem ejus ad novitiatum, an vero duntaxat post ejus professionem?—Certum est non dissolvi nisi per professionem valide emissam (vide citatum auctorem, ibid. n. 17 et 18).

Dubium sextum : An facultas transeundi ad religionem post matrimonium ratum, non consummatum, intelligenda etiam sit de transitu ad congregationes religiosas, in quibus simplicia duntaxat vota emittuntur? — Respondendum negative; tum quia ubi jura loquuntur de ingressu in religionem, intelligenda sunt de religionibus ubi fit professio per tria solemnia vota ; tum quia in dictis congregationibus, hoc ipso quod non habeant (ex hypothesi) nisi vota simplicia, non solveretur matrimonii rati vinculum ; et sic altera pars in sæculo remanens, nunquam posset aliud matrimonium valide contrahere. Porro jus habet pars in sæculo remanens, ut, vel solvatur per professionem religiosam matrimonium contractum, vel conjux ad se redeat.

Hinc non posset hodie mulier, post matrimonium suum ratum non consummatum, ingredi conventum aliquem monialium Galliæ, etiam earum quæ ex instituto suo vota solemnia emittere deberent ; prout sunt Carmelitanæ, Visitandinæ et similes. Nam, ut supra vidimus, pluries a S. Pœnitentiaria declaratum est, earum monialium Galliæ vota pro simplicibus duntaxat a sede Apostolica æstimari. Nec obstat opinio supra memorata, contendens declarationes illas relativas fuisse ad falsa exposita, proindeque pro solemnibus hodiedum habenda esse vota dictarum monialium Galliæ ; nam quantumvis

Digitized by Google

opinio hæc vera alicui videri possit, rem tamen certam non facit. Unde post emissam in dictis conventibus a conjugata professionem, adhuc incerta foret vinculi matrimonialis solutio : quo stante dubio, non liceret viro novum inire matrimonium. Et tamen jus habet, ut diximus, ut, vel novum matrimonium contrahere valeat, vel uxor sua ad se redeat. In praxi ergo, saltem ob *dubiam* solemnitatem votorum a dictis monialibus emissorum, non licet alicui conjugatæ apud ipsas professionem emittere.

Contrarium dicendum de virorum Galliæ ordinibus, qui ex instituto vota solemnia habent. Cum nempe, ex supra probatis, nulla sit solida ratio existimandi, vota ipsorum pro solemnibus a sede Apostolica non acceptari, bene poterit conjugatus, ante consummatum matrimonium, apud ipsos professionem emittere; et vi hujus professionis a vinculo matrimoniali soluta uxor censenda erit, atque aliud poterit connubium inire.

III. De gravatis ære alieno. — Ut recte intelligatur an et quatenus hi ab ingressu in religionem prohibeantur, expendemus quoad ipsos jus commune ante Sixtum V, et jus commune a Sixti V tempore.

1° *Jus commune quoad ære alieno gravatos, ante Sixtum V vigens.* — Distinguendi sunt plures casus, pro varia debitoris et debiti conditione.

Primus casus : Si debita sint incerta, ita ut nulli certæ personæ facienda sit solutio, non impeditur ingressus in religionem. Nam tunc debitor, si habeat unde solvat, satisfacit religionem ingrediendo; quia bona ipsius per professionem religioni acquiruntur, et sic in causam piam expenduntur. Si non habeat unde solvat, ingredi pariter poterit, quia nulli injuriam facit (vide Suaresium, *de religione*, t. 3, l. 5, c. 7, n. 1).

Secundus casus : Si debita sint certa, et debitor habeat unde solvat, solvere tenetur ante ingressum. Nam religionem ingredi est tantum de consilio; debita autem solvere est de præcepto : et in hoc adhuc nulla difficultas.

Digitized by Google

Tertius casus : Si non habeat unde solvat, nec speret se acquisiturum, potest religionem ingredi, facta prius creditoribus cessione eorum bonorum quæ possidet, si quæ possideat (vide Suarez, loco citato, n. 2). Ratio est, quia tunc nullam creditoribus injuriam facit religionem ingrediendo.

Quartus casus : Si speret se brevi acquisiturum unde solvat, tenetur ingressum in religionem differre donec solverit (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus,* n. 37 et 38). *Breve* tempus in hac materia censetur biennium, et probabiliter etiam triennium.

Quintus casus : Si prævideat non nisi post longum tempus se acquisiturum unde solvat, duplex sententia : alii tenent posse eum statim religionem ingredi, facta creditoribus bonorum (si quæ habeat) cessione : alii sentiunt teneri eum ad degendam in sæculo vitam donec solverit (vide Suaresium, *de religione,* tom. 3, l. 5, c. 7, n. 3).

Sextus casus : Si ære alieno gravatus, in iis casibus in quibus non licet ipsi religionem ingredi, eam tamen ingrediatur, et professionem emittat, valida est professio. Ita doctores communiter (vide Tamburinum, *de jure abbatum,* tom. 3, disp. 6, q. 3, n. 11). Ad instar nempe contracti matrimonii cum una, ab eo qui sponsalia inierat cum altera : quamvis enim peccet contra justitiam qui sic agit, valet ipsius matrimonium.

Hæc de jure communi ante Sixtum V. An in aliquo jus illud immutatum fuerit remanet expendendum.

2° *Jus commune a tempore Sixti V, quoad ære alieno gravatos.* — *Primo :* Loquitur duntaxat Sixtus V de *ingenti ære alieno supra vires facultatum suarum* gravatis (constitutione *cum de omnibus,* 6 cal. decembris 1587). Proinde si debita non sint *ingentia,* vel si debitor non sit *solvendo impar,* applicandum remanet jus commune supra expositum.

Secundo: Quoad gravatos ingenti ære alieno, et solvendo impares, duo disposuit Sixtus V, quorum unum vigere non desiit, alterum abrogatum est : prohibuit nempe ne in reli-

Digitized by Google

gionem admitterentur; et insuper irritam decrevit eorum admissionem et secutam professionem. Huic autem Sixti V decreto derogavit Clemens VIII (constitutione *in suprema*, 2 junii 1602), quoad pronuntiatam *nullitatem* admissionis et professionis, et circa hanc partem jus antea vigens reduxit. At vero quoad *illiceitatem* admissionis et pœnas in admittentes, Sixti V dispositionem in suo vigore reliquit.

Tertio : Tenendum ergo validam hodiedum esse admissionem et professionem ære alieno gravatorum quorumcunque; « quia jure antiquo valida erat, ut tanquam certum tradunt « Medina..., Petrus a Navarro... et alii apud Sanchez... » (Tamburinus, *de jure abbatum*, tom. 3, disp. 6, q. 3, n. 11.)

Quarto : Illicita hodiedum remanet admissio ingenti ære alieno gravatorum, qui solvendo impares sunt; quia istos admitti prohibuit Sixtus V, neque prohibitio illa unquam sublata est.

Quinto : Prohibitio illa, hodiedum vigens, intelligenda videtur etiam in casu, quo debitor non speret se acquisiturum unde solvat : nam Sixtus V non distinguit inter eos qui spem illam habent, et eos qui non habent; sed indiscriminatim religionis aditum præclusum voluit debitoribus solvendo impariibus. Et ita ex Sixti V constitutionibus sequitur aliquid a jure communi antea vigenti diversum : antea enim licite admitti poterant debitores, quibus nulla affulgebat spes aliquando solvendi, remanendo in sæculo. Nihilominus aliqui putarunt interpretari posse Sixti V prohibitionem de solo casu, quo debitor spem haberet aliquando solvendi (vide Tamburinum, loco citato); quod a Sixtino textu alienum mihi videtur.

Sexto : Non desunt theologi qui putaverint intelligendam esse dictam Sixti V prohibitionem, de iis qui *culpa sua* facti sunt solvendo impares, non de aliis (de quo vide Tamburinum, loco citato).

IV. De obnoxiis reddendæ rationi pro administratione. —1° Non tantum *illicitam* horum admissionem voluit Sixtus V

Digitized by Google

(dicta constitutione *cum de omnibus)*, sed irritam pronuntiavit cum secuta professione.

2° Clemens VIII (constitutione *in suprema,* 2 junii 1602) decretam illam à Sixto V *nullitatem* sustulit ; sed *illiceitatem* admissionis perseverare permisit. Unde hodiedum prohibitum est præfatos postulantes ad novitiatum admittere.

3° Intelligenda est prohibitio hæc, sive agatur de administratione publica, sive etiam de privata (vide Suaresium, *de religione*, tom. 3, l. 5, c. 7, n. 20).

4° Restringitur prohibitio hæc ad casum quo, vel hic et nunc pendeat, propter reddendas rationes, *lis* aut *molestia*, vel timendum sit ne inferatur. Id enim clare exprimit Sixtinæ constitutionis textus. Hinc admitti potest postulans qui, absque lite et absque notabili molestia, ab istis administrationibus sese expedire posse prudenter existimat.

V. De criminosis. — 1° Sixtus V, constitutione sua *cum de omnibus,* non tantum prohibuit admitti *reos* vel *suspectos* homicidii, furti, latrocinii et similium vel graviorum criminum, sed *irritam* pronuntiavit ipsorum admissionem et secutam professionem.

2° Postea in sua constitutione *ad Romanum* declaravit præfatam dispositionem de criminosis intelligendam esse, *cum actis publicis constiterit* ipsos apud sæcularem curiam de crimine accusatos vel inquisitos fuisse.

3° Clemens VIII (dicta constitutione *in suprema*) Sixti V dispositionem abrogavit, quoad sancitam *nullitatem* admissionis et professionis ; sed in suo vigore reliquit, quoad *illiceitatem* et pœnas in admittentes.

4° Ex his sequitur intelligendum esse hodiernum jus in hunc modum : *Primo*, quæcunque fuerint postulantis crimina, si admittatur, non ideo irrita erit admissio nec secuta professio ; quia, ut diximus, impedimentum illud, quatenus irritans professionem, a Clemente VIII sublatum est.—*Secundo*, licita erit admissio, si crimina sint occulta, id est, de quibus *actis publicis* non constat postulantem fuisse accusatum vel inquisi-

Digitized by Google

tum : id manifestum facit explicatio quam dedit ipsemet Sixtus V, in posteriori sua bulla. — *Tertio,* etiamsi agatur de criminibus publicis, id est, etiamsi actis publicis constet postulantem de aliquo crimine accusatum aut inquisitum fuisse, licite admitti potest, si in judicio absolutus fuerit seu declaratus innocens. In hunc sensum interpretanda esse Sixti V verba tenet Suaresius (*de religione*; tom. 3, l. 5, c. 7, n. 19) : « Quocirca, inquit, si post accusationem vel inquisitionem « reus est absolutus et declaratus innocens, existimo licite et « valide posse ingredi religionem. » — *Quarto,* addit ibidem laudatus Suarez. : « Quinetiam probabile censeo, etiamsi quis « de tali crimine juridice convictus sit, et ad pœnam damnatus, « si jam pœnam impositam implevit, et tam reipublicæ quam « parti satisfecit, jam manere expeditum ad religionem. »

VI. De illegitimis. — De jure communi licite admitti possunt. Equidem Sixtus V, duobus sæpe memoratis constitutionibus *cum de omnibus* et *ad Romanum,* impedimentum illud induxerat. Verum sublatum est a Gregorio XIV, per constitutionem *circumspecta,* idibus martii 1590, in qua sic habetur : *Volentes eos, qui quovis modo illegitimi procreati fuerint, ad habitum et professionem regularem admitti posse, quemadmodum admitti poterant, si supradictæ constitutiones* (nempe Sixti V) *editæ non fuissent.* De jure autem particulari aliquarum religionum, prohibetur illegitimorum admissio.

VII. De liberis quorum parentes in egestate versantur. — Regula generalis est, non posse eos religionem ingredi, quando eorum parentes extrema, vel etiam gravi necessitate premuntur. Constat jure naturali, ut satis per se patet; atque insuper canone *si quis filii* (1, distinctionis 30). Excipitur casus quo liberi nec habent, nec sperare possunt media parentum egestati succurrendi (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus,* n. 40).

VIII. De eo cujus fratres aut sorores in egestate versantur. — Si fratres aut sorores premantur necessitate *extrema,* debet ingressum in religionem differre, donec huic neces-

Digitized by Google

sitati sufficienter providerit. Si *gravi* duntaxat, distinguendum : vel fratres aut sorores sic graviter egentes, adhuc sunt sub cura parentis, qui nequit eis subvenire, vel non : si prius, ingressum in religionem differre tenetur; quia tunc ipse pater in gravi necessitate existere censendus est; ac proinde redit præcedens casus, obligationis nempe parentibus subveniendi. Si posterius, communis doctorum sententia est, non adesse tunc obligationem ad longum tempus ingressum in religionem differendi (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regul.*, n. 42 et 43).

IX. De liberis, qui licentiam a parentibus non obtinuerunt religionem ingrediendi. — Ad quæstionem, an licentia hac indigeant, sic respondet laudatus Schmalzgrueber (loco citato, n. 41) : « Respondeo, requirendum quidem de honesta- « te, non vero de necessitate. Consequenter, si negetur, ab « ingressu religionis parentum renuitas filium non impediet « (canone *puella* 2, § *si vero*, causæ 20, quæstionis 2). Rationem « dat Clemens II (capite *cum virum*, 12, *de regularibus*, in fine), « quia liberi post annos discretionis *liberum habent arbitrium*, « *et in electione propositi* (seu status) *sequi parentum non coguntur voluntatem*. Idque desumitur ex Evangelio, apud Lucam « capite 9 et 14, et apud Matthæum capite 8. Unde nec minæ, « nec preces, nec lacrymæ, nec lamenta parentum aut propinquorum curanda : quoniam, ut divus Hieronymus (epi- « tola ad Heliod.) exhortatur, *per calcatum* oportet *pergere patrem*, *per calcatam pergere matrem*, *et ad vexillum crucis evolare*. Nam summum genus pietatis est in hac materia fuisse « crudelem. Eoque sensu capienda est illa Salvatoris (apud « Lucam capite 14) sententia : *Qui non odit patrem suum et « matrem suam, non est me dignus.* »

X. De parentibus filios alendos et educandos habentibus. — Certum est teneri ejusmodi parentes ad differendum suum in religionem ingressum, donec filiorum educationi et sustentationi convenienter providerint. Quod adeo ex jure naturali patet, ut nulla alia probatione indigeat.

XI. De pueris qui a parentibus monasteriis offeruntur,

Digitized by Google

— Ejusmodi pueri aliquo improprio sensu religionem ingredi censentur ; ex eo quod nempe ad habitum religionis recipiantur, et sub potestatem prælatorum religionis transeant usque ad pubertatis annum. Ad novitiatum autem et professionem proprie dictam admitti nequeunt, nisi ea ætate et sub iis conditionibus quæ pro cæteris requiruntur. Quæ conditio puerorum sic oblatorum, ut recte intelligatur, visum est præcipuas juris dispositiones, quæ ipsos concernunt, breviter hic describere.

1° Certum est, et de jure naturali, et de jure ecclesiastico licitam fuisse hujusmodi puerorum a parentibus oblationem seu donationem, alicui ordini religioso factam. De jurequidem naturali : nam usque ad pubertatem, non propria, sed parentum voluntate pueri regendi sunt : jus autem illud parentes cedere possunt alteri, modo huic non desint conditiones requisitæ ad rectam et piam puerorum gubernationem et educationem : quæ conditiones cum in religionum prælatis reperiantur quammaxime,in eos præcipue possunt parentes jus illud suum transmittere. Unde pactum de hoc parentes inter et monasterium initum,omnino censendum est de jure naturali validum et licitum. Item licitum est de jure ecclesiastico, ut constat, tum ex aliis multis, tum præcipue ex canone *monachum* (3, causæ 20, q. 1) in quo sic pronuntiatur : *Monachum aut paterna devotio, ant propria professio facit.*

2° Offerri et recipi possunt ejusmodi pueri, non solum impuberes, sed et ante rationis usum (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 151).

3° Recepta religionis veste, et adepto rationis usu, habentur ut personæ ecclesiasticæ (ibid. n. 150).

4° Non sunt veri religiosi ut satis patet. Imo nec sunt veri novitii, seu ad novitiatum proprie dictum admitti nequeunt, antequam adepti sint sufficientem discretionem ad recte intelligendum quid sit novitiatus, et ad convenienter subeunda probationis experimenta. Posse autem id contingere in quibusdam ante pubertatem, ac proinde posse eos tunc ad novitiatum,

Digitized by Google

licet adhuc impuberes, admitti, vide apud Suaresium (*de religione*, tomo 3, l. 5, c. 1). Alii tamen auctores docent eos non esse novitiatus capaces ante pubertatem (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 151).

5° Possunt pueri a parentibus dicto modo offerri, etiam inviti (vide Schmalzgrueber, citato loco, n. 152).

6° Post factam et acceptatam a monasterio oblationem, jam nequeunt parentes, ante pueri pubertatem, eum e monasterio revocare (Suarez, loco citato, n. 13).

7° Item nequit filius ante pubertatem propria voluntate egredi : est enim adhuc sub potestate paterna, quam exercet monasterium. Imo antiquitus si egrederetur factus pubes, infamia notabatur ; sed hoc correctum est capite *cum simus*, 14, *de regularibus* (Schmalzgrueber, loco citato, n. 153).

8° Statim autem ac facti sunt puberes, liberum eis est egredi ; quia in hac ætate voluntati parentum jam non subjiciuntur, quoad status electionem.

9° Filium offerre potest pater, etiamsi mater dissentiat : item mater absque assensu patris, modo tamen hic non contradicat : item tutor (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 152).

10° Jus commune, quoad ejusmodi impuberum oblationem, nequaquam hodie sublatum censendum est. Equidem Tridentina synodus (sess. 25, c. 17, *de regularibus*) prohibuit ne ad habitum religiosum admitteretur puella, nisi prius explorata ipsius per Episcopum aut ejus vicarium voluntate. Sed ita disposuit duntaxat quoad puellas *duodecim annis majores*. Unde per illud decretum nequaquam immutatum est jus commune de quo loquimur (vide Schmalzgrueber, loco cit. n. 154).

Nota. — Nihil dicimus de *servis*, quia otiosa hodie foret illa quæstio, a canonistis olim expendi solita. Ad *amentes* vero et *furiosos* quod attinet, satis perspicuum est illos non esse status religiosi capaces.

Digitized by Google

§ II.

An clerici, ad statum religiosum transire volentes, Episcopi sui licentia indigeant?

PROPOSITIO I^a. — *Omnino certum est clericos omnes, etiam beneficiarios, atque etiam curam animarum habentes, absque Episcopi sui licentia, atque etiam ipso contradicente, religionem ingredi posse.* — Argumenta desumemus, tum ex juris textibus, tum ex unanimi doctorum catholicorum sententia, tum ex ipsa status religiosi essentia et divina institutione.

Probatur I juris textibus. — Præcipuas hac de re juris sanctiones adducit Benedictus XIV (in suo brevi *ex quo*, 14 januarii 1747, in suo Bullario, tom. 2, sub numero 25) in hunc modum : « In concilio Toletano IV, anno 633, sub sancto Isi« doro celebrato, canone 50, ita legitur : *Clerici qui mona« chorum propositum appetunt, quia meliorem vitam sequi cupiunt, « liberos eis ab Episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus, « nec interdici propositum eorum, qui ad contemplationis deside« rium transire nituntur.* Textus habetur in collectione conci« liorum Hispaniæ Cardinalis de Aguirre, tomo 2, pag. 487; « et refertur etiam in decreto Gratiani, canone *clerici* (19, « q. 1). Quinimo, in eadem causa 19, quæstione 2, canone « *alienum*, postquam posita regula est, quod clericus absque « permissu Episcopi ab Ecclesia sua discedere et alterius « servitio se adjungere nequit, hujusmodi exceptio subnecti« tur : *Sed subaudiendum est, nisi ad propositum melioris vitæ « transire voluerit. Tunc enim liberum est illi, etiam Episcopo « contradicente, monasterium ingredi.* Concordat canon sequenti « loco relatus, qui incipit *duæ sunt*, in quo distinctio fit inter « legem publicam et privatam : et posito quod publica qui« dem lex vetat clericum ab una ad aliam ecclesiam transire « sine assensu proprii Episcopi; privata vero lex, quæ instinctu « sancti Spiritus in corde scribitur, et dignior est lege publi« ca, nequaquam id prohibet; ex hujusmodi principio argui-

Digitized by Google

« tur, licere clerico beneficiato, etiam contradicente Episco-
« po, beneficium relinquere, et in monasterium sese recipere :
« *Si quis horum in ecclesia sub Episcopo populum retinet, et sæ-*
« *culariter vivit, si afflatus Spiritu Sancto, in aliquo monasterio,*
« *vel regulari canonia, salvare se voluerit, quia lege privata*
« *ducitur, nulla ratio exigit, ut lege publica obstringatur. Dignior*
« *enim est lex privata quam publica... Quisquis igitur hoc spi-*
« *ritu ducitur, etiam Episcopo suo contradicente, eat liber, nostra*
« *auctoritate.* »

Probatur II ex unanimi doctorum catholicorum sententia. —
« Sanctus Thomas (2, 2, q. 189, a. 7) quæstionem proponit,
« *utrum presbyteri curati possint licite religionem ingredi :*
« eamque affirmative resolvit; ea ratione ductus, quod nulla
« lege obligantur toto vitæ tempore curam animarum susti-
« nere. Articulum vero ita concludit : *Unde manifestum est,*
« *quod archidiaconis et presbyteris curatis licet ad religionem*
« *transire.* Et paulo infra : *Dicendum quod presbyteri curati et*
« *archidiaconi obligaverunt se ad curam agendam subditorum,*
« *quandiu detinent archidiaconatum vel parochiam; non autem*
« *obligaverunt se ad hoc, quod perpetuo archidiaconatum vel pa-*
« *rochiam retineant.* Hæc a sancto Antonino in sua *Summa* (par-
« te 3, tit. 16, cap. 2, § 2), ubi præterea addit Episcopi dis-
« sensum minime obstare : *Archidiaconis et presbyteris curatis*
« *licet ad religionem transire, etiam Episcopo contradicente.* Quæ
« verba similiter leguntur apud Sylvium (2, 2, q. 189, art. 7).
« Et quoniam alicui in mentem venire poterat, hujusmodi li-
« bertatem transeundi ad claustra, quæ sæcularibus presby-
« teris a canonibus conceditur, locum habere duntaxat pro
« claustris *monachorum*, de quibus ipsi canones expresse lo-
« quuntur, idem Sylvius (loco citato) affirmat eam facultatem
« æque competere, sive de instituto agatur contemplativæ
« vitæ unice dedito, sive de eo in quo vitæ activæ opera
« exerceantur : *Possunt religionem etiam illam ingredi, quæ in*
« *vita mere contemplativa, aut potissimum in corporalibus vitæ*
« *activæ officiis sit occupata ; quoniam plus excedit status religio-*

Digitized by Google

« *nis cujuscunque, statum seu potius officium archidiaconi vel* « *plebani, quam status altissimæ religionis statum cujuscunque* « *infimæ*, propter solemnia nimirum vota castitatis, pauper- « tatis et obedientiæ, quæ in unaquaque religione emittun- « tur. » Hactenus Benedictus XIV in supra citato brevi *ex quo*. Auctoritatibus autem quas sic in medium adduxit, addenda est ipsiusmet tanti Pontificis auctoritas ; eo pluris facienda, quod in dicto brevi, de ipsissima, quam expendimus, quæstione quid tenendum sit tanquam Pontifex edoceat.

Cæterum consonant et alii omnes probatæ doctrinæ scriptores catholici; nec puto ullum citari posse, qui rem negaverit, vel etiam in dubium revocarit (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 34 ; ubi sic concludit, quoad clericos etiam curatos, religionem ingredi volentes : *Licentia Episcopi non est opus*. Vide etiam alios canonistas, ubi eumdem titulum commentariis illustrant).

Probatur III ex ipsa status religiosi natura et divina institutione. — Cum enim ipsemet Christus Dominus ad consilia evangelica homines generaliter vocaverit, sicque statum religiosum instituerit, ab illo statu exclusi non censendi sunt, nisi ii qui, vel in sublimiori adhuc perfectionis statu versantur, quales sunt Episcopi, vel qui ligantur aliquo impedimento, cum dicto statu religioso incompatibili, prout sunt conjugati, et alii supra descripti. Cæteri omnes, ob ipsammet Christi vocationem, licentiam habent, jure divino datam, statum illum ingrediendi. Porro clerici, etiam curam animarum exercentes, ex illa sua clericorum aut curatorum conditione, nihil habent cum statu religioso incompatibile. Licet enim curæ animarum officium acceptaverint, non tenentur ad illud semper exercendum. Ergo a Christo ipso jus habere censendi sunt ad religionem divertendi. Ergo nequit Episcopus hoc ipsorum jus tollere. Et hinc est quod supra citati canones, statuendo liberum esse clericis religionem, *etiam contradicente Episcopo*, ingredi, id non decernant tanquam statutum mere ecclesiasticum, ad mutabilem disciplinam pertinens, sed ex

Digitized by Google

ex ipsomet jure divino concludant, prout ex eorumdem canonem tenore satis patet.

Objicies 1° — Clericus, in sacrorum ordinum receptione, obedientiam juravit Episcopo; ergo nequit absque ipsius licentia a diœcesi discedere. — Respondeo: juramentum illud factum fuisse ad terminos sacrorum canonum, seu in eo sensu quem sacri canones determinarunt: porro sacri canones expresse clerico præservatam decernunt libertatem, ad religionis castra, quando voluerit, transeundi.

Objicies 2° — Regulariter loquendo clericus Episcopo suo est apprime notus, et melius cæteris perspicere poterit Episcopus, an clerico suo, et generali Ecclesiæ bono *utile* sit, ipsum ad religionem migrare; ergo magis expediret ut clericorum in religionem ingressus a proprii Episcopi judicio penderet. — Respondeo : regulariter loquendo, clericus arcana conscientiæ suæ proprio Episcopo non detegit, nec detegere tenetur; a quorum tamen notione rectum hac de re judicium plurimum dependet. Præterea multo melius de vocatione judicare poterit prælatus regularis; tum ob integri anni experimentum, quo novitii vocationem experitur, tum quia de idoneitate ad religiosam militiam aptiores, regulariter loquendo, judices sunt religionum prælati, quam sæculares, de quorum numero plerumque est Episcopus. Insuper clericos pietatis et ingenii dotibus præcellentes solet Episcopus præcipua quadam dilectione ac benevolentia, et recte quidem, prosequi; hinc ægre eos dimissurus merito præsumitur. Accedit quod, pro humana illa infirmitate, qua nec Episcopi exempti sunt, haud raro superveniant regulares inter et diœceseon Prælatos dissensiones. Unde et Romæ permanens tribunal constituendum visum est, Sacra nempe Congregatio Episcoporum et regularium, a quo ejusmodi controversiæ dirimerentur. Quid autem magis expediat in materia de qua agimus, judicandum non est ex ideali quadam perfectione, sed ex communiter contingentibus. Cum ergo, experientia teste, Episcopi haud satis æquo ac benevolo animo regulares virorum familias quandoque prosequantur,

Digitized by Google

prudens vel inde æstimanda foret lex canonica, quæ ipsorum arbitrio clerici in religionem ingressum relictum noluit. Et tandem certa est lex illa, et ad universalem Ecclesiæ disciplinam pertinens; nec perimitur ex eo quod quis sibi videre videatur, hæc aut illa inconvenientia ex ipsa profluere. Qui autem sublatam optaret universalem ejusmodi legem, et Episcopi arbitrio remitti vellet clericorum in religionem ingressum, videat ne nimium sibi fidat, et sese Patribus, totaque retro antiquitate, atque ipsa demum Ecclesia sapientiorem faciat.

Objicies 3°. — Non deberet saltem clericis patere ad religionem ingressus, nisi communicatis cum Episcopo diœcesano consiliis.— Respondeo : quod clericus certiorem facere debeat Episcopum de suo ad religionem discessu, ut is vacanti ex hoc discessu muneri alium substituere possit, nemo est qui dubitet. Quod insuper possit tunc Episcopus, si clericum religiosæ militiæ minus aptum existimet, id regularem prælatum commonere, negat nullus. Perperam ergo supponit objectio impediri Episcopum, ne opportuna consilia tum clerico, tum prælatis regularibus eum ad novitiatum admittentibus, dare queat.

Objicies 4°. — Clemens VIII, pro admittendis novitiis necessariam fore decrevit licentiam, vel Sacræ Congregationis, vel Ordinarii. Sic enim habetur in ipsius decreto *sanctissimus* 19 maii 1602: *Sanctissimus in Christo Pater...Clemens divina providentia Papa VIII,... præsentis decreti virtute mandavit, ne... novitii ad habitum recipi ullatenus possint vel admitti, nisi prius ab ipsa Congregatione, vel a propriis locorum Ordinariis, aut ab illis, in quorum diœcesi novitiatus existunt in quibus novitii recipiendi approbati fuerint, et (ut recipi et admitti possint) licentiam in scriptis... obtinuerint* (1). — Respondeo, dispositionem illam Clementis VIII non fuisse executioni mandatam, sed sublatam; quod sic refert Fagnanus : « Cum in decretis Clementis VIII, « super forma recipiendi novitios ad habitum et professionem « promulgatis, sub die 19 maii 1602, inter cætera constitu-

(1) Decretum illud in extenso refert Tamburinus (*de Jure abbatum*, tom. 3, disp. 6, ad calcem quæsiti 4).

Digitized by Google

« tum esset, ne in conventibus designatis novitii ad habitum « vel professionem ullatenus recipi possent, nisi prævia « approbatione Congregationis reformationis, vel Episcopi « diœcesani (ut in Bullario, tom. 3, pag. 130), religionibus de « hoc graviter conquerentibus, hoc caput sublatum fuit. Unde « in decretis de apostatis et ejectis, in quibus decreta Clemen- « tina fuerunt innovata atque inserta, de approbatione Epi- « scopi nulla fit mentio. » (Fagnanus, in caput *porrectum, de regularibus*, n. 33.)

Objicies 5°. — Cum regulares ad prædicandum et ad audiendas confessiones Episcopi approbatione indigeant, poterit Episcopus, hujusce approbationis revocationem minitando, obtinere ne clerici sui absque sua licentia in regularium domibus recipiantur. Ergo in praxi facere potest Episcopus ut necessaria sit ipsius licentia. — Respondeo 1° : jus non habet Episcopus totam regularium communitatem suspendendi a confessionibus audiendis, et ab exercendo prædicationis munere; sed tantum aliquos, et quidem ex justa causa, si fuerint *simpliciter* approbati. (Vide id expositum infra, parte 5, sect. 3, cap. 3.) Respondeo 2° : utique dictis minis plerumque obtinere posset Episcopus, ne in diœcesis suæ conventibus clerici sui ad novitiatum aut professionem admitterentur; sed triplex procul dubio patraret peccatum grave : primo quidem peccatum grave injustitiæ erga clericum, quem hac machinatione efficaciter impediret ne jure suo uteretur; nec dubium est quin grave æstimandum foret hocce illatum ei damnum : secundo peccatum grave injustitiæ erga ordinem religiosum, cui pariter in re maximi momenti vis et damnum inferretur : tertio peccatum grave scandali; nam hacce agendi ratione uti, quid aliud foret quam certissima subditorum suorum jura palam violare, et sanctissimas Ecclesiæ leges pedibus conculcare?

Cæterum ne sic quidem intentum Episcopus facile obtineret. Poterunt siquidem clerici ad alterius diœcesis vel regionis conventus pergere; et ibi absque ulla Episcopi licentia

Digitized by Google

recipi. Absit autem ut jus Episcopi vocetur, quod nequit Episcopus, nisi cum juris violatione et abusu potestatis suæ peragere.

PROPOSITIO IIª. — *An saltem licentiam ab Episcopo petere teneatur clericus religionem ingredi volens, inter doctores controvertitur.* — Posse clericum religionem ingredi absque *obtenta* illa licentia, ex præcedenti propositione manifestum est. « An « vero (inquit Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 34) « teneatur clericus beneficiarius licentiam ab Episcopo suo « saltem *petere*, magis dubiæ quæstionis est. Sanctus Thomas « (2, 2, q. 189, a. 7), et Azor (p. 1, l. 11, cap. 16, q. 3) vi- « dentur accedere ad affirmativam. Sed Suarez (tom. 3 *de* « *religione*, l. 5, c. 4, n. 14) et Palao (tract. 16, d. 1, p. 7, « § 1, n. 1) propendent in negativam; quod nullo jure obli- « gatio hæc imponatur... Ego huic sententiæ assentior : addo « tamen ab ita ingressuro religionem clerico, si beneficiarius « præsertim curatus sit, propositum hoc insinuandum Episco- « po, vel saltem post ingressum denuntiandum; ut loco suo « de pastore alio provideat, ne oves desertæ maneant. »

Quod teneatur clericus, animarum curam gerens, de suo in religionem secedendi proposito Episcopum suum certiorem facere, omnino tenendum est, et ex ipso jure naturali sequitur, prout tradit Benedictus XIV (citato brevi *ex quo*, § *quod enim*). Sed aliud est discedendi licentiam petere, aliud de proximo discessu certiorem Episcopum facere.

PROPOSITIO IIIª. — *Facultas quam habent clerici religionem ingrediendi absque licentia Episcopi, intelligenda etiam est de ingressu in congregationes cum votis simplicibus perpetuis approbatas.* -- Quamvis enim vox *religio* frequenter usurpetur pro designandis particulariter iis ordinibus qui vota solemnia habent, sæpe tamen intelligenda venit indiscriminatim de omnibus regularium familiis status religiosi essentiam habentibus, sive simplicia sint, sive solemnia ipsarum vota. Porro in textibus qui clericis dictam vindicant facultatem *religionem* ingrediendi, vox religio in hoc latiori sensu desumenda est.

Digitized by Google

Ratio enim legis non est solemnitas votorum, sed natura et perfectio religiosi status. Cum ergo dictæ congregationes, non obstante votorum simplicitate, veri status religiosi essentiam habeant, sub lege comprehendi censendæ sunt; id est, censendæ sunt de iis esse, quas ingredi valent clerici absque obtenta Episcopi licentia.

Nota. — Hic expendenda veniret quæstio, *an facultas religionem ingrediendi absque licentia Episcopi, intelligenda etiam sit de ingressu in eas congregationes, quæ status religiosi essentiam non habent.* Valde quidem practica est quæstio illa. In Galliis, verbi gratia, non desunt ejusmodi virorum congregationes quæ a status religiosi essentia deficiunt. Tales sunt, inter alias, Lazaristarum et Sulpitianorum familiæ. An valeant clerici, absque licentia Episcopi, eis nomen dare, suus hic esset dicendi locus. Prætermittendam tamen disceptationem hanc duximus. Expostularet enim ut in antecessum determinaretur, quanam Episcopo obediendi obligatione constringantur clerici; et num clerici ad titulum patrimonii ordinati eadem afficiantur ac ii qui ad beneficii titulum ordinati fuerint. Quod cum nimis in longum traheret, solvendam quæstionem remittimus ad alium tractatum; ubi nempe disseremus de obedientia, quam Episcopo præstare tenentur clerici, in majoribus constituti.

PROPOSITIO IV[a]. — *Casu quo ecclesia grave damnum pateretur ex transitu clerici ad religionem, posset eum Episcopus repetere, etiam post professionem.* — Rarissimus hodie in praxi casus ille; siquidem in locum clerici religionem ingredientis facile potest Episcopus alium substituere, qui munus aut beneficium prioris regat : ita ut *damnum* illud *grave* haud sit pertimescendum. Si quando tamen occurreret, jus haberet Episcopus clericum retinendi, aut jam religionem ingressum revocandi. Id docet Benedictus XIV (bulla *ex quo* 14 januarii 1747) in hunc modum : « Quod vero jus certis in casibus « certisve de causis competit superiori ordinis laxioris, ut « suum subditum regularem ad strictiorem ordinem digres-

Digitized by Google

« sum, etiam post solemnem professionem in eo emissam, « repetere et revocare valeat; idem similiter certis in casi- « bus, justisque exigentibus causis, Episcopo competit, ut « suum clericum sæcularem, ordini regulari adscriptum re- « petere possit. Hoc tradit clarissimus canonum doctor Inno- « centius IV (ad sæpe citatum caput *licet, de regularibus*); « cujus hæc sunt verba : *Clericus potest transire in religionem, « non petita licentia, etiamsi contradicatur; crederemus tamen « quod posset eum repetere, si ex transitu suo prima ecclesia « gravem sustineret jacturam*... Satis itaque provisum est etiam « Episcopo, qui factum clerici sui, ad regularia claustra se « invito digressi, impugnare velit. »

Consonat Fagnanus : « Quamvis (clericus sæcularis) possit « transire ad religionem, non petita Episcopi licentia, quin- « imo et ipso contradicente...; tamen posset Episcopus eum « repetere, si ex ejus transitu, ecclesia gravem pateretur ja- « cturam, secundum Innocentium... Abbatem... » (Fagnanus, in cap *licet*, tertii decretalium, n. 28.) Idem vide firmatum a S. Ligorio (lib. 5, n. 75; et lib. 6, n. 828).

PROPOSITIO V^a^. — *Clericus, qui sese ex pacto obligavit ad serviendum diœcesi per aliquot annorum spatium, nequit religionem ingredi, antequam obligationi huic satisfecerit.* — Contingit quandoque fieri donationes aut fundationes in hunc finem, ut alantur et educentur clerici, qui in regionibus, sacerdotum penuria laborantibus, sacrum ministerium sæculari clero adscripti exerceant. Juvenes autem qui hoc favore frui volunt, sese obligant ad serviendum, per certum aliquem annorum numerum, sub dictarum diœceseon Episcopis. Ita juvenes qui educantur in collegio Germanico, Anglico, et aliis. His porro clericis haud liberum est, ante expletum quod promisere servitium, religionem ingredi. Nam religiosum statum amplecti est tantum de consilio : quod autem contractum ab ipsis initum expleant, est de præcepto.

Nota. — An ejusmodi contractu, saltem tacito, ligati existimandi sint hodie in Gallia juvenes illi, qui sive in parvis, sive

Digitized by Google

in magnis seminariis ejusmodi donationibus et fundationibus (les bourses) utuntur, affirmandum primo mihi visum fuerat: at postea rem attentius perpendens dubius hæsi. Quapropter virum, prudentia æque ac doctrina insignem, sententiam rogavi; qui putavit dictis juvenibus haud præcludi liberum religionis aditum; in eam opinionem vehementer impelli se asserens, ex istis rationibus: 1° dictæ obventiones iis juvenibus non erogantur cum ea conditione ut, si forte ordines sacros non suscipiant, ad restitutionem teneantur; sed liberum ipsis est in laicali conditione manere; et revera plures quotannis ineundi clericalis status consilium deserunt, quin ab ipsis donatores quidquam ex justitia repetant. 2° Cum donatores consentiant, ut illi juvenes laicalem, si libuerit, conditionem eligant, a fortiori præsumendi sunt consentire ut statum religiosum ingrediantur. 3° Intentio nempe donatorum in Gallia videtur esse generatim, ut provideatur de majori clericorum numero. Intentus autem ille scopus obtinetur, etiamsi ex illis juvenibus nonnullos, non sæculari, sed regulari clero nomen dare contingat. Regularis enim clerus non in minorem Ecclesiæ utilitatem cedit, quam sæcularis. 4° Nec dicatur statui dictas subventiones determinate quoad unamquamque diœcesim; ita ut erogata in aliqua diœcesi quoad id pecunia, ad augendum hujus, et non alterius diœcesis clerum destinetur; migrantes autem ad religiosa castra, plerumque etiam e diœcesi migrare. Nam respondetur, a regularibus, utpote per varias diœceses apostolicam operam navantibus, præstari quod intendebatur illi etiam diœcesi, e qua dicti juvenes ad novitiatum digressi sunt. Pro illis enim juvenibus, præsto sunt alii religiosi, aliunde oriundi, quos sibi in auxilium hujus diœcesis Episcopus vocare queat. Ex quo fit inter varias diœceses compensatio quædam, quæ donatorum intentioni plene satisfacere censenda est. Cum enim donatores illi mentem suam determinate non exprimant, merito præsumuntur potius intendere quod in generale bonum cedit, atque in majorem animarum utilitatem. Unde ipsorum intentione non excludi, sed potius

Digitized by Google

includi censenda est dictorum juvenum libertas ad consiliorum evangelicorum professionem divertendi.

Et hæ quidem rationes magni ponderis mihi videntur.

PROPOSITIO VI^a.—*Pii IX auctoritate statutum est, ne quis posset in religiosis ordinibus et congregationibus ad habitum admitti, absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum Ordinarii loci in quo postulans ultra annum moratus fuerit.*—Latum est hoc decretum die 25 januarii 1848; et in extenso editum habetur in publicatione periodica, quæ inscribitur, *Correspondance de Rome* (seconde édition, pag. 13 et seq.). In eo sic disponitur: « Dominus Noster Pius Papa IX, audito voto sanctæ Romanæ « Ecclesiæ Cardinalium hujus Sacræ Congregationis super « statu regularium, attentisque postulationibus nonnullorum « Episcoporum, præsenti decreto, ubique locorum perpetuis « futuris temporibus servando, hæc quæ sequuntur Apostolica « auctoritate statuit atque decernit: I. In quocunque ordine, « congregatione, societate, instituto,, monasterio, domo, sive « in iis emittantur vota solemnia, sive simplicia..., nemo ad « habitum admittatur absque testimonialibus litteris, tum « Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postu- « lans, post expletum decimum quintum annum ætatis suæ « ultra annum moratus fuerit. II. Ordinarii in præfatis litteris « testimonialibus, postquam diligenter exquisiverint, etiam « per secretas informationes, de postulantis qualitatibus, « referre debeant de ejus natalibus, ætate, moribus, vita, « fama, conditione, educatione, scientia; an sit inquisitus, « aliqua censura, irregularitate, aut alio canonico impedimento « irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus admini- « strationis rationi obnoxius. Et sciant Ordinarii, eorum con- « scientiam super veritate expositorum oneratam remanere, « nec ipsis unquam liberum esse hujusmodi testimoniales lit- « teras denegare. » Postea contra regulares, qui hoc decretum non servarent, statuitur pœna privationis officiorum, vocisque activæ, necnon habilitatis ad alia officia in posterum obtinenda.

Digitized by Google

PROPOSITO VII^a. — *Per citatum Pii IX decretum clericis non adimitur libertas, religionem ingrediendi absque licentia proprii Episcopi.* — Hoc enim decreto requiruntur duntaxat testimoniales litteræ Episcopi, non autem ejus *licentia* aut *approbatio*, de qua ne vel minimum quidem verbum profertur.

PROPOSITIO VIII^a.—*Neque superioribus regularibus per dictum decretum adimitur potestas novitium recipiendi, etiam invito Episcopo.* — Etenim, ut diximus, requiruntur duntaxat testimoniales litteræ; at nullatenus necessaria decernitur Episcopi licentia. Unde, quantumvis Ordinarius sese receptioni opponeret, posset superior regularis novitium admittere.

CAPUT II.

DE ÆTATE, SIVE AD NOVITIATUM, SIVE AD PROFESSIONEM REQUISITA.

Duas illas quæstiones hic jungimus, ob ipsarum connexionem.

I. *De requisita ætate ad novitiatum.* — 1° Sufficit ætas pubertatis. Id tanquam certum teneri communiter a doctoribus, et claris textibus juris inniti, vide apud Reiffenstuel (in titulum *de regularibus*, n. 68). Est autem pubertatis annus, quoad masculos decimus quartus; quoad feminas duodecimus. « Nec obstat, inquit ibidem citatus auctor, concilium Tridentinum (sessione 25, *de regularibus*, capite 15) requirens ad validam professionem annum decimum sextum completum; quia per hoc non prohibet quin annus novitiatus citius inchoari et compleri possit; sed tantum ne ante illam ætatem emittatur professio. Pariter non obstat idem concilium (eadem sessione, capite 16) statuens ut, expleto anno novitiatus, novitius aut statim ad professionem admittatur, aut statim e monasterio ejiciatur: quia intelligenda est illa dispositio Tridentini, *nisi justa subsit causa* professionem differendi; prout declaravit Sacra Congregatio Concilii, et cum aliis bene observat Pirhing. »

Digitized by Google

2° Imo recipi potest ad novitiatum impubes, modo usum rationis habeat, et quid sit novitiatus sufficienter intelligens, cum fructu probationem subire valeat, atque alioqui parentes ejus non dissentiant. Ejusmodi enim impuberis receptio neque a jure naturali, neque a jure ecclesiastico prohibetur, prout probat Suaresius (*de religione*, tom. 3, l. 5, c. 1) (1).

Quod autem rarissime expediat impuberem ad novitiatum recipi satis per se patet.

3° Impuberes, sive habeant, sive nondum habeant rationis usum, si a parentibus religioni offerantur, possunt ad habitum recipi et in monasterio retineri. Dicimus *ad habitum*; nam *ad novitiatum* admitti non posse nisi qui usum saltem rationis habent, jam monuimus. De ista autem puerorum oblatione quid jure communi statutum *fuerit*, diximus supra (capite 1, § 1, n. 11).

4° Conversos autem non esse ad novitiatum recipiendos ante vigesimum ætatis annum disposuit Clemens VIII, decreto *cum ad regularem*. Sed alicubi adnotatum vidi, hoc non esse in usu.

II. *De ætate requisita ad professionem.* — Certum est requiri, tam pro viris quam pro feminis annum decimum sextum completum: et prius facta professio est nulla. Ita siquidem decrevit Tridentina synodus, sessione 25, *de regularibus*, capite 15. Ante Tridentinam synodum sufficiebat ad validam professionem pubertatis annus; exceptis tamen asperioribus religionibus, pro quibus requirebatur *plena* pubertas, id est, annus decimus octavus.

(1) Id tamen limitandum quoad moniales ob decretum quoddam S. Congregationis Episcoporum et regularium, et requiri vi hujus decreti annum decimum quintum ut puellæ valeant ad habitum recipi, dicetur infra, sectione 3.

Digitized by Google

CAPUT III.

AD QUEM PERTINEAT NOVITIOS ADMITTERE.

Duplicem instituemus paragraphum : 1° exquiremus utrum receptio novitiorum ita sit penes ordinem religiosum, ut nullatenus dependeat ab Ordinario seu loci Episcopo. 2° Posito quod dicta admissio tota sit penes religiosum ordinem, expendemus per quosnam ordinis seu communitatis religiosos facienda sit.

§ I.

Utrum novitiorum admissio ita sit penes religiosum ordinem, ut nullatenus ab Episcopo loci dependeat.

PROPOSITIO I^a. — *De jure communi, virorum religiones ab Apostolica sede approbatæ nullatenus ab Ordinario dependent pro admittendis aut rejiciendis novitiis.* — Quæstionem, a quo facienda sit novitiorum receptio, expendit Suarez (*de religione*, tomo 3, tractatu 7, l. 5, cap. 10) in hunc modum : « Quæri « potest apud quem sit hæc potestas. Est autem certum, « primario ac principaliter esse in summo Pontifice. Sed de « hoc non agimus, quia ipse non solet hac potestate imme- « diate uti. Quærimus autem de illo in quo est proxime hæc « potestas.

« In quo est secundo certum, *hanc potestatem immediate « esse in qualibet religione approbata per Pontificem, et in sola « illa. Primum* patet, quia ex vi approbationis, talis potestas « ei confertur; imo in ipsa approbatione intrinsece inclu- « ditur : nam si religio non posset alios recipere, nec con- « servari, nec gubernari posset : qualis ergo esset ejus « approbatio ? *Secunda* etiam *pars* ex supradictis manifesta « est; quia religio non approbata a Pontifice non est religio, « juxta ea quæ ab Ecclesia statuta sunt; ergo nec potest

Digitized by Google

« habere potestatem admittendi ad religionem. Unde eo ipso « quod Pontifex sibi reservavit approbationem religionis, « consequenter etiam hanc potestatem reservavit vel sibi, « vel quibus eam ipse concesserit : non concedit autem de « facto nisi religionibus a se approbatis.

« Quod si fortasse in *particulari* institutione aliquando est « in Episcopo, vel in alio simili prælato, semper est in ordine « ad religionem approbatam a Pontifice, critque *peculiaris* « ille recipiendi modus, qui in generali doctrina non con- « sideratur. »

Iisdem rationibus probat Tamburinus liberam novitios recipiendi potestatem penes ordinem quemlibet ab Apostolica sede approbatum residere : « Approbare enim religionem, « est concedere omnia ea, quæ ad utilitatem, conservationem « et gubernationem religionis pertinent : sed conservatio « religionis non potest fieri absque receptione novitiorum; « ergo. Alias frustratoria esset approbatio : imo in ipsa appro- « batione religionis intrinsece hæc potestas confertur et « includitur.» (Tamburinus, *de jure abbatum*, tom. 3, disp. 6, quæsito 1, n.4.)

Pro rei gravitate, Suaresii ratiocinium tantisper evolvemus, ut bene intelligat lector, rigorosam esse ipsius conclusionem, a doctoribus cæteroquin communiter receptam. *Eo ipso*, inquit Suarez, *quod Pontifex sibi reservavit approbationem religionis, consequenter etiam hanc potestatem* (nempe novitios admittendi) *reservavit sibi, vel quibus eam ipse concesserit.* Id, inquam, omnino rigorosum est; nam sibi reservare approbationem alicujus religiosi ordinis, est sibi reservare approbationem omnium huic ordini essentialium : sed novitios recipere est de essentialibus cuilibet religioso ordini : ergo reservando sibi approbationem ordinis, hoc ipso Pontifex reservavit sibi approbandam potestatem novitios recipiendi. Ergo potestatem hanc circa novitiorum admissionem ille solus habebit, cui Pontifex contulerit. Jam vero, illam Pontifex non concedit Ordinariis, siquidem in religiosorum institu-

Digitized by Google

torum approbatoriis bullis, concessio hæc non reperitur. Aliunde autem illam e contra concedit ordini religioso : nempe ut plurimum expressis terminis, ut testantur dictæ approbationum bullæ : et etiamsi id non exprimatur, inclusum in ipsa approbatione censendum est, cum alioquin illusoria foret approbatio. Ergo remanet ut tota hæc potestas circa novitiorum admissionem sit penes ordinem religiosum; nullatenus autem penes Ordinarium. Hinc ex quo sedes Apostolica religionum approbationem sibi reservavit, hoc ipso sustulit antiquum jus Ordinariorum, vi cujus novitiorum admissio, seu ingressus in religionem aliquatenus ab ipsis dependebat.

Ergo revera rigorosa est propositio hæc : *Pontifex aliquem ordinem approbando, hoc ipso eum independentem facit ab Ordinariis, quoad novitiorum admissionem, nisi contrarium exprimat.*

Ergo hodie Ordinarii potestatem circa recipiendos novitios habere non possunt, nisi de jure *particulari*, nempe : vel quia in aliquo forte instituto approbato exprimeretur non recipiendos novitios nisi de consensu Ordinarii; quia tunc approbatio Pontificia, institutum cum hac clausula approbando, hoc ipso dependentiam hanc ab Ordinario firmaret, seu potestatem illam Ordinario tribueret : vel quia id ex speciali indulto Ordinarius esset consecutus : vel tandem quia ex legitime præscripta consuetudine hoc jus merito sibi vindicaret.

Propositio IIª. — *Ergo de jure communi nequit Episcopus virorum congregationem ab Apostolica sede approbatam, cogere ad aliquem in novitium recipiendum, nec impedire ne aliquem recipiat.* — Sequitur ex præcedenti : si enim plena et libera circa novitiorum receptionem potestas stet penes solum ordinem religiosum, consequens est ut in eam sese ingerere nequeat Episcopus, nec injungendo ut aliquis recipiatur, nec prohibendo ne aliquis admittatur.

Nota. Loquimur semper de *jure communi*, et monialium familias in conclusione non comprehendendo : nam de *jure*

Digitized by Google

particulari, verbi gratia, ex legitima consuetudine, fieri potest ut requiratur Ordinarii assensus pro novitiorum receptione, in ordinibus non exemptis. Item moniales Ordinarii consensu indigere pro admittendis puellis ad habitum, dicetur infra.

PROPOSITIO III^a. — *Asserta congregationibus virorum independentia ab Ordinario, in recipiendis novitiis, intelligenda venit, etiamsi congregatio non sit exempta; imo etiamsi vota solemnia non habeat; modo tamen Pontificiam approbationem obtinuerit.*— Nam independentia hæc, juxta traditam Suarcsii doctrinam, invicte sequitur ex ipsamet Pontificia approbatione. Pontifex nempe congregationum approbationem sibi reservando, hoc ipso sibi reservavit novitiorum admittendorum potestatem; ita ut potestatem hanc nullus habere queat, nisi quibus Pontifex contulerit. Aliunde, congregationem aliquam approbando, Pontifex ei dictam potestatem confert, non autem Ordinario. Et hoc verum remanet, etiamsi congregatio illa exemptionis privilegio non donetur, et etiamsi vota solemnia non habeat, ut patet. Ergo de jure communi Ordinarius potestatem non habet in congregationes a Pontifice approbatas, etiam non exemptas, atque etiam votis solemnibus carentes, circa novitiorum admissionem.

Equidem potestatem hanc Ordinariis, etiam in congregationes exemptas, tribuere voluerat Clemens VIII; sed ortæ sunt ingentes regularium querelæ, et dispositio hæc sublata est. Quod sic memorat Fagnanus (in cap. *porrectum*, de *regularibus*, n. 33) : « Cum in decretis Clementis VIII, super « forma recipiendi novitios ad habitum et professionem, pro- « mulgatis sub die 19 maii 1602, inter cætera constitutum « esset, ne... novitii ad habitum vel professionem recipi « possent nisi prævia approbatione Congregationis reforma- « tionis, *vel Episcopi diœcesani*, religionibus de hoc graviter « conquerentibus, hoc caput sublatum fuit. »

PROPOSITIO IV^a. — *Moniales, etiam exemptas, Episcopi licentia in scriptis indigere ad recipiendam ad novitiatum et habitum puellam, decisum referunt nonnulli auctores : alii vero jus quod*

Digitized by Google

id aliter exponunt. — Concordes hac in re doctores haud repetiens, satius existimavi in mera auctoritatum expositione sistere.

I. *Auctoritates quæ dictam Episcopi licentiam, monialibus etiam regularium jurisdictioni subjectis, necessariam faciunt.* — 1° Refert Pignatellus (tomo 4, consultatione 171) sequentem S. Congregationis Episcoporum et regularium decisionem : « Al Vescovo di Brescia. Altre volte dalla S. Congregatione è « stato resoluto, che ne' monasteri di monache, anche esenti « et soggetti al governo de regolari, non possano introdursi « zitelle monachande senza che preceda l'accettatione delle « suore capitolarmente e per voti segreti (per un luogo « vacante dentro il numero prefisso), *e la licenza in scriptis* « dell' Ordinario. Ora sentendosi dalla lettera di V. S., che ne' « monasteri soggetti agl'abbati Cassinensi si pretenda da' supe- « riori di essi di poter fare altramente, e di non haver « bisogno del suo consenso, questi Eminentissimi miei « signori, inerendo alle resolutioni sudette, mi han coman- « dato di scriverle, che ella non solo non lo permetta, « ma in caso di contraventione proceda contro i transgressori « alle pene canoniche, e alla censura di violata clausura. « Glie lo significo : e iddio la prosperi. Di Roma, al primo di « luglio del 1650. » Si authenticum sit documentum illud, neque quoad hoc variaverint Romanæ Congregationes, monialibus etiam regulari prælato subjectis necessaria Episcopi *licentia in scriptis* merito inferri videtur. Subjungit autem Pignatellus : « Ratio est, quia id pertinet ad clausuram « monialium, cujus conservatio Episcopis demandatur per « S. concilium Tridentinum, sessione 25 *de regularibus*, capite « 5, et per constitutionem Gregorii XV de privilegiis exem- « ptorum. » A me autem haud bene perspici fateor, quomodo clausuræ legem attingat puellarum ad novitiatum et habitum susceptio. Legislator enim prohibendo ne ipsæ etiam mulieres claustra ingrederentur, profecto id de novitiis nunquam intellexit. 2° Pignatellum secutus est Ferraris (voce *moniales*, art.

Digitized by Google

1, n. 66) : « Nec potest, inquit, in dictis exemptis mona-
« steriis ad habitum admitti (puella), sine prævia licentia Epi-
« scopi in scriptis. » Nullam tamen præfatus auctor novam rationem adducit. 3° Idem certum supponit Monacellus, siquidem formulæ 5, tituli 13, (tom. 2) id inseruit in hunc modum:
« Proibiamo... alle superiore e superiori e monache de' mo-
« nasteri soggetti a' regolari, o in altra manera esenti, di
« ammetterle e accettarle come sopra, si prima non sara
« stata da noi esplorata la loro volunta, ed ottenuta la nostra
« licenza in scritto, sotto pena, in caso che fossero ricevute
« senza l'expressa nostra licenza inqualsi voglia monastero,
« anco esente, della nullita dell' ammissione, da incorsi ipso
« facto et ipso jure. »

II. *Auctores qui hac de re jus aliter exponunt.* — Sic habet Fagnanus (in caput *porrectum*, *de regularibus*, n. 30): « Etiam
« in monasteriis non exemptis, monialium receptio de jure
« non spectat ad Episcopum, sed ad abbatissam et conventum,
« ut capite *si ad solum* (1)... Quod autem ait frater Ludovicus
« Miranda.., abbatissas non posse novitias recipere sine suo-
« rum prælatorum licentia, non probatur jure. »

Ad Suaresium quod attinet, quæstionem ponit hoc modo:
« Tractari etiam hic potest de authoritate recipiendi aliquam
« in monialem, apud quem sit. De quo etiam videnda sunt
« eodem tomo dicta de receptione novitiorum, et cum propor-
« tione in præsenti applicanda. » (*De religione*, tomo 4, l. 1, c. XI, n. 1.) Locum autem, ad quem remittit Suaresius, si adeat lector, hæc reperiet (*de religione*, tomo 3, l. 5, c. 10): imprimis tanquam certum tradit, potestatem novitios reci-

(1) In hac decretali, quæ est ultima tituli *de regularibus*, in *sexto*, sic disposuit Bonifacius VIII : *Si ad solum abbatem pertineat creatio monachorum, et defuncto nequibit novus monachus a conventu creari : alias poterit, si eorum creatio spectat insimul ad utrumque.* Ex hoc textu inferunt communiter doctores, ex solo jure discerni non posse an novitiorum admissio pertinat ad solum abbatem, an vero ad abbatem simul et conventum; sed hoc pendere a consuetudine et constitutionibus uniuscujusque ordinis.

Digitized by Google

piendi, *immediate esse in qualibet religione approbata per Pontificem, et in sola illa* (citato capite, n. 2). Postea quærens, ad quos de religione pertineat potestas hæc, concludit eam pertinere ad prælatum uniuscujusque religionis (ibid. n. 3). Tandem ad quæstionem, num abbas solus possit novitios recipere, an vero capituli sui assensu indigeat, expositis doctorum opinionibus, sic ipse respondet : « Mihi tota hæc quæstio parum « videtur utilis, quia in ea *nihil fere potest ex solo jure communi « definiri*. Nam in ipsomet communi jure supponitur, inter- « dum ad solum abbatem, interdum ad eum simul cum con- « ventu pertinere, ut patet ex capite ultimo *de regularibus*, in « *sexto*, quod sic habet : *Si ad solum abbatem pertineat...* » (Ibid n. 6.)

Hæc quæ tradiderat Suaresius de potestate recipiendi *novitios*, dicit esse applicanda cum proportione ad quæstionem de receptione *novitiarum*. Illam autem applicationem si faciat lector, deveniet ad hanc conclusionem : pertinere potestatem novitias recipiendi, vel ad solam abbatissam, vel ad abbatissam cum assensu conventus ; nequaquam autem necessariam esse ullam Episcopi aut prælati regularis licentiam.

Nihilominus, attento *communi usu*, existimat Suarez requiri etiam prælati, jurisdictionem in moniales habentis, licentiam. En ipsius valde attendenda verba (*de religione*, tom. 4, tract. 9, l. 1, c. 11, n. 1) : « Communis vero usus, juri et « rationi consentaneus, est, ut hæc potestas sit in ipso con- « ventu monialium ; simul tamen requiratur prælati licentia « seu consensus. Nam quatenus illa receptio est ad commu- « nem vitam et societatem cum monialibus, ratio postulat ut « ipsæ voluntarie illam admittant : quatenus vero illa re- « ceptio est aliquo modo actus jurisdictionis, oportet ut « prælatus, apud quem est propria jurisdictio, concurrat. » Notet lector necessariam a Suaresio existimari licentiam prælati *apud quem est jurisdictio ;* ac proinde solius prælati regularis, si moniales regularibus subjiciantur ; Episcopi vero, si secus.

Digitized by Google

Haud absimilis Pellizarii doctrina. Ad quæstionem « qualis « debeat esse receptio (monialium) ut sit legitima, » sic respondet (*de monialibus*, pag. 6, editionis non prohibitæ, Romæ 1761) : « Debet fieri capitulariter, et quidem una cum « consensu proprii prælati ; nimirum Episcopi aut ejus vicarii « generalis, si moniales quorum interest non sint exemptæ ; « aut prælati regularis, si sint exemptæ : ita Suarez... Cum « Suaresio sentit Miranda..., dicens hanc conclusionem esse « certissimam de jure communi ; et in omnium monialium « monasteriis quarumcunque religionum, receptionem no- « vitiarum pertinere ad proprios prælatos : affertque ad id « speciale indultum a Nicolao V concessum Fratribus Mino- « ribus, et relatum a Casarubio... his verbis : *Idem Nico- « laus V statuit, quod abbatissæ, nec simul omnes moniales « possint aliquam ad religionem, vel professionem recipere, nisi « de provincialis, aut visitatoris expressa licentia.* Idem sentit « et Peyrinus..., monens præfatam concessionem Nicolai V, « cum sit favorabilis, extendi ad alias omnes religiones. »

Prætermissis aliis, qui idem sentiunt, canonistis, hæc ipsorum concors doctrina sic breviter exponi potest : 1° Necessariam monialibus esse prælati sui licentiam ad recipiendas novitias, *non probatur jure*, ut ait Fagnanus. 2° Ob communem tamen usum (juri cæteroquin et rationi consentaneum) necessaria ipsis est licentia, vel Episcopi, si non sint regularibus subjectæ ; vel prælati regularis, si regularibus subjaceant. 3° Quod autem monialibus etiam exemptis et prælato regulari subjectis necessaria sit Episcopi in scriptis licentia, a memoratorum canonistarum doctrina prorsus alienum est.

Dices. — Prævalere debet S. Congregationis Episcoporum et regularium supra transcripta decisio. — Id et ego fateor, modo decisionem hanc fideliter Pignatellus excripserit, et sententia hæc apud romanas Congregationes prævaluerit. An autem ita se res habeat, diligentioribus aliorum explorationibus enucleandum relinquo.

PROPOSITIO V^a. — *Cogi ab Ordinario nequeunt moniales, etc*

Digitized by Google

non exemptæ, et etiamsi vota solemnia non habeant, ad recipiendam aliquam novitiam. — Hanc regulam generalem admittunt doctores communiter. Quod enim, de jure communi, requiratur etiam communitatis consensus, jam asserentes audivimus Suaresium, Ferrarium et Pellizarium : et concordare cæteros reperies. Ergo, non consentientibus, seu invitis monialibus, nequibit admitti novitia, quantumvis id præcipiat Episcopus, et licet moniales non sint exemptæ.

Ab hac tamen generali regula, excipi solent duo casus : « 1° In monasteriis quæ abundant redditibus et patiuntur de- « fectum monialium : nam potest Episcopus monere abba- « tissam et conventum, ut de novo debeant aliquas creare. « Quod si infra terminum eis præfixum non parerent, posse « Episcopum negligentiam supplere, ibique moniales con- « stituere... Quod tamen ego intelligo verum in monasteriis « non exemptis : alias enim non pertineret ad Episcopum « supplere hujusmodi negligentiam, sed ad illarum supe- « riores... Atvero cessante negligentia, etiam in monasteriis « non exemptis, monialium receptio *de jure* (1) non spectat « ad Episcopum, sed ad abbatissam et conventum. » (Fagnanus, in cap. *porrectum, de regularibus*, n. 28.)

2° Item contingere potest, ex aliquo jure *particulari*, ut receptio novitiarum exclusive pertineat ad Episcopum, ac proinde possit Episcopus conventum cogere ad aliquam admittendam; nempe (ut ait Fagnanus, loco citato, n. 32) « in « monasteriis virorum vel mulierum, quæ ita sunt Episcopo « subjecta, ut ad eum spectet receptio monachorum vel « monialium ; puta, ex *consuetudine præscripta*, vel *privilegio.* »

Cæterum, secluso ejusmodi exceptionali jure, seu stando in jure communi, certum est ab Ordinario cogi non posse moniales ad recipiendam aliquam novitiam. Quod sic inter

(1) Intellige *de rigore juris*, prout supra diximus : nam ex *generali consuetudine* requiri etiam Ordinarii consensum, quando moniales non sunt exemptæ, evincunt allatæ auctoritates.

Digitized by Google

alios tradit Ferraris (V. *moniales*, art. 1, n. 82) : « Ordinarius « nullo pacto compellere potest moniales ad acceptandas « puellas, neque ad habitum, neque ad professionem... « Acceptatio enim puellarum ad habitum religionis, pertinet « libere ad moniales ; et Episcopus, præter voluntatis explo- « rationem, nihil aliud facere potest, ut respondit S. Con- « gregatio... »

Atque idem auctor infra, n. 104, ita subjungit : « Episcopo « vel alio prælato seu superiore jubente recipi novitiam ad « professionem, contradicente majori parte monialium, non « debet admitti : non enim superior potest ad id moniales « compellere, ut pluries decrevit S. Congregatio Episco- « porum et regularium... Et si superior de se, cum minori « parte, reclamante majori parte monialium, novitiam ad « professionem admitteret, professio esset nulla... »

§ II.

Ad quosnam de communitate pertineat novitios recipere.

Dictum est quatenus novitiorum receptio ad ipsummet religiosum ordinem pertineat. Remanet dicendum per quosnam ordinis seu communitatis religiosos receptio hæc facienda sit.

I. Ante Sixti V constitutiones, ex juris textibus non satis liquebat, an novitios recipiendi potestas pertineret ad *solum* prælatum religionis, an vero necessarius etiam foret capituli consensus : unde id concludendum erat ex singulorum ordinum constitutionibus, aut consuetudine (vide Suaresium *de religione*, tomo 3, l. 5, c. 10, n. 6 ; necnon Tamburinum, loco citato, n. 6 et 7).

II. A Sixto V statutum fuit, ut prælatus religionis non posset novitios 16 annorum ætate majores admittere, nisi accedente aliquorum consultorum consensu. In sua nempe constitutione *cum de omnibus*, anni 1587, statuerat laudatus Pontifex in hunc modum : *Volumus ut cujusque juvenis aut viri*

Digitized by Google

majoris 16 *annis a sæculo ad religionem transeuntis, approbatio, admissio et receptio in generali vel provinciali capitulo, ut supra ordinatum est, pro tempore fiant.* Et paulo ante disposuerat admittendos non esse ad habitum nisi approbatos in capitulo generali vel provinciali, *tam superioris generalis seu provincialis, quam diffinitorum consensu.* Postea vero in constitutione *ad Romanum*, prioris declarativa, et duodecimo calendas novembris 1588 edita, præfatam dispositionem moderavit in hunc modum : « Cum vero in quibusdam religionibus capi« tula provincialia, aut nunquam, aut non quotannis sed « rarius celebrentur..., concedimus et indulgemus ut in qua« libet provincia, saltem duo, vel si commode fieri poterit « tria aut plura monasteria seu domus regulares deputentur, « quarum seu quorum superiores infra annum, saltem ad « inquisitionem super novitiis faciendam, et ad ipsos religiosos « juxta formam præfatæ constitutionis recipiendos..., simul « congregentur. Quod si paucitas aut nimia distantia mona« steriorum ne id quidem patiatur, saltem tribus ex anti« quioribus patribus unius monasterii aut domus ejus pro« vinciæ hujusmodi facultas et authoritas, per capitulum « generale, scilicet monachorum, vel provinciale mendican« tium et reliquorum regularium hujus ordinis demandetur. « Verum in iis monasteriis, domibus, et locis regularibus, quæ « aut nondum in congregationes redacta, aut alias nulli pro« vinciæ subjecta sunt, statuimus, ut trina capitula conven« tualia, tribus distinctis cum intervallo saltem decem « dierum vicibus celebrata, eamdem de recipiendis novitiis, « per trinas hujusmodi distinctas vices approbatis, habeant « authoritatem, quæ per Nostram constitutionem capitulis « provincialibus est attributa. » Addit Pontifex necessariam non esse unanimitatem suffragiorum, sed sufficere numerum jure communi aut statutis religiosi ordinis determinatum. (Duas citatas Sixti V constitutiones in extenso reperies apud Tamburinum ; *de jure abbatum*, tom. 3, disp. 6, ad finem *quæsiti* 4 ; extant etiam in bullario romano.) Ex his autem

Digitized by Google

bullis patet receptionem novitiorum pendere, non a solo prælato religionis, sed simul ab aliquot aliis religiosis, ad ferendum in hac re judicium deputandis.

III. Modum hunc novitios recipiendi necessarium fecerat Sixtus V, non tantum ad *liceitatem*, sed etiam ad *validitatem* admissionis et secutæ professionis. Sed Clemens VIII, constitutione sua *in suprema* 2 aprilis 1602, Sixtinam illam dispositionem ita moderavit, ut necessaria foret ejus observatio ad liceitatem, *non ad validitatem*. En ipsius verba : « Constitutiones « prædictas Sixti prædecessoris ; quoad eam partem per quam « eorum qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam « de cætero non servaverint..., professio nulla declaratur, « ad terminos juris et sacrorum canonum (perinde ac si præ« dictæ constitutiones in illa parte editæ non fuissent) aucto« ritate Apostolica, tenore præsentium, reducimus. Cæterum « pœnas contra superiores..., qui in admittendis regularibus « ad habitum et professionem, earumdem constitutionum « formam non servaverint..., salvas esse volumus et statui« mus. »

IV. Dispositio Sixti V, circa eos qui possunt novitios admittere, sic a Clemente VIII moderata, constituit adhuc jus commune. Adhuc nempe viget obligatio formam a Sixto V præscriptam servandi, et vigent etiam pœnæ ab ipso in contravenientes latæ ; sed ipsius violatione non sequitur novitiatus et professionis nullitas.

V. Jus autem illud commune ortum dedit sequentibus difficultatibus : *primo* an sufficiat pro admittendo novitio majorem partem consultorum consentire cum abbate, vel provinciali ? respondendum affirmative (vide Tamburinum, loco cit., quæs. I, n. 10). *Secundo*, si tres sint consultores, et unus cum provinciali sit pro admittendo, alii vero rejiciendo postulante, an possit fieri admissio ? respondendum affirmative (ibidem n. 11). *Tertio*, si abbas vel provincialis sit pro admissione, alii autem omnes contra, num postulans admitti ad novitiatum licite poterit ? respondendum negative (ibidem, n. 12).

Digitized by Google

Notetur hoc jus a Sixto V inductum, non respicere moniales, prout expresse habetur in posteriori ejus constitutione *ad Romanum*. Item notetur jus illud respicere duntaxat postulantes annis 16 majores.

VI. Quamvis autem dicta Sixti V dispositio, moderata ut præmissum est, jus commune hodiedum constituat, præcipue hac in re attendendum est ad singulorum ordinum privilegia. Solent enim quoad hoc suo quique modo, a sede Apostolica approbato, procedere.

VII. Quoad Italiam et adjacentes insulas, nova præscripta fuit novitios recipiendi forma, decreto incipiente *regulari disciplinæ*, diei 18 januarii 1848. Latum est hoc decretum a Sacra Congregatione, quæ *disciplinæ regularis* nuncupatur, et fuit a Pio IX feliciter regnante confirmatum. In eo disponitur, ut constituatur certus numerus examinatorum seu consultorum, ex gravioribus et prudentioribus religiosis eligendorum, qui judicium ferant; et ii duntaxat postulantes admittantur, qui unum saltem supra medietatem suffragiorum obtinuerint. Decretum illud, quo astringuntur etiam congregationes in quibus simplicia tantum vota fiunt, editum reperies in publicatione cui titulus *Correspondance de Rome* (seconde édit., pag. 14 et 15). Quod autem dispositio hæc respiciat solummodo Italiam et adjacentes insulas in ipso decreto expresse declaratur.

CAPUT IV.

DE INFORMATIONE, NOVITIORUM ADMISSIONI PRÆMITTENDA.

Agemus 1° de informatione ipsa; 2° de capienda cognitione ejusdem informationis; 3° de litteris testimonialibus Episcop quas insuper necessarias fecit Pius IX feliciter regnans.

§ I.

De ipsa informatione.

QUÆSTIO I^a. — *In necessario capiendæ sint informationes de*

Digitized by Google

postulante, antequam ad novitiatum admittatur? — Respondeo 1° necessarias esse prævias informationes, ut admissio sit *licita*. Constat *primo* ex jure naturali : etenim imprudens foret et valde noxium si admitterentur homines, de quibus nesciretur an sint probi, an catholici, an uxorati, an e carceribus fugitivi, etc; ut per se patet. Si tamen postulans esset apprime notus, de jure naturali informationes non requirerentur : fiunt enim ad hanc notitiam acquirendam. Constat *secundo* ex lege Sixti V eas informationes præscribente. Quamvis enim observatio formæ a Sixto V præscriptæ desierit esse necessaria ad *validitatem* admissionis et secutæ professionis, non tamen desiit esse necessaria quoad liceitatem et quoad pœnas in superiores contravenientes.

Respondeo 2° necessarias non esse prævias informationes ut *valida* sit admissio et secuta professio. Nam ante et post Sixtum V nulla universali lege statutum est, irritam fore admissionem et professionem ob omissas informationes. Ergo nullitas hæc ex solis Sixti V constitutionibus (quæ revera eas decernunt) repeti deberet. Sed constitutionibus illis quoad hoc derogavit Clemens VIII (bulla *in suprema* 2 aprilis 1602). Voluit nempe Sixtinas illas constitutiones haberi *perinde ac si editæ non fuissent, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam non servaverint, professio nulla declaratur*. Ergo hodie, attento jure communi (et abstrahendo a particulari cujuslibet religiosi ordinis) prætendi non potest professionis nullitas, ex eo solo quod omissæ fuerint informationes, nec a fortiori ex eo solo quod indebita forma captæ sint. Cum tamen adhuc necessariæ remanserint informationes, Sixto V præscriptæ, ad *licitam* admissionem, earum formam sub sequentibus quæsitis exponimus.

QUÆSTIO II^a^. — *Quales personæ ad capiendas dictas informationes adhibendæ sint?* — 1° De jure communi *juridicam* esse debere informationem illam, receptum apud doctores reperio (adi Tamburinum, *de jure abbatum*, tom. 3, disput. 6, *quæsito* 4, n. 7). Id concludunt ex verbis Sixti V, qui exigit *accuratam*

Digitized by Google

informationem et relationem *fide dignam*. 2° Ex eo quod juridica esse debeat informatio, sequitur *primo* adhibendos esse saltem duos testes; et ab ipsis juramentum esse præstandum, quia testes nisi sint jurati, fidem non faciunt. *Secundo* adhibendum etiam esse notarium, ut instrumentum fidem facere possit; qui tamen notarius esse potest sive sæcularis, sive religiosus : nam religionum prælati possunt et solent aliquos religiosos notarios creare. *Tertio*, capiens informationem potest esse, vel aliquis judex ecclesiasticus (verbi gratia vicarius generalis Episcopi), vel etiam aliquis judex sæcularis, vel tandem quilibet religiosus, a prælato religionis ad hoc deputatus (vide Tamburinum, loco citato). 3° Nisi obstaret prædicta doctorum auctoritas, mihi non videretur ex verbis Sixti V rigorose concludi *juridicam* esse debere informationem. Nam et *accurata* et *fide digna* merito adhuc dici poterit informatio non juridica, id est, absque notario et absque testium juramento capta, si constet sufficienter de gravitate et probitate, tum capientis informationem, tum adhibitorum testium. 4° Quod diximus de personis pro capienda informatione adhibendis, intelligendum est de jure communi, et abstrahendo a facultatibus specialibus quas varii ordines religiosi a sede Apostolica, quoad hoc obtinuerunt. Nam, ut ait Suarez (*de religione*, tom. 3, l. 5, c. 10, n. 17), « variæ religiones circa « hanc etiam informationem seu inquisitionem, et circa perso- « nas per quas facienda est, vel quibus ratio de illa est red- « denda, moderationem seu declarationem a sede Apostolica « obtinuerunt. Sed illa universalis non est, et ideo ad no- « stram declarationem non pertinet; sed unaquæque religio « modum sibi præscriptum observare tenebitur. »

QUÆSTIO III^a. — *Quibus de rebus capienda sit informatio, seu (quod idem est) quibus de rebus testes interrogari debeant?* — Sedulo distinguendæ sunt informationes capiendæ vi juris naturalis, aut vi constitutionum cujuslibet ordinis religiosi, ab informationibus per Sixtinas constitutiones injunctis. Nam quænam informationes *de jure naturali* capiendæ sint, et quæ

Digitized by Google

postulante, antequam ad novitiatum admittatur?

necessarias esse prævias informationes, ut

Constat *primo* ex jure naturali : etenim

valde noxium si admitterentur homi

an sint probi, an catholici, an uxo

vi, etc ; ut per se patet. Si tamen

de jure naturali informatione

ad hanc notitiam acquirend

eas informationes præscr

mæ a Sixto V præscri

tem admissionis et

necessaria quoad

travenientes.

Respondeo

valida sit

tum V p

sioner

tas

r

is

n-

ous

: 2°

es quæ fieri insuper

um ex plurimarum religionum

quibus interrogari debent testes, ob Sixtinæ legis onem. — Exprimuntur in constitutione *cum de omnitas* in hunc modum : « Perpetuo statuimus et ordinamus, « juvenes aut viros adultos majores sexdecim annis, non aliter « in aliquam religionem recipi posse nec debere, nisi prius de « eorum parentibus, patria, deque anteacta vita et moribus « diligenter inquiratur ; et ex accurata informatione et fide « digna relatione compertum et exploratum sit, eos neque « aliquorum criminum (qualia sunt homicidia, furta, latro- « cinia, vel alia similia aut graviora) reos vel suspectos exi- « stere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur formi- « dent ; neque ingent ære alieno supra vires facultatum sua- « rum gravatos ; vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut « ex hujusmodi causa lis vel molestia eis jam illata, vel timen- « dum sit ne inferatur : nisi denique constet ipsos non humana aliqua ratione, sed tantum devotionis et pietatis fervore « vitam religiosam sponte et ex animo elegisse. »

In constitutione autem *ad Romanum*, quædam ex modo transcriptis moderavit Sixtus V in hunc modum : 1° quoad exteros de quibus difficile haberi posset plena de prædictis in-

Digitized by Google

'io : « Sancimus exteros hujusmodi et advenas, quamvis 'quido constet de iis omnibus quæ in constitutione 'quiruntur, tamen si, diligentia adhibita, nihil appa- 's impediat, habiles reputandos esse .» 2° Quoad uc demum id (*nempe quod statuerat*) locum ha- 't non aliter, cum actis publicis constiterit 'iam sæcularem, ante susceptionem habi- dversus eos accusationem suscepisse, 'isse.» 3° Quoad moniales : « Quæ a in præfata constitutione sancita 's ad moniales nunc extendi. » . ɔıxti V quoad exclusionem illegiti- ɔɔu religionis. Sublata nempe fuit dispositio .ıegorio XIV, et reductum jus commune antea vigens, per constitutionem *circumspecta* (quam in extenso reperies apud Tamburinum, *de jure abbatum*, tom. 3, disp. 6, ad calcem *quæsiti* 4).

His præmissis, capita de quibus interrogari debent testes possunt hoc modo determinari :

1° *Quinam sint postulantis parentes?* — 2° *Quænam ejus patria?* — 3° *Quem se præbuerit vita et moribus?* — 4° *An actis publicis constet, eum accusatum aut inquisitum fuisse, ob aliquod homicidium, furtum, latrocinium, vel alia similia aut graviora crimina?* — 5° *An sit ingenti ære alieno gravatus, et solvendo impar?* — 6° *An obnoxius sit reddendæ rationi pro aliqua administratione; ita ut propterea lite aut molestia aliqua hic et nunc prematur, vel ne prematur timendum habeat?* — 7° *An religionem ingredi velit ex aliquo humano motivo; an vero ex devotionis et pietatis impulsu?* — 8° *An spontaneum sit hoc ipsius ingrediendæ religionis propositum?* Istæ, inquam, et non aliæ interrogationes faciendæ sunt, attento *jure communi positivo*, et abstrahendo a jure naturali et a jure particulari variis religiosis ordinibus. Necessariæ autem sunt, ut supra ostendimus, non ad *validitatem*, sed tantum ad *liceitatem* admissionis, et ut vitentur pœnæ in superiores contravenientes latæ.

Digitized by Google

II. *Interrogationes quæ addi solent, sive ex jure naturali, sive ex statutis particularibus variorum ordinum* — 1° An parentes sint catholici et bonæ famæ. 2° An postulans natus sit ex matrimonio legitimo. 3° An sit ligatus matrimonio vel sponsalibus. 4° An integra mentis et corporis valetudine utatur. 5° An contagioso aliquo morbo laboret. 6° An a judaica vel hæretica aut schismatica stirpe oriundus.

QUÆSTIO IV^a.—*Qualis requiratur et sufficiat testium responsio ad quæsita, vi Sixtinæ legis facienda.* — 1° Ad quæsitum, *quinam sint ejus parentes*, sufficit responderi per patris et matris nomina ; satis est nempe si dicatur quorum filius sit postulans ; nec requiritur ut testes exprimant an sint divites, nobiles, probi, legitime conjugati, aut alia ejusmodi. Vide id probatum a Suaresio (*de religione*, tom. 3, l. 5, c. 10, n. 12). 2° Ad quæsitum *quænam sit ejus patria*, sufficit pariter ut regio sufficienter denominetur, absque ullo testimonio de regionis illius qualitatibus (de quo vide etiam Suaresium, loco citato). 3° De quæsito *qualis fuerit vita et moribus*, duplex occurrit difficultas: *primo*, an sufficiat de vitæ et morum integritate ferri testimonium *negative*, id est, affirmando postulantem *non esse reum ullius criminis?* Dicendum ita sufficere (vide Suaresium loco citato, n. 14). *Secundo*, an sufficiat testes dicere, *se nescire* ullum a postulante patratum crimen ; an vero necesse sit postulantem innoxium ab ipsis affirmari? Difficultas in eo est, quod prior modus testandi non videatur sufficere ; posterior vero vix aut raro possit haberi. Dicendum formulam hanc : *Nullum cognosco a postulante patratum crimen*, per se solam sufficientem non fore : sed sufficiens erit si testes simul affirment sibi valde notum esse postulantem ejusque vitam et mores. « Quæ negatio, inquit Suarez, si pura sit, nihil certe probat, ut per se « constat : si autem tale testimonium feratur ab eo, qui simul « profitetur se cognoscere talem personam et mores ejus, moraliter valde probabile est ; et existente sufficienti numero « testium (pro materiæ qualitate), sufficiens probatio est. » (Loco citato.) Tamen quoad postulantes e dissitis regionibus

Digitized by Google

oriundos, sufficiet merum testimonium negativum, cum ita declaraverit Sixtus V, in posteriori sua constitutione. 4° Ad quæsitum, *an actis publicis constet postulantem accusatum vel inquisitum fuisse, ob homicidium, furtum etc.*, sufficiat pariter a testibus responderi, se nullam talem accusationem aut inquisitionem noscere, modo simul profiteantur, nosci a se postulantem et mores ejus. Notetur autem de solis criminibus publicis non autem de occultis, necessarium esse, ex lege Sixtina, interrogationem et responsionem. 5° Ad quæsitum, *an sit ingenti ære alieno gravatus et solvendo impar*, sufficiet item si respondeant testes, sibi nequaquam innotuisse quod postulans in tali conditione versetur, quamvis ipsum pernotum habeant. 6° Ad quæsitum *an sit reddendis rationibus obnoxius, etc.*, sufficiet responsio ut ad præcedens. 7° Ad quæsitum *an religionem ingredi velit ex humano motivo, etc.*, procul dubio sufficiet testimonium negativum, quo nempe testes affirment sibi nequaquam innotuisse pravam ullam postulantis intentionem. « Quia, inquit Suarez, nec Dei vocatio, nec religiosa in-« tentio potest aliis ita esse nota, ut de illa possint affirmativum « testimonium ferre. » (*De religione*, tom. 3, l. 5, c. 10, n. 16.) 8° Ad quæsitum, *an spontaneum sit postulantis propositum religionem ingrediendi*, sufficiet a testibus responderi, nullum sibi innotescere postulanti illatam violentiam aut coactionem; modo adjiciant bene nosci a se postulantem. Cum enim contingere possit, ut postulans secreto, insciis omnibus, ab aliquo ad religionem compellatus, nullus unquam testis posset de absentia coactionis affirmativum testimonium absolute ferre; unde necesse est ut sufficiat de hoc testimonium negativum, cum prædicta de postulante notitia conjunctum.

Nota — Cum ejusmodi interrogationes non sint jam necessariæ ad validitatem admissionis et secutæ professionis, sed tantum ad liceitatem, si contingat difficile haberi testes qui certo sufficientem responsionem ad omnia dare valeant, non videtur scrupulose agendum : nam ubi de præceptis ecclesiasticis agitur, verum semper remanet generale principium, ejus-

Digitized by Google

modi leges non obligare cum gravi incommodo. Atque id extendendum videtur ad formam juridicam informationis: in Galliis, verbi gratia, facile contingere potest ut sine gravi incommodo non possit fieri informatio cum notario et juratis testibus. Qua stante difficultate, excusanda videtur hujus utriusque formalitatis omissio. Cæterum, ut supra jam adnotavimus, plerique et forsan omnes religiosi ordines opportunas quoad id facultates et declarationes a sede Apostolica sibi comparaverunt, ex quibus in praxi diriguntur.

§ II.

Quibus notificari debeat informatio.

In constitutione *cum de omnibus*, sancivit Sixtus V ne recipi possent sexdecim annis majores, nisi capta informatione de capitibus supra descriptis, *deque his omnibus in generali vel provinciali capitulo plena et indubitata fide facta*. Auctoritatem autem ibi generali aut provinciali capitulo attributam, exerceri postea indulsit per superiores duorum aut trium conventuum, vel etiam per tres ex antiquioribus unius monasterii. Si ergo adhibeatur capitulum generale ant provinciale, ipsi dari debet communicatio informationis factæ: non tamen ad capitulum pertinebit de postulantis admissione decernere; siquidem expresse disponit idem Pontifex, admissionem hanc faciendam esse *tam generalis seu provincialis quam diffinitorum consensu*. Si autem capituli loco adhibeantur tres supradicti graviores religiosi, ad ipsos et provincialem simul pertinebit, tum informationem examinare, tum et de admissione pronuntiare. Tunc enim tres illi antiquiores, et vices agunt capituli, et simul sunt illi diffinitores, quorum consensus pro admissione requiritur. Notetur autem non periclitari admissionis validitatem, ex eo quod etiam in hac re Sixtina lex non servaretur; quia, ut diximus, Clemens VIII nullitates, sive novitiatus, sive professionis, ex omissa forma a Sixto V præscripta provenientes, abrogavit per bullam *in suprema*, 2 junii 1602.

Digitized by Google

§ III.

De litteris testimonialibus Episcopi, quas insuper necessarias fecit Pius IX feliciter regnans.

1° Sic habet decretum hac de re latum 25 januarii 1848 : *Nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans, post expletum decimum quintum annum ætatis suæ, ultra annum moratus fuerit.*

2° Hac dispositione attinguntur etiam congregationes in quibus simplicia duntaxat vota emitti solent (vide n. 1 decreti).

3° Non tamen sub ea comprehendi videntur moniales, cum de ipsis nulla expresse mentio fiat.

4° Vi hujus decreti non requiritur, ad legitimam postulantis admissionem, Episcopi consensus aut approbatio, sed duntaxat requiruntur testimoniales ipsius litteræ.

5° Requiruntur istæ litteræ ad liceitatem admissionis, non autem ad validitatem, unde non posset quis professionis suæ nullitatem prætendere, ex eo quod admissus fuisset absque præviis ejusmodi litteris.

6° Referre debet Episcopus in iis litteris de postulantis *natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius* (n. 2).

7° Dictum decretum formam legis universalis habet. Quod adnotamus, quia eodem die latum est aliud decretum respiciens duntaxat Italiæ et adjacentium insularum regulares.

8° Hæc Pii IX dispositio non tollit obligationem faciendi informationes, de jure communi supra exposito necessarias; nullo enim verbo hanc obligationem abrogat. Unde hodie, cum illis informationibus necessariæ simul sunt Episcopi testimoniales litteræ.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE NOVITIATUS DURATIONE, LOCO, ET HABITU.

I. *Quanta et qualis esse debeat novitiatus duratio?* — 1° Certum est requiri novitiatus annum. Constat hisce Tridentini decreti verbis : *Nec qui minori tempore quam per annum post susceptum in probatione steterit, ad professionem admittatur* (sess. 25, *de regularibus*, c. 15).

2° Non debet novitiatus ultra annum protrahi. Constat his Tridentinæ synodi verbis : *Finito tempore novitiatus, superiores, novitios... ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant* (citatæ sessionis capite 16). Ab hac tamen lege Tridentini Patres ibidem excipiunt societatem Jesu, cujus instituto novitiatus biennium præscribitur (1).

3° Novitiatus annus debet esse completus de momento ad momentum. Unde si horæ quadrans, verbi gratia, deesset, professio pro nulla habenda foret (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 65).

4° Novitiatus annus computandus est a momento suscepti habitus vel (si habitus susceptio in aliqua religione non requiratur) a momento ingressus in novitiatum (vide citatum auctorem, ibid., n. 56).

5° Non valet novitiatus nisi sit continuus. Hinc, verbi gratia, qui sex mensibus in tyrocinio transactis egrederetur, et post annum rediret, atque aliis sex mensibus in novitiatu degeret, non censendus foret requisitum annum explesse;

(1) Novitiatus biennium in societate Jesu valide et licite contrahi potest a generali præposito, ad hoc ut novitius emittat professionem, si interveniat urgens causa; verbi gratia, ut professus fiat inhabilis ad magoratum. Ad hoc autem ut novitius emittat vota simplicia, tempus probationis *valide* quidem contrahere posset dictus generalis præpositus; non autem *licite*, quia prohibetur *congregationis generalis* 5 canone 12. Cæteri autem superiores nec licite nec valide id possunt (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 53 et seq.).

Digitized by Google

proinde professio quam tunc emitteret foret nulla (vide Reiffenstuel, in tit. *de regularibus*, n. 102).

6° Deficere censenda est novitiatus continuitas, si vel unico momento novitius e monasterio egrediatur, cum animo non redeundi. Tunc nempe, si facti pœnitens rediret, novitiatum de novo inchoare deberet (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 69). Quod si novitius, *retento habitu*, per breve tempus aufugiat, non censetur interruptus novitiatus (*Thesaurus resol.*, t. 6, p. 393, edit. Romæ 1741).

7° Si novitius, de superiorum licentia, aliquanto tempore, etiam per sex menses extra conventum moretur, non censenda est deficere requisita ad valorem professionis continuitas (Reiffenstuel, in tit. *de regularibus*, n. 107). « Novi- « tiatus non dicitur interruptus, si novitius extra claustra ex « justa causa et cum licentia superioris absit, juxta senten- « tiam quam amplexa est Sacra Congregatio. » (Tomo 4 *Thesauri resol.*, in *indice*, p. 397, edit. Urbini 1740.)

8° Item non deficit requisita continuitas, si novitius per decem etiam menses lecto infirmus decumbat (ibidem, n. 108.)

9° Qui expleto integro et continuo novitiatus anno, ante emissam professionem dimittitur, vel sponte egreditur, si postmodum redeat et recipiatur, poterit statim absque novo novitiatu valide profiteri, *si non intervenerit notabilis mutatio:* secus si, vel in ipso, vel in religione notabilis mutatio interea contigerit (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 70 et 71).

10° Professus qui transit a sua religione in *diversum* ordinem, etiam minus strictum, debet ibi integro anno in novitiatu versari : secus irrita erit nova ab ipso emissa professio. Contrarium dicendum si transeat ad religionem ejusdem ordinis et observantiæ (vide Schmalzgrueber, citato loco, n. 75).

11° Præfatis legibus, novitiatum respicientibus, non constringuntur congregationes, in quibus simplicia duntaxat vota

Digitized by Google

postulante, antequam ad novitiatum admittatur? — Respondeo 1° necessarias esse prævias informationes, ut admissio sit *licita*. Constat *primo* ex jure naturali : etenim imprudens foret et valde noxium si admitterentur homines, de quibus nesciretur an sint probi, an catholici, an uxorati, an e carceribus fugitivi, etc ; ut per se patet. Si tamen postulans esset apprime notus, de jure naturali informationes non requirerentur : fiunt enim ad hanc notitiam acquirendam. Constat *secundo* ex lege Sixti V eas informationes præscribente. Quamvis enim observatio formæ a Sixto V præscriptæ desierit esse necessaria ad *validitatem* admissionis et secutæ professionis, non tamen desiit esse necessaria quoad liceitatem et quoad pœnas in superiores contravenientes.

Respondeo 2° necessarias non esse prævias informationes ut *valida* sit admissio et secuta professio. Nam ante et post Sixtum V nulla universali lege statutum est, irritam fore admissionem et professionem ob omissas informationes. Ergo nullitas hæc ex solis Sixti V constitutionibus (quæ revera eas decernunt) repeti deberet. Sed constitutionibus illis quoad hoc derogavit Clemens VIII (bulla *in suprema* 2 aprilis 1602). Voluit nempe Sixtinas illas constitutiones haberi *perinde ac si editæ non fuissent, quoad eam partem, per quam eorum, qui formam in eisdem constitutionibus præscriptam non servaverint, professio nulla declaratur*. Ergo hodie, attento jure communi (et abstrahendo a particulari cujuslibet religiosi ordinis) prætendi non potest professionis nullitas, ex eo solo quod omissæ fuerint informationes, nec a fortiori ex eo solo quod indebita forma captæ sint. Cum tamen adhuc necessariæ remanserint informationes, Sixto V præscriptæ, ad *licitam* admissionem, earum formam sub sequentibus quæsitis exponimus.

QUÆSTIO II^a^. — *Quales personæ ad capiendas dictas informationes adhibendæ sint?* — 1° De jure communi *juridicam* esse debere informationem illam, receptum apud doctores reperio (adi Tamburinum, *de jure abbatum*, tom. 3, disput. 6, *quæsito* 4, n. 7). Id concludunt ex verbis Sixti V, qui exigit *accuratam*

Digitized by Google

informationem et relationem *fide dignam*. 2° Ex eo quod juridica esse debeat informatio, sequitur *primo* adhibendos esse saltem duos testes; et ab ipsis juramentum esse præstandum, quia testes nisi sint jurati, fidem non faciunt. *Secundo* adhibendum etiam esse notarium, ut instrumentum fidem facere possit; qui tamen notarius esse potest sive sæcularis, sive religiosus : nam religionum prælati possunt et solent aliquos religiosos notarios creare. *Tertio*, capiens informationem potest esse, vel aliquis judex ecclesiasticus (verbi gratia vicarius generalis Episcopi), vel etiam aliquis judex sæcularis, vel tandem quilibet religiosus, a prælato religionis ad hoc deputatus (vide Tamburinum, loco citato). 3° Nisi obstaret prædicta doctorum auctoritas, mihi non videretur ex verbis Sixti V rigorose concludi *juridicam* esse debere informationem. Nam et *accurata* et *fide digna* merito adhuc dici poterit informatio non juridica, id est, absque notario et absque testium juramento capta, si constet sufficienter de gravitate et probitate, tum capientis informationem, tum adhibitorum testium. 4° Quod diximus de personis pro capienda informatione adhibendis, intelligendum est de jure communi, et abstrahendo a facultatibus specialibus quas varii ordines religiosi a sede Apostolica, quoad hoc obtinuerunt. Nam, ut ait Suarez (*de religione*, tom. 3, l. 5, c. 10, n. 17), « variæ religiones circa « hanc etiam informationem seu inquisitionem, et circa perso- « nas per quas facienda est, vel quibus ratio de illa est red- « denda, moderationem seu declarationem a sede Apostolica « obtinuerunt. Sed illa universalis non est, et ideo ad no- « stram declarationem non pertinet; sed unaquæque religio « modum sibi præscriptum observare tenebitur. »

QUÆSTIO III^a. — *Quibus de rebus capienda sit informatio, seu (quod idem est) quibus de rebus testes interrogari debeant?* — Sedulo distinguendæ sunt informationes capiendæ vi juris naturalis, aut vi constitutionum cujuslibet ordinis religiosi, ab informationibus per Sixtinas constitutiones injunctis. Nam quænam informationes *de jure naturali* capiendæ sint, et quæ

Digitized by Google

forma adhiberi in hoc valeat, prudentis viri judicio relinquitur: sufficit nempe fieri, quod sufficiens existimatur. Ad informationes quod attinet *vi constitutionum particularium* alicujus ordinis religiosi faciendas, satis est adnotare, faciendas eas esse quæ præscribuntur, et eo modo qui in illius ordinis instituto præscribitur. Nec de iis nobis agendum, cum jus particulare cujuslibet ordinis religiosi respiciant. At vero informationes ex lege Sixtina faciendas plurimi refert apprime dignoscere. Quia, licet abrogatæ quatenus ad *validitatem* admissionis necessariæ, quoad liceitatem tamen hodiedum, de jure communi obligatoriæ permanserunt. Hinc dicemus 1° de quibus interrogari debeant testes vi Sixtinarum constitutionum : 2° subjiciemus nonnullas alias interrogationes quæ fieri insuper solent, tum ex jure naturali, tum ex plurimarum religionum constitutionibus.

I. *Capita de quibus interrogari debent testes, ob Sixtinæ legis præscriptionem.* — Exprimuntur in constitutione *cum de omnibus*, in hunc modum : « Perpetuo statuimus et ordinamus, « juvenes aut viros adultos majores sexdecim annis, non aliter « in aliquam religionem recipi posse nec debere, nisi prius de « eorum parentibus, patria, deque anteacta vita et moribus « diligenter inquiratur; et ex accurata informatione et fide « digna relatione compertum et exploratum sit, eos neque « aliquorum criminum (qualia sunt homicidia, furta, latro- « cinia, vel alia similia aut graviora) reos vel suspectos exi- « stere, ut propterea damnati sint, aut ne damnentur formi- « dent; neque ingent ære alieno supra vires facultatum sua- « rum gravatos; vel reddendis ratiociniis ita obnoxios, ut « ex hujusmodi causa lis vel molestia eis jam illata, vel timen- « dum sit ne inferatur : nisi denique constet ipsos non huma- « na aliqua ratione, sed tantum devotionis et pietatis fervore « vitam religiosam sponte et ex animo elegisse. »

In constitutione autem *ad Romanum*, quædam ex modo transcriptis moderavit Sixtus V in hunc modum : 1° quoad exteros de quibus difficile haberi posset plena de prædictis in-

Digitized by Google

formatio : « Sancimus exteros hujusmodi et advenas, quamvis « non liquido constet de iis omnibus quæ in constitutione « Nostra requiruntur, tamen si, diligentia adhibita, nihil appa- « reat quod eos impediat, habiles reputandos esse .» 2° Quoad criminosos : « Tunc demum id (*nempe quod statuerat*) locum ha- « bere volumus, et non aliter, cum actis publicis constiterit « ipsos judices et curiam sæcularem, ante susceptionem habi- « tus de ipso crimine adversus eos accusationem suscepisse, « vel inquisitionem instituisse.» 3° Quoad moniales : « Quæ a « nobis circa religiosos viros in præfata constitutione sancita « sunt, ea nequaquamv olumus ad moniales nunc extendi. »

Moderata etiam fuit lex Sixti V quoad exclusionem illegitimorum ab ingressu religionis. Sublata nempe fuit dispositio hæc a Gregorio XIV, et reductum jus commune antea vigens, per constitutionem *circumspecta*(quam in extenso reperies apud Tamburinum, *de jure abbatum*, tom. 3, disp. 6, ad calcem *quæsiti* 4).

His præmissis, capita de quibus interrogari debent testes possunt hoc modo determinari :

1° *Quinam sint postulantis parentes?* — 2° *Quænam ejus patria?* — 3° *Quem se præbuerit vita et moribus?* — 4° *An actis publicis constet, eum accusatum aut inquisitum fuisse, ob aliquod homicidium, furtum, latrocinium, vel alia similia aut graviora crimina?* — 5° *An sit ingenti ære alieno gravatus, et solvendo impar?* — 6° *An obnoxius sit reddendæ rationi pro aliqua administratione; ita ut propterea lite aut molestia aliqua hic et nunc prematur, vel ne prematur timendum habeat?* — 7° *An religionem ingredi velit ex aliquo humano motivo; an vero ex devotionis et pietatis impulsu?* — 8° *An spontaneum sit hoc ipsius ingrediendæ religionis propositum?* Istæ, inquam, et non aliæ interrogationes faciendæ sunt, attento *jure communi positivo*, et abstrahendo a jure naturali et a jure particulari variis religiosis ordinibus. Necessariæ autem sunt, ut supra ostendimus, non ad *validitatem*, sed tantum ad *liceitatem* admissionis, et ut vitentur pœnæ in superiores contravenientes latæ.

Digitized by Google

II. *Interrogationes quæ addi solent, sive ex jure naturali, sive ex statutis particularibus variorum ordinum* — 1° An parentes sint catholici et bonæ famæ. 2° An postulans natus sit ex matrimonio legitimo. 3° An sit ligatus matrimonio vel sponsalibus. 4° An integra mentis et corporis valetudine utatur. 5° An contagioso aliquo morbo laboret. 6° An a judaica vel hæretica aut schismatica stirpe oriundus.

QUÆSTIO IV^a^.—*Qualis requiratur et sufficiat testium responsio ad quæsita, vi Sixtinæ legis facienda.* — 1° Ad quæsitum, *quinam sint ejus parentes*, sufficit responderi per patris et matris nomina ; satis est nempe si dicatur quorum filius sit postulans; nec requiritur ut testes exprimant an sint divites, nobiles, probi, legitime conjugati, aut alia ejusmodi. Vide id probatum a Suaresio (*de religione*, tom. 3, l. 5, c. 10, n. 12). 2° Ad quæsitum *quænam sit ejus patria*, sufficit pariter ut regio sufficienter denominetur, absque ullo testimonio de regionis illius qualitatibus (de quo vide etiam Suaresium, loco citato). 3° De quæsito *qualis fuerit vita et moribus*, duplex occurrit difficultas: *primo*, an sufficiat de vitæ et morum integritate ferri testimonium *negative*, id est, affirmando postulantem *non esse reum ullius criminis?* Dicendum ita sufficere (vide Suaresium loco citato, n. 14). *Secundo*, an sufficiat testes dicere, *se nescire* ullum a postulante patratum crimen; an vero necesse sit postulantem innoxium ab ipsis affirmari? Difficultas in eo est, quod prior modus testandi non videatur sufficere ; posterior vero vix aut raro possit haberi. Dicendum formulam hanc : *Nullum cognosco a postulante patratum crimen*, per se solam sufficientem non fore : sed sufficiens erit si testes simul affirment sibi valde notum esse postulantem ejusque vitam et mores. « Quæ negatio, inquit Suarez, si pura sit, nihil certe probat, ut per se « constat : si autem tale testimonium feratur ab eo, qui simul « profitetur se cognoscere talem personam et mores ejus, moraliter valde probabile est; et existente sufficienti numero « testium (pro materiæ qualitate), sufficiens probatio est. » (Loco citato.) Tamen quoad postulantes e dissitis regionibus

Digitized by Google

oriundos, sufficiet merum testimonium negativum, cum ita declaraverit Sixtus V, in posteriori sua constitutione. 4° Ad quæsitum, *an actis publicis constet postulantem accusatum vel inquisitum fuisse, ob homicidium, furtum etc.*, sufficiat pariter a testibus responderi, se nullam talem accusationem aut inquisitionem noscere, modo simul profiteantur, nosci a se postulantem et mores ejus. Notetur autem de solis criminibus publicis non autem de occultis, necessarium esse, ex lege Sixtina, interrogationem et responsionem. 5° Ad quæsitum, *an sit ingenti ære alieno gravatus et solvendo impar*, sufficiet item si respondeant testes, sibi nequaquam innotuisse quod postulans in tali conditione versetur, quamvis ipsum pernotum habeant. 6° Ad quæsitum *an sit reddendis rationibus obnoxius, etc.*, sufficiet responsio ut ad præcedens. 7° Ad quæsitum *an religionem ingredi velit ex humano motivo, etc.*, procul dubio sufficiet testimonium negativum, quo nempe testes affirment sibi nequaquam innotuisse pravam ullam postulantis intentionem. « Quia, inquit Suarez, nec Dei vocatio, nec religiosa in-« tentio potest aliis ita esse nota, ut de illa possint affirmativum « testimonium ferre. » (*De religione*, tom. 3, l. 5, c. 10, n. 16.) 8° Ad quæsitum, *an spontaneum sit postulantis propositum religionem ingrediendi*, sufficiet a testibus responderi, nullum sibi innotescere postulanti illatam violentiam aut coactionem; modo adjiciant bene nosci a se postulantem. Cum enim contingere possit, ut postulans secreto, insciis omnibus, ab aliquo ad religionem compellatus, nullus unquam testis posset de absentia coactionis affirmativum testimonium absolute ferre; unde necesse est ut sufficiat de hoc testimonium negativum, cum prædicta de postulante notitia conjunctum.

Nota — Cum ejusmodi interrogationes non sint jam necessariæ ad validitatem admissionis et secutæ professionis, sed tantum ad liceitatem, si contingat difficile haberi testes qui certo sufficientem responsionem ad omnia dare valeant, non videtur scrupulose agendum: nam ubi de præceptis ecclesiasticis agitur, verum semper remanet generale principium, ejus-

Digitized by Google

modi leges non obligare cum gravi incommodo. Atque id extendendum videtur ad formam juridicam informationis: in Galliis, verbi gratia, facile contingere potest ut sine gravi incommodo non possit fieri informatio cum notario et juratis testibus. Qua stante difficultate, excusanda videtur hujus utriusque formalitatis omissio. Cæterum, ut supra jam adnotavimus, plerique et forsan omnes religiosi ordines opportunas quoad id facultates et declarationes a sede Apostolica sibi comparaverunt, ex quibus in praxi diriguntur.

§ II.

Quibus notificari debeat informatio.

In constitutione *cum de omnibus*, sancivit Sixtus V ne recipi possent sexdecim annis majores, nisi capta informatione de capitibus supra descriptis, *deque his omnibus in generali vel provinciali capitulo plena et indubitata fide facta*. Auctoritatem autem ibi generali aut provinciali capitulo attributam, exerceri postea indulsit per superiores duorum aut trium conventuum, vel etiam per tres ex antiquioribus unius monasterii. Si ergo adhibeatur capitulum generale aut provinciale, ipsi dari debet communicatio informationis factæ: non tamen ad capitulum pertinebit de postulantis admissione decernere; siquidem expresse disponit idem Pontifex, admissionem hanc faciendam esse *tam generalis seu provincialis quam diffinitorum consensu*. Si autem capituli loco adhibeantur tres supradicti graviores religiosi, ad ipsos et provincialem simul pertinebit, tum informationem examinare, tum et de admissione pronuntiare. Tunc enim tres illi antiquiores, et vices agunt capituli, et simul sunt illi diffinitores, quorum consensus pro admissione requiritur. Notetur autem non periclitari admissionis validitatem, ex eo quod etiam in hac re Sixtina lex non servaretur; quia, ut diximus, Clemens VIII nullitates, sive novitiatus, sive professionis, ex omissa forma a Sixto V præscripta provenientes, abrogavit per bullam *in suprema*, 2 junii 1602.

Digitized by Google

§ III.

De litteris testimonialibus Episcopi, quas insuper necessarias fecit Pius IX feliciter regnans.

1° Sic habet decretum hac de re latum 25 januarii 1848 : *Nemo ad habitum admittatur absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum etiam Ordinarii loci, in quo postulans, post expletum decimum quintum annum ætatis suæ, ultra annum moratus fuerit.*

2° Hac dispositione attinguntur etiam congregationes in quibus simplicia duntaxat vota emitti solent (vide n. 1 decreti).

3° Non tamen sub ea comprehendi videntur moniales, cum de ipsis nulla expresse mentio fiat.

4° Vi hujus decreti non requiritur, ad legitimam postulantis admissionem, Episcopi consensus aut approbatio, sed duntaxat requiruntur testimoniales ipsius litteræ.

5° Requiruntur istæ litteræ ad liceitatem admissionis, non autem ad validitatem, unde non posset quis professionis suæ nullitatem prætendere, ex eo quod admissus fuisset absque prævíis ejusmodi litteris.

6° Referre debet Episcopus in iis litteris de postulantis *natalibus, ætate, moribus, vita, fama, conditione, educatione, scientia, an sit inquisitus aliqua censura, irregularitate aut alio canonico impedimento irretitus, ære alieno gravatus, reddendæ alicujus administrationis rationi obnoxius* (n. 2).

7° Dictum decretum formam legis universalis habet. Quod adnotamus, quia eodem die latum est aliud decretum respiciens duntaxat Italiæ et adjacentium insularum regulares.

8° Hæc Pii IX dispositio non tollit obligationem faciendi informationes, de jure communi supra exposito necessarias; nullo enim verbo hanc obligationem abrogat. Unde hodie, cum illis informationibus necessariæ simul sunt Episcopi testimoniales litteræ.

Digitized by Google

CAPUT V.

DE NOVITIATUS DURATIONE, LOCO, ET HABITU.

I. *Quanta et qualis esse debeat novitiatus duratio?* — 1° Certum est requiri novitiatus annum. Constat hisce Tridentini decreti verbis : *Nec qui minori tempore quam per annum post susceptum in probatione steterit, ad professionem admittatur* (sess. 25, *de regularibus*, c. 15).

2° Non debet novitiatus ultra annum protrahi. Constat his Tridentinæ synodi verbis : *Finito tempore novitiatus, superiores, novitios... ad profitendum admittant, aut e monasterio eos ejiciant* (citatæ sessionis capite 16). Ab hac tamen lege Tridentini Patres ibidem excipiunt societatem Jesu, cujus instituto novitiatus biennium præscribitur (1).

3° Novitiatus annus debet esse completus de momento ad momentum. Unde si horæ quadrans, verbi gratia, deesset, professio pro nulla habenda foret (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 65).

4° Novitiatus annus computandus est a momento suscepti habitus vel (si habitus susceptio in aliqua religione non requiratur) a momento ingressus in novitiatum (vide citatum auctorem, ibid., n. 56).

5° Non valet novitiatus nisi sit continuus. Hinc, verbi gratia, qui sex mensibus in tyrocinio transactis egrederetur, et post annum rediret, atque aliis sex mensibus in novitiatu degeret, non censendus foret requisitum annum explesse;

(1) Novitiatus biennium in societate Jesu valide et licite contrahi potest a generali præposito, ad hoc ut novitius emittat professionem, si interveniat urgens causa; verbi gratia, ut professus fiat inhabilis ad magnatum. Ad hoc autem ut novitius emittat vota simplicia, tempus probationis *valide* quidem contrahere posset dictus generalis præpositus; non autem *licite*, quia prohibetur *congregationis generalis* 3 canone 12. Cæteri autem superiores nec licite nec valide id possunt (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 53 et seq.).

Digitized by Google

proinde professio quam tunc emitteret foret nulla (vide Reiffenstuel, in tit. *de regularibus*, n. 102).

6° Deficere censenda est novitiatus continuitas, si vel unico momento novitius e monasterio egrediatur, cum animo non redeundi. Tunc nempe, si facti pœnitens rediret, novitiatum de novo inchoare deberet (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 69). Quod si novitius, *retento habitu*, per breve tempus aufugiat, non censetur interruptus novitiatus (*Thesaurus resol.*, t. 6, p. 393, edit. Romæ 1741).

7° Si novitius, de superiorum licentia, aliquanto tempore, etiam per sex menses extra conventum moretur, non censenda est deficere requisita ad valorem professionis continuitas (Reiffenstuel, in tit. *de regularibus*, n. 107). « Novi- « tiatus non dicitur interruptus, si novitius extra claustra ex « justa causa et cum licentia superioris absit, juxta senten- « tiam quam amplexa est Sacra Congregatio. » (Tomo 4 *Thesauri resol.*, in *indice*, p. 397, edit. Urbini 1740.)

8° Item non deficit requisita continuitas, si novitius per decem etiam menses lecto infirmus decumbat (ibidem, n. 108.)

9° Qui expleto integro et continuo novitiatus anno, ante emissam professionem dimittitur, vel sponte egreditur, si postmodum redeat et recipiatur, poterit statim absque novo novitiatu valide profiteri, *si non intervenerit notabilis mutatio:* secus si, vel in ipso, vel in religione notabilis mutatio interea contigerit (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 70 et 71).

10° Professus qui transit a sua religione in *diversum* ordinem, etiam minus strictum, debet ibi integro anno in novitiatu versari : secus irrita erit nova ab ipso emissa professio. Contrarium dicendum si transeat ad religionem ejusdem ordinis et observantiæ (vide Schmalzgrueber, citato loco, n. 75).

11° Præfatis legibus, novitiatum respicientibus, non constringuntur congregationes, in quibus simplicia duntaxat vota

Digitized by Google

emittuntur. Leges enim illæ referuntur ad solemnem professionem, atque ad ejus validitatem; ac proinde non spectant ad congregationes, in quibus nulla fit solemnis professio. Præterea ut valeant vota simplicia, sufficit voventis voluntas. Unde in dictis congregationibus possunt superiores novitiatum anno breviorem facere, quin ideo irrita sint vota simplicia. Id tamen, absque justa causa, licitum eis non est, utpote (regulariter loquendo) congregationibus valde nocivum. Quod satis per se patet.

II. *De legitimo novitiatus loco.* — 1° Olim ante Tridentinam synodum « annus probationis non erat de substantia monachatus, sed poterat illi a partibus renuntiari; et censebatur tacite renuntiatum per professionem infra annum « emissam et acceptatam... poterat enim quis valide profiteri, sine ulla probatione, in ipsomet ingressu. » (Fagnanus, in caput *insinuante, qui clerici vel voventes*, n. 26.) Hinc attento illo antiquo jure, necesse non erat ut novitiatus intra monasterium seu conventum perageretur.

2° A tempore Tridentinæ synodi, omnino requiritur ut novitiatus fiat, quoad aliquam saltem anni partem, in conventu aliquo seu monasterio illius ordinis, in quo professio emittenda est : alioquin professio foret nulla. Nam, sessione 25, c. 15, irritam decrevit professionem, nisi professus *per annum in probatione steterit*. Qui autem in novitium admitteretur, sed ante professionem toto tempore extra conventum degeret, non posset dici *stare in probatione;* quia non experiretur rigorem regulæ; nec probaretur an esset ad eam aptus. Unde Fagnanus, ponens casum de eo, « qui habitum regularem « assumpsit extra monasterium, nec unquam per anni circulum ingressus est claustrum, » sic habet : « Talis, licet, « jure communi inspecto, quando probationis tempus erat « arbitrarium, recipi posset ad professionem, tamen existimo « secus dicendum esse post concilium Tridentinum. » (Loco cit., n. 41.)

3° Qui novitiatum ingressus, postea de licentia superiorum

Digitized by Google

extra conventum aliquantisper, atque etiam per notabilem anni partem degeret, nihilominus novitiatum valide perageret. Ita doctores communiter, et fuit a S. Congregatione Concilii declaratum (vide Fagnanum, loco cit., n. 38; et Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 60 et seq.). Ratio est, quia adesse censetur, qui de licentia superioris abest.

4° Quoad Italiam et adjacentes insulas prohibitum est, ne novitiatus alibi fiat, quam in conventibus *auctoritate Apostolica designatis :* ita nempe ut alibi factus non valeat, et nulla sit secuta professio. Ita disposuit Clemens VIII, 12 martii 1596, decreto *regularis disciplinæ*, quod in extenso reperies apud Tamburinum *(de jure abbatum*, tomo 3, disp. 6, post *quæsitum* 4, pag. 91, edit. Coloniæ Agrippinæ 1691). Id iterum firmavit idem Pontifex decreto *Sanctissimus in Christo Pater*, 20 junii 1599 (refertur in extenso apud Tamburinum, loco citato). In his duobus decretis expresse limitatur dispositio ad Italiam et adjacentes insulas. Vide insuper ejusdem Clementis VIII decretum *Sanctissimus in Christo Pater*, 19 maii 1602 (apud Tamburinum, loco citato, pag. 96) : necnon ejusdem Pontificis decretum *cum ad regularem*, 19 martii 1603 (refertur in extenso, tum a Tamburino, loco citato, tum apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 97).

5° Aliqui canonistæ, inter quos Ferraris (voce *annus novitiatus*, n. 36), legem illam, de faciendo novitiatu in solis monasteriis auctoritate Pontificia designatis, referunt quasi universalis esset, et non ad Italiam et adjacentes insulas restricta. Est tamen omnino clara restrictio. Etenim in primo ex supra citatis Clementis VIII decretis sic habetur : « Præcipimus « omnibus generalibus, provincialibus, commissariis, mini- « stris, cæterisque superioribus conventuum, *intra Italiæ et « insularum adjacentium fines existentium*, quibuscunque et « quorumcunque ordinum mendicantium; ut de cætero ne- « minem ad habitum regularem admittant, nisi in conven- « tibus auctoritate Nostra propediem in unaquaque provin- « cia designandis. » In secundo pariter ex citatis decretis,

Digitized by Google

quo dicta lex extenditur etiam ad *non mendicantes*, reperitur clausula, *intra Italiam et insularum adjacentium fines*.

6° A prædicta lege excepit Clemens VIII Carthusianos, Minores strictioris observantiæ, Capuccinos, reformatos Sancti Dominici, Carmelitas discalceatos, congregationem Fullensem, Cistercienses, eremitas eremi Camaldulensis Montis Coronæ, Theatinos, Jesuitas, clericos regulares sancti Pauli decollati et de Somascha, et regulares infirmorum ministros. Exprimitur exceptio hæc in Clementis VIII decreto *Sanctissimus*, 20 junii 1599.

7° Circa dictam obligationem in conventibus designatis novitiatum agendi, nonnullos casus, qui in praxi difficultatem facere possent, expendit Fagnanus (in cap. *insinuante*, *qui clerici vel vov.*, n. 44 et seq.), nempe :

Primus casus : Aliquis postulans receptus est in conventu non designato ; missus dein ad conventum pro novitiatu faciendo designatum, ubi habitum recipit, probationem agit et professionem emittit.—Dicendum in hoc casu non violari Clementis VIII decretum ; quia vera admissio tunc facta est in conventu designato, ubi habitu indutus est.

Secundus casus : Postulans in conventu non designato admittitur et recipit habitum ; non tamen pro illo conventu, sed pro conventu designato, ad quem revera mittitur, et in quo probationem et professionem facit. — Equidem primo intuitu violatum Clementinum decretum videri potest ; cum expresse prohibeat Clemens VIII ne extra conventus designatos postulans *ad habitum regularem admittatur*. Contrarium tamen dicendum ; quia prior conventus non suo, sed posterioris conventus nomine admissionem illam fecit : eamque ratam habuit posterior conventus. Unde vera et legitima admissio ad habitum in hoc casu fit a conventu designato ; quando nempe postulantem habitu sic indutum acceptat. Et notetur annum probationis tunc computandum esse, non a receptione postulantis in conventu non designato, sed a momento ipsius ingressus et admissionis in conventu designato. *Quod diligenter*

Digitized by Google

observandum est a superioribus regularibus, inquit Fagnanus; ne alioquin professio, ante expletum integrum probationis annum facta, irrita sit.

Tertius casus : Postulans ad habitum admittitur in conventu designato : postea transmittitur ad conventum non designatum, ibique expleta probatione, redit ad conventum designatum, in quo professionem emittit. — Primo intuitu videretur non violari decretum Clementinum. In eo enim facienda in conventu designato præcipitur *admissio ad habitum et professio* : quod autem in eo insuper peragendus sit novitiatus non exprimitur. Contrarium tamen dicendum; quia hæc *admissio ad habitum* intelligenda est cum effectu durabili, seu cum secuta in eodem conventu designato probatione; quod manifestum est ex fine hujus legis; ideo enim præcise lata est ut in conventibus designatis fieret annua probatio.

Quartus casus : Admissio ad habitum, et integer probationis annus in conventu designato peragitur : sed novitius professionem in conventu non designato emittit. — Censenda est nulla professio hæc; quia expressis terminis Clementina decreta requirunt, ut tam admissio ad habitum, quam professio fiant in conventu designato ; et aliter factam professionem irritam pronuntiant.

8° Quando nulla fuit professio, eo quod facta fuerit extra conventum designatum, oritur gravissima difficultas : an scilicet tunc sanetur hæc nullitas per professionem tacitam subsequentem ; an vero e contra tunc ipsa etiam professio tacita per decretum Clementis VIII annulletur? De quo vide in sequenti sectione, capite 3, quæstione 6.

III. *De legitimo ad valorem novitiatus habitu.* — Duplex hac de re quæstio institui solet : primo nempe, an ad valorem novitiatus requiratur alicujus religiosi habitus susceptio et delatio : secundo, an requiratur habitus religiosus ab habitu professorum distinctus.

1° Si attendatur ad solos textus sacrorum canonum, non videtur rigorose probari posse religiosi alicujus habitus neces-

Digitized by Google

sitas, ad hoc ut legitimus sit novitiatus et valeat secuta professio. Etenim ex una parte in capite ultimo distinctionis 53, sic de novitiis præscribitur : *Debent in suo habitu per triennium probari, et tunc monasticum habitum suscipere.* Et capite *nullos* distinctionis 54 sic habet : *Probetur prius in laico habitu constitutus.* Ibi non tantum supponitur sufficiens, sed etiam retinendus sæcularis habitus. Aliunde Tridentina synodus (sess. 25, *de regularibus*, c. 15) dicit, probationis annum *post susceptum habitum* inchoari. Quæ verba fortiter quidem innuunt a sacra synodo haberi religiosi habitus susceptionem tanquam necessariam ad novitiatus inchoationem et substantiam; non tamen id rigorose probare visa sunt Suaresio (*de religione*, tomo 3, l. 5, c. 13, ad finem numeri 5). Insuper verba hæc Tridentina probarent, initio novitiatus induendum esse habitum religiosum, non autem per reliquum probationis tempus necessario deferendum.

2° Nihilominus necessariam esse de jure communi regularis habitus susceptionem et per integrum novitiatus annum delationem, est communis doctorum sententia; pro qua et citantur a Ferrario (voce *habitus*, n. 3) duæ S. Congregationis Episcoporum et regularium declarationes : « Ad hoc tamen, « inquit, ut professio regularis faciat verum monachum, debet « novitius per integrum annum probationis deferre habitum « monachalem seu regularem : aliter professio est invalida... « Et sic tenent communiter doctores, et glossa... Et quod in « habitu sæculari nequeat fieri novitiatus, expresse decrevit « S. Congregatio Episcoporum et regularium, in una *Senogaliensi*, 17 aprilis 1602, et una *Mediolanensi*, 25 octobris « ejusdem anni. » Vide etiam Tamburinum (de *jure abbatum*, tom. 3, disp. 6, q. 7, n. 20), qui Suaresium in hoc derelinquit.

Diximus *de jure communi;* quia de jure particuli potest aliquis ordo religiosus ad nullum habitum regularem teneri; si nempe ita ipsius institutum a sede Apostolica fuerit approbatum; cujusmodi est institutum societatis Jesu; juxta quod (*exam. gen.*, c. 1, § 13) tota probatio in veste sæculari peragi potest.

Digitized by Google

3° Quod autem necesse non sit ut novitii deferant habitum a professorum habitu distinctum, extra controversiam est. Vide Ferraris (voce *habitus*, n. 5).

4° Hinc concludas, computandum esse novitiatus annum a momento susceptionis habitus, in religionibus ubi susceptio hæc requiritur : in aliis vero (ubi ex jure particulari susceptio habitus non requiritur) a momento ingressus in novitiatum cum animo ibi remanendi (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 56).

CAPUT VI.

DE JURE NOVITIORUM QUOAD FACULTATEM DISPONENDI DE BONIS SUIS TEMPORALIBUS.

PROPOSITIO I^a. — *A tempore Tridentinæ synodi, nequit novitius de bonis suis disponere, nisi certo tempore et modo, ab hac synodo præscriptis.* — « Antiquo jure renuntiare poterat bonis et « juribus suis, non tantum ante, sed etiam post ingressum « suum in religionem, durante toto probationis tempore. » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 96.) Sed disciplinam hac in re mutarunt Tridentini Patres, celeberrimo æque ac saluberrimo suo decreto capitis 16 sessionis 25 *de regularibus*, cujus hic tenor est : *Nulla quoque renuntiatio aut obligatio antea facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque causæ piæ, valeat, nisi cum licentia Episcopi sive ejus vicarii fiat, intra duos menses proximos ante professionem ; ac non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione : aliter vero facta (etiamsi cum hujus favoris expressa renuntiatione etiam jurata) sit irrita et nullius effectus... Per hæc tamen sancta synodus non intendit aliquid innovare aut prohibere, quin religio clericorum societatis Jesu, juxta pium eorum institutum, a sancta sede Apostolica approbatum, Domino et ejus Ecclesiæ inservire possint. Sed neque ante professionem, excepto victu et vestitu novitii vel novitiæ illius temporis quo in probatione est, quocunque*

Digitized by Google

prætextu a parentibus vel propinquis aut curatoribus ejus monasterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur; ne hac occasione discedere nequeat, quod totam vel majorem partem substantiæ suæ monasterium possideat, nec facile, si discesserit, id recuperare possit. Quin potius præcipit sancta synodus sub anathematis pœna dantibus et recipientibus, ne hoc ullo modo fiat; et ut abeuntibus ante professionem omnia restituantur quæ sua erant. Quod ut recte fiat, Episcopus, etiam per censuras ecclesiasticas, si opus fuerit, compellat.

Circa illam Tridentinam legem haud paucæ ortæ sunt quæstiones et difficultates; de quibus in sequentibus propositionibus.

PROPOSITIO II^a^. — *Lex Tridentina non censenda est comprehendere renuntiationes, contractus et pacta, quibus novitii bona notabiliter non minuuntur.* — « Ratio desumitur ex fine Triden-« tini (concilii), quem hoc suo decreto intendit : volebat « enim per hoc suum decretum sartam tectam servare no-« vitii libertatem revertendi ad sæculum : hæc autem multum « minuitur per renuntiationes, pacta et contractus, quibus « bona et jura novitiorum notabiliter minuuntur : non minui-« tur per contractus et pacta, quibus illa notabiliter non « minuuntur : ergo. » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 99.)

Ex hac doctrina communiter admissa inferendum venit : 1° validas esse donationes et eleemosynas a novitio pauperibus, locis piis, et ipsi etiam monasterio factas, si *modicæ* illæ sint relative ad bona novitii. 2° Item valere censendi sunt contractus emptionis, venditionis, locationis, conductionis, permutationis, societatis, et alii similes, quibus non minus recipitur quam datur, et non minor spes lucri quam damni adest. 3° Item valent testamenta, codicilli, et donationes mortis causa; quia libere revocari possunt (vide citatum auctorem, ibid., n. 100 et 101). Hæc enim omnia notabilem in bonis novitii diminutionem non inducunt; proinde illa valide facere poterit novitius, non servatis Tridentini decreti præscriptionibus.

Digitized by Google

Agendum nunc de casu quo novitius bona sua *notabiliter minueret*. Qui casus, Tridentina synodo intentus, in omnibus sequentibus propositionibus supponitur. De quo lectorem præmonemus, ne in singulis illam hypothesim exprimere necesse sit.

PROPOSITIO III^a^. — *Renuntiationes, donationes et pactiones quælibet, factæ post ingressum in novitiatum, et ante completum decimum novitiatus mensem, sunt irritæ.* — Sequitur ex his Tridentinis verbis, « nisi fiat intra duos menses proximos ante professionem. » Nam renuntiatio, seu pactio quæ fieret ante completum decimum mensem, non fieret *intra* duos menses proximos ante professionem; siquidem professio fieri nequit nisi completo novitiatus anno.

Ab hac tamen regula *probabilius* excipi debet casus, quo, ex dispensatione Pontificia, anticiparetur professio. Supponamus, verbi gratia, concessum a Pontifice fuisse ut quis, post sex probationis menses, professionem emittat : poterit is de bonis suis disponere post completum *quartum* probationis mensem, juxta sententiam quæ probabilior visa est Francisco Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 106). In contraria sententia, non posset bonis suis renuntiare nisi immediate ante professionem.

PROPOSITIO IV^a^. — *Assignatum a Tridentina synodo bimestre, computandum est de momento in momentum, et secundum quod occurrit mensis in calendario.* —Vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 81. Nulla apud doctores hac de re controversia.

PROPOSITIO V^a^. — *Valet renuntiatio facta quocunque tempore currente inter decimum completum probationis mensem, et professionem, quantumvis professio ultra annum protrahatur.* — Cum nempe justa de causa possit differri professio ultra annum, orta est dubitatio, an tunc etiam bimestre Tridentinum currere incipiat ab initio mensis undecimi. Respondendum esse affirmative vide apud Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 106, et apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 83. Unde, verbi gratia. si professio alicujus novitii differretur usque ad men-

Digitized by Google

sem 18 completum ab ingressu in novitiatum, posset is toto ultimorum sex mensium spatio renuntiationem facere.

PROPOSITIO VI^a. — *Renuntiatio novitii sexdecim annis minoris valet si servetur Tridentina forma : novitii autem sexdecim annis majoris non valet, si dicta forma non servetur.* — Vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 82 et 84. Unde hac in re nihil facit novitii ætas ; sed valor renuntiationis pendet a præscriptionis Tridentinæ observantia.

PROPOSITIO VII^a. — *An valeant renuntiationes et donationes factæ ante ingressum in novitiatum, sed ob istum ingressum, seu intuitu religionis, vehementer controvertitur.* — Certum est ejusmodi donationes et renuntiationes, si intuitu religionis non fuerint factæ, eodem modo valere ac si non ageretur de novitio. Unde tota controversia respicit casum, quo factæ sint *ob ingressum in religionem*. In qua controversia, pro et contra multi doctores, multæ Sacrarum Congregationum declarationes allegari solent. Vide inter alios Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 127 et seq.), necnon Ferraris (voce *novitiatus*, n. 38 et seq.), qui duo auctores valorem hujusmodi donationum et renuntiationum defendunt.

PROPOSITIO VIII^a. — *Licentia Episcopi aut ejus vicarii generalis, ad valorem renuntiationis requisita, censenda est posse dari ab aliis jurisdictionem quasi episcopalem exercentibus ; nec requiritur ut sit scripta.* — Potest nempe concedi etiam a capitulo vel vicario capitulari, sede vacante, a prælato regulari jurisdictionem quasi episcopalem habente ; ab Episcopo confirmato, licet non consecrato, et insuper ab Archiepiscopo ante pallii receptionem. De quo vide apud Ferraris (voce *novitiatus*, n. 73 et seq.). Necesse autem non est licentiam hanc obtineri *in scriptis*, « quia Tridentinum nullam scripturæ « mentionem facit. » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 104.)

PROPOSITIO IX^a. — *Renuntiatio etsi debito tempore et modo facta, effectum non habet, si secuta professio nulla sit ob aliquem juris defectum.* — Id evincunt verba Tridentina : « Ac non

Digitized by Google

« alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta profes-
« sione. » Non enim sequitur professio, quando quis nulliter profitetur (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 113).

PROPOSITIO X^a^. — *Corruunt renuntiationes et donationes novitii, si moriatur ante professionem.* — Id negant non pauci cum Suarezio *(de religione,* t. 3, l. 5, c. 16, n. 11); ea ducti ratione, quod tunc cesset finis ob quem Tridentini Patres illas donationes irritas voluerunt, professione non secuta; qui finis fuit ut novitius plenam retineret e novitiatu egrediendi libertatem. Sed opponunt alii universalitatem Tridentinæ sanctionis, *non alias intelligatur effectum suum sortiri, nisi secuta professione.* Nec censendus est novitius donationem fecisse, nisi sub conditione, *si sequatur professio.* Quæ rationes potiores videntur citato Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 116). Decisam fuisse quæstionem ad sensum propositionis nostræ, a S. Congregatione Concilii, refert Fagnanus (in caput *statuimus, de regularibus*, n. 36).

PROPOSITIO XI^a^. — *Potest novitius, non obstante renuntiatione ac donatione rite facta, testari, et de bonis suis prout voluerit causa mortis disponere; et, si ante professionem intestatus moriatur, pertinent bona hæc ad ipsius hæredes ab intestato.* — Sequitur ex præcedentibus (vide Schmalzgrueber, loco citato, n. 117).

PROPOSITIO XII^a^. — *Non tamen potest renuntiationem vel donationem rite factam revocare ante professionem, si velit in religione perseverare.* — Nam si pro libitu ejusmodi revocationem facere posset, absonum fuit requiri a Tridentino adeo graves solemnitates (licentiam nempe Episcopi) ad renuntiationem faciendam. Insuper inutile erat prohibere ne fieret renuntiatio aut donatio ante ultimum bimestre; siquidem facta etiam primo novitiatus die, non minueret novitii libertatem, cum in novitii arbitrio esset illam quolibet momento revocare (vide Schmalzgrueber, loco cit., n. 120).

PROPOSITIO XIII^a^. — *Ad valorem renuntiationis aut dona-*

Digitized by Google

tionis, necesse non est ut fiat juxta formam legis sæcularis. — « Formam laicorum statuto præscriptam nequaquam oportet « servare in renuntiationibus quæ fiunt a novitiis intra pro- « bationis annum; nec hujusmodi statuti omissio tales renun- « tiationes invalidat, utpote factas a personis, quæ, secundum « præsentem statum novitiatus, censentur tanquam ecclesias- « ticæ; ac proinde legibus laicalibus solemnitatem inducen- « tibus subjacere non debent. » (Ferraris, voce *novitiatus*, n. 79). Et ita decisum a S. Congregationibus et Rota vide ibidem.

In iis tamen regionibus, ubi lex sæcularis jura Ecclesiæ in ejusmodi materiis non agnoscit, prudentiæ erit donationes seu renuntiationes illas eo modo peragere, qui etiam coram dicta lege sæculari effectum sortiri valeat.

PROPOSITIO XIV[a]. — *Novitii societatis Jesu possunt valide donationes et renuntiationes facere, quin servant formam a Tridentina synodo præscriptam.* — Nam in ipsomet decreto Tridentino excipitur ille ordo religiosus (vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 43 et seq.).

PROPOSITIO XV[a]. — *Valent dictæ donationes et renuntiationes in societate Jesu, etiam non secuta professione; dummodo factæ sint post primum novitiatus annum et juxta institutum hujus societatis.*— Vide id fuse probatum a Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 135 et seq.) contra Cardinalem Petra, qui contrarium sustinuerat. Unde, verbi gratia, si religiosus societatis Jesu post emissa vota simplicia et ante professionem dimittatur, donationes ab ipso factæ, sive post dicta vota simplicia, sive etiam ante vota hæc, sed post primum novitiatus annum, nequaquam corruunt, sed validæ permanent: quia nempe fuerunt absolutæ et independentes a perseverantia in societate, necnon a professionis emissione.

PROPOSITIO XVI[a]. — *Religioso societatis Jesu post vota simplicia dimisso e societate, non debentur alimenta nec congrua sustentatio ex parte societatis, etiamsi ordinatus fuerit pauper-*

Digitized by Google

tatis titulo. — Vide apud Ferraris, voce *novitiatus,* n. 45 (1). Proceditque hoc, etiam si bonis suis renuntiasset in favorem societatis; nimirum etiam tunc de jure nihil teneretur ipsi refundere societas. *De jure,* inquam; nam si egenus foret, teneretur societas ex æquitate, pro donationis modo, alimenta ei præstare. Vide id probatum a Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 141).

PROPOSITIO XVII[a]. — *In congregationibus quæ vota solemnia non habent, possunt a novitiis valide fieri donationes et renuntiationes, quin servetur Tridentini decreti forma.* — Quia nempe decretum illud Tridentinum agit duntaxat de ordinibus religiosis in quibus fit professio : quæ vox, in strictiori sensu sumpta, non intelligitur nisi de professione per solemnia vota. Et cum dispositio hæc jus antea vigens restringat, est stricte interpretanda. Vide Schmalzgrueber (loco citato, n. 145). A fortiori autem sub Tridentino decreto non comprehenduntur congregationes in quibus aut nulla emittuntur vota, aut non perpetua.

PROPOSITIO XVIII[a]. — *Novitius testamentum ante professionem revocare potest, non autem post professionem.* — Vide id probatum apud Ferraris (voce *novitiatus,* n. 50 et seq.).

PROPOSITIO XIX[a]. — *Quando novitius ante professionem testamentum non condidit, vi professionis succedit in ejus bona et jura monasterium, si ordo sit capax possidendi in communi : si ordo non sit capax possidendi in communi, succedunt consanguinei.* — Vide apud Ferraris, voce *novitiatus,* n. 53. Sunt autem capaces possidendi in communi omnes religiosi ordines, præter Capuccinos et Minores de observantia.

PROPOSITIO XX[a]. — *Sub anathemate prohibentur parentes, propinqui et curatores quidquam de bonis novitii præter victum et vestitum, dare monasterio.* — Sequitur ex ipsismet Triden-

(1) Ita pluries decisum est a S. Congregatione Concilii. Adi causam *Neapolitanam* 28 februarii 1722 (*Thesaurus resol.*, tom. 2, pag. 133). Et ita tenendum fuse probat Pignatellus (tomo 10, consult. 92), multas adducens S. Congregationis Concilii decisiones.

Digitized by Google

tionis, necesse non est ut fiat juxta formam ... *de dona-*
« Formam laicorum statuto præscripta ... ; juxta dicta
« servare in renuntiationibus quæ ... Ferraris (voce
« bationis annum; nec hujusmodi ... clarationes, quæ
« tiationes invalidat, utpote fa... re videntur. Nota,
« præsentem statum novitia... ecipientes aliquid de
« ticæ; ac proinde legib... ec esse reservatam sedi
« tibus subjacere nor... 60).
n. 79). Et ita decis... *Ferraris parentes et consanguineos*
ibidem. ... *suis propriis aliquid dare monasterio,*

In iis tamen ... *in religionem, excepto victu et vestitu.* —
ejusmodi p... Sacra Congregatione Concilii refert laudatus
seu renu... (voce *novitiatus*, n. 57). Et notetur ab eodem Ferra-
dicta ... *prohibitum* intelligi sub dicta excommunicationis pœna
P... *dantes* et recipientes. Contrarium tamen docuisse Suare-
... *et* alios, vide apud Tamburinum *(de jure abbatum, tomo 3,* disput. 6, q. 10, n. 21). Mihi res illa non liquet.

PROPOSITIO XXII^a. — *Sub excommunicatione Papæ reservata prohibitum est ne regulares aliquam pecuniæ summam a parentibus novitii exigant, pro convivio, occasione vestitionis vel professionis faciendo.* — Id quidem non prohibetur vi decreti Tridentini, sed extravagante *sane* (1, *de simonia).* Vide apud Ferraris (loco citato, n. 63). Ex contraria tamen conventuum consuetudine id licere tenent Suaresius et alii (vide Tamburinum, loco citato, n. 19).

PROPOSITIO XXIII^a. — *Quando novitius bonis suis debito modo renuntiavit in favorem monasterii, an possint bona hæc monasterio tradi, depositi titulo, controvertitur.* — Rationes pro et contra vide apud Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus,* n. 121). Diximus *in favorem monasterii,* exempli gratia; quia idem est de quocunque alio, cui novitius bona sua dedisset. Quod tamen nequeant moniales novitiarum suarum dotes, etiam titulo depositi, ante professionem apud se retinere, declaravit S. Congregatio Concilii (vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 64 et 65).

Digitized by Google

POSITIO XXIV^a.—*Si egrediatur novitius ante professionem, ...si debent omnia quæ sua erant, etiam ea quæ debita ...itui dederat.* — Sequitur ex verbis Tridentini de- ...positione 1 transcripti. Et notetur tradita Epi- ...nventum ad id compellendi etiam per cen- ...io exemptos etiam regulares attingit.

...egredienti non es...e relinquendum reli- ...sed restituendum illius pretium, a S. Con- ...oncilii decisum fuisse, vide apud Ferraris (voce ...us, n. 68).

PROPOSITIO XXV^a. – *Novitius egrediens tenetur solvere expensas pro ipso factas a monasterio, si de hoc intervenerit pactum, vel ita ferat ordinis consuetudo : secus non tenetur.* — Tridentinum decretum (initio præsentis capitis transcriptum) *permittit* quidem dari a novitio vel ab ejus consanguineis necessaria pro victu et vestitu ; sed dari non *præcipit*. Hinc solent doctores obligationem expensas illas monasterio refundendi, quoad novitium ad sæculum redeuntem, restringere ad casum, quo ita ferat pactum initum, vel monasterii consuetudo (vide Ferrarium, voce *novitiatus*, n. 69 ; et Schmalzgrueber, in titulum de *regularibus*, n. 80).

CAPUT VII.

DE JURE NOVITIORUM QUOAD BENEFICIA SUA.

Dicemus, 1° an novitii beneficia sua retinere possint usque ad suam professionem : 2° an etiam retineant jus, beneficio suo annexum, eligendi et suffragandi : 3° quid requiratur ut valide renuntient beneficiis suis.

§ I.

An novitii beneficia sua retinere possint.

PROPOSITIO I^a. — *Beneficium clerici religionem ingredientis non potest alteri conferri intra novitiatus annum.* — Id omnino

Digitized by Google

certum est et nulli controversiæ obnoxium. Constat capite *beneficium* (4, *de regularibus*, in 6), in quo sic decernitur : « Beneficium illius qui religionem ingreditur non est infra « probationis annum alicui conferendum. »

PROPOSITIO II^a^. — *Non potest beneficium novitii ante ipsius professionem alteri conferri, quantumvis beneficium illud resignaverit.* — Nam renuntiatio beneficio non aliter effectum suum sortiri potest quam renuntiatio bonis temporalibus ; id est, nisi servata per Tridentinum decretum (initio præcedentis capitis relatum) præscripta forma : quia (ut infra, paragrapho 3, probamus) lex illa Tridentina utramque renuntiationem æque attingit : sed renuntiatio bonis temporalibus effectum suum sortiri nequit, nisi *secuta professione :* ergo nec renuntiatio beneficiis.

PROPOSITIO III^a^. — *Durante novitiatus tempore, beneficii functiones et onera alteri committenda sunt, assignata ipsi ex fructibus beneficii portione congrua.* — Constat citato capite *beneficium* (4, *de regularibus*, in 6), in quo sic decernitur : « Interim « eidem beneficio per alium deserviri debebit, assignata sibi « congrua de ipsius proventibus portione. »

PROPOSITIO IV^a^. — *Dictam portionem congruam determinare pertinet ad Episcopum.* — Ita doctores communiter. Vide apud Ferraris (voce *novitiatus*, n. 25).

PROPOSITIO V^a^. — *Residui fructus beneficii post solutam dictam congruam, reservandi sunt, et restituendi novitio si professionem non faciat : si vero professionem fecerit, nec de illis antea disposuerit, acquiruntur monasterio, juxta communiorem sententiam.* — Id auctoritatibus firmatum vide apud Ferraris (loco citato, n. 26). Diximus *acquiri monasterio* residuos fructus : id intellige, nisi monasterium sit incapax possidendi in communi, prout sunt conventus Capuccinorum et Minorum de observantia, quia tunc applicandi sunt ecclesiæ vel causis piis. Insuper diximus juxta *communiorem sententiam*. Nam Reiffenstuel sustinet non acquiri monasterio, sed applicandos esse piis causis aut Ecclesiæ, utpote fructus mere ecclesiasticos.

Digitized by Google

Nota. — In confirmationem doctrinæ, in præcedentibus propositionibus traditæ, adduci possunt hæc Suaresii verba : « Imo existimo, propter aliud decretum ejusdem concilii, « capite 16, etiam ex consensu novitii, non esse validam re- « nuntiationem beneficii a novitio factam, nisi fiat cum so- « lemnitate ibi præscripta, et ita ut non habeat effectum nisi « subsecuta professione. Quapropter etiam ex proprio con- « sensu non poterit beneficio privari. Dices : ergo tenebitur « novitius inservire tali beneficio, vel saltem poterit fructi- « bus ejus privari. — Respondeo, primum teneri ad illud « servitium, quod per se potest in tali statu exercere, ut est « canonicum officium recitare. Deinde debet per alium in- « servire quoad cætera omnia, quantum fieri possit, assignata « hujusmodi vicario congruenti portione. Unde constat, per « se loquendo, non esse novitium privandum omnibus fructi- « bus, quos percipit ratione tituli, et ratione quorum ad re- « citandum obligatur. » (*De religione*, t. 3, l. 5, c. 16, n. 12.)

PROPOSITIO VI^a^. — *Tradita regula, quod renuntiatio effectum non sortiatur ante professionem, locum habet, etiamsi professio ultra annum differatur.* — « Retinere illud (beneficium) novi- « tius potest usque ad professionem... Estque hoc verum, « etsi propter regulam ordinis, vel propter ætatis defectum, « vel ob aliam justam causam ultra annum prorogetur proba- « tio, ut cum aliis Sanchez... » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 90.)

PROPOSITIO VII^a^. — *Ergo in societate Jesu novitius beneficium suum (modo tamen sit simplex et residentiam non exigat) retinere posset, non tantum toto probationis biennio, sed etiam post vota simplicia, usque ad professionem, vel usque ad vota coadjutorum formatorum.* — Ita declaratum est ab hujus societatis congregatione generali 1, canone 1. — Sed quia Tridentina dispositio non attingit hanc societatem, potest etiam novitius beneficio suo valide et cum effectu renuntiare, etiam ante emissa vota simplicia, post primum tamen probationis annum. Praxis autem est, ut fiat ejusmodi renuntiatio post expletum novitia-

Digitized by Google

tus biennium, antequam vota simplicia edantur (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 91).

Diximus, *modo tamen beneficium sit simplex et residentiam non exigat*. Alias enim posset ab Ordinario præfigi terminus ad resignandum, ut dicitur infra, propositione nona.

PROPOSITIO VIII^a^. — *In religiosis familiis quæ habent vota solemnia, statim ac novitius rite professionem emisit, vacat ipso facto quodlibet ipsius beneficium.* — Id extra controversiam est apud doctores. « Ut professus in religione per sedem « Apostolicam approbata amittat statim omnia et quæcunque « beneficia, sive simplicia, sive residentialia, jure canonum « diserte cavetur. Citato capite *beneficium;* Gonzalez...; « Murga...; Wagneret...; Suarez... » (In *Pineroliensi*, 23 novembris 1833, *Thesaurus resol.*, tom. 92.)

PROPOSITIO IX^a^. — *In religiosis familiis quæ non habent nisi vota simplicia, novitii per professionem beneficia sua non amittunt : si tamen beneficia hæc residentiam exigant, potest Ordinarius ejusmodi professos adigere ad resignandum ; id est, eis terminum præfigere intra quem resignare teneantur : quo elapso termino, possunt beneficia hæc aliis conferri.* — Fuit quæstio hæc apud S. Congregationem Concilii ventilata, in citata causa *Pineroliensi* 23 novembris 1833, cujus hæc exstitit occasio : cathedralis Pineroliensis canonicus Josephus Avvarus congregationi *Oblatorum a Beata Maria Virgine* nuncupatorum nomen dederat, atque in ea per trium votorum *simplicium* emissionem, juxta proprium hujus religiosæ familiæ institutum a sede Apostolica approbatum, jamjam professurus erat. Volebat autem canonicatum suum, post emissam professionem retinere. Quapropter a sede Apostolica sibi indulgeri postulabat, ut a lege residentiæ secum dispensaretur, et theologalis muneri satisfacere valeret per idoneum substitutum, assignata ei congrua fructuum beneficii canonicalis portione. Id ne ipsi concederetur instabant Episcopus et capitulum. Quibus expositis, hæc, quæ thesim nostram sufficienter firmant, adnotabat causæ relator :

Digitized by Google

« Probavit quidem Apostolica sedes lectissimam Oblatorum « familiam, in qua id lege sancitum est, ut *omnium bonorum « cujuslibet Oblati administratio ad congregationem pertineat, « ipsorumque proprietas penes Oblatos semper remaneat;* quin « ulla de bonorum beneficiorumque abdicatione præscriptio « sit. Hinc, ad oratoris postulationem tuendam summus or- « dinis magister animadvertit, per *simplicem professionem*, « quam Oblati peragunt, non induci beneficiorum vacationem, « sed solum per *solemnem*. Testemque affert Benedictum XIV « (const. *ex quo dilectus*, § *denique*). Refert quippe Pontifex, « dubitatum fuisse, *an vota simplicia, quæ a clericis regulari- « bus societatis Jesu post biennium probationis emittuntur, bene- « ficiorum vacationem inducerent; ac negativam sententiam « fuisse communiter receptam.* Decreverunt idcirco societatis « præsides in generali congregatione quinta (can. 59), ut com- « pleto probationis biennio, priusquam vota simplicia emit- « tant, beneficia renuntient ejusdem tyrones, qua ex renun- « tiatione duntaxat vacua illa denuntiantur (Sanchez.., Pito- « nius.., Rigautius..). *Iis enim in religionibus seu congregatio- « nibus* (inquit Nigrius, tractatu *de vacatione beneficiorum*, c. 8), « *in quibus emittitur professio votorum simplicium, et professi « retinent dominium sine usu et administratione, prout est con- « gregatio Missionariorum, et usum sine dominio, prout est reli- « gio Jesuitarum ante quartum votum, nullo modo vacant beneficia « ecclesiastica.*

« Verum intelligenda hæc sunt de beneficiis *simplicibus*. « Si namque agatur de iis quæ residentiæ legem injiciunt, « *tenentur professi* (subdit Nigrius) *libere illa dimittere in mani- « bus Ordinarii, vel alio modo resignare; quia rationi non con- « gruit, ut per electionem status perfectionis ecclesia patiatur « detrimentum in spiritualibus. Aliter Ordinarius potest sic pro- « fessis, servatis servandis terminum competentem decernere, ut « ad ecclesiam redeant, seu beneficia dimittant; quo elapso potest « Ordinarius beneficium alii conferre.* Tondutius, *de beneficiis*, « c. 42. »

Digitized by Google

Juxta doctrinam illam pronuntiavit Sacra Congregatio in causa præfati canonici cathedralis Pineroliensis. Proposito enim dubio : *An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro retentione canonicatus in casu?* rescriptum est (14 decembris 1833) : *Negative, et post emissam professionem Episcopus procedat prout de jure.*

§ II.

An novitius retineat jus eligendi et suffragium ferendi beneficio suo annexum.

PROPOSITIO I^a. — *Si velit electioni interesse et suffragium ferre, non potest excludi.* — « Si novitii beneficium (inquit « Ferraris, voce *novitiatus*, n. 28), habeat annexum jus eli- « gendi seu suffragandi in electionibus, ut si novitius erat « canonicus alicujus cathedralis, si ipse velit electioni inter- « esse, excludi non potest; quia retinet adhuc verum suum « jus ad talem electionem, cum nec beneficio, nec fructibus « et effectibus ejus sit privatus. Sanchez.., Pirhing.., Suarez « et alii. »

PROPOSITIO II^a. — *Non est tamen de iis qui necessario ad validitatem electionis vocandi sunt.* — De quo sic laudatus Ferraris, citato loco : « Non est tamen necessario vocandus; et « ipso non reclamante, possunt alii ad electionem libere et va- « lide procedere ; quia, cum seipsum sponte a sæculo segrega- « verit, merito reputatur inter absentes et remotos, qui nec « solent, nec debent vocari. Glossa.., Joannes.., Andreas.., « Barbosa.., Sanchez.., Pirhing.., Reiffenstuel.., Suarez.. et « alii. »

Hinc quando, vacante sede, a canonicis cathedralibus eligendus est vicarius capitularis, potest canonicus in novitiatu existens ad electionem venire, et vocem sicut alii habere; sed capitulum non tenetur ipsum vocare.

Digitized by Google

§ III.

Quid requiratur ut novitii valide suis beneficiis renuntient, et renuntiatio effectum suum sortiatur.

PROPOSITIO I^a. — *Servanda est forma a Tridentina synodo requisita quoad bonorum temporalium donationes.* — Renuntiatio bonis temporalibus non potest a novitio fieri ante ultimum anni probationis bimestre : item fieri nequit absque obtenta licentia Episcopi : insuper effectum sortiri non potest, nisi secuta professione. Ita nempe decrevit Tridentina synodus, capite 16 sessionis 25, *de regularibus.* An autem decretum illud Tridentinum censendum sit resignationes etiam beneficiorum comprehendere, magna olim fuit inter doctores controversia. Non pauci enim negabant (eorum rationes vide apud Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 124); sed communius affirmabatur. Hodie tenenda omnino affirmativa, ob auctoritatem præcipue S. Congregationis Concilii, quæ constanter, et praxi et declarationibus suis, eam firmavit. In quo et Rotam sequacem habuit. Ei satis aperte verbis Tridentini decreti fundatur; cum enim dicent Tridentini Patres, *nulla quoque renuntiatio valeat*, renuntiationem etiam beneficiis ex sensu grammaticali comprehendunt. Unde dicendum valide renuntiare non posse beneficio suo novitium ante ultimum bimestre anni novitiatus, et absque obtenta Episcopi licentia. Insuper in nullo casu effectum suum sortiri posse hanc renuntiationem, si professio non sit secuta. Rationes auctorum qui negabant, et eorum confutationem, vide apud Schmalzgrueber, loco citato.

PROPOSITIO II^a. — *Novitii societatis Jesu valide possunt beneficiis suis renuntiare, quin dicti decreti Tridentini formam servent.* — Nam, ut supra vidimus, Tridentini Patres societatem Jesu ab hoc suo decreto exceptam voluere; ita nempe ut nihil mutatum in pio hujus societatis instituto censendum foret. Ergo

Digitized by Google

tionis, necesse non est ut fiat juxta formam legis sæcularis. — « Formam laicorum statuto præscriptam nequaquam oportet « servare in renuntiationibus quæ fiunt a novitiis intra pro- « bationis annum; nec hujusmodi statuti omissio tales renun- « tiationes invalidat, utpote factas a personis, quæ, secundum « præsentem statum novitiatus, censentur tanquam ecclesias- « ticæ; ac proinde legibus laicalibus solemnitatem inducen- « tibus subjacere non debent. » (Ferraris, voce *novitiatus*, n. 79). Et ita decisum a S. Congregationibus et Rota vide ibidem.

In iis tamen regionibus, ubi lex sæcularis jura Ecclesiæ in ejusmodi materiis non agnoscit, prudentiæ erit donationes seu renuntiationes illas eo modo peragere, qui etiam coram dicta lege sæculari effectum sortiri valeat.

PROPOSITIO XIV[a]. — *Novitii societatis Jesu possunt valide donationes et renuntiationes facere, quin servant formam a Tridentina synodo præscriptam.* — Nam in ipsomet decreto Tridentino excipitur ille ordo religiosus (vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 43 et seq.).

PROPOSITIO XV[a]. — *Valent dictæ donationes et renuntiationes in societate Jesu, etiam non secuta professione; dummodo factæ sint post primum novitiatus annum et juxta institutum hujus societatis.* — Vide id fuse probatum a Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 135 et seq.) contra Cardinalem Petra, qui contrarium sustinuerat. Unde, verbi gratia, si religiosus societatis Jesu post emissa vota simplicia et ante professionem dimittatur, donationes ab ipso factæ, sive post dicta vota simplicia, sive etiam ante vota hæc, sed post primum novitiatus annum, nequaquam corruunt, sed validæ permanent: quia nempe fuerunt absolutæ et independentes a perseverantia in societate, necnon a professionis emissione.

PROPOSITIO XVI[a]. — *Religioso societatis Jesu post vota simplicia dimisso e societate, non debentur alimenta nec congrua sustentatio ex parte societatis, etiamsi ordinatus fuerit pauper-*

Digitized by Google

tatis titulo. — Vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 45 (1). Proceditque hoc, etiam si bonis suis renuntiasset in favorem societatis; nimirum etiam tunc de jure nihil teneretur ipsi refundere societas. *De jure*, inquam; nam si egenus foret, teneretur societas ex æquitate, pro donationis modo, alimenta ei præstare. Vide id probatum a Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 141).

PROPOSITIO XVII[a]. — *In congregationibus quæ vota solemnia non habent, possunt a novitiis valide fieri donationes et renuntiationes, quin servetur Tridentini decreti forma.* — Quia nempe decretum illud Tridentinum agit duntaxat de ordinibus religiosis in quibus fit professio : quæ vox, in strictiori sensu sumpta, non intelligitur nisi de professione per solemnia vota. Et cum dispositio hæc jus antea vigens restringat, est stricte interpretanda. Vide Schmalzgrueber (loco citato, n. 145). A fortiori autem sub Tridentino decreto non comprehenduntur congregationes in quibus aut nulla emittuntur vota, aut non perpetua.

PROPOSITIO XVIII[a]. — *Novitius testamentum ante professionem revocare potest, non autem post professionem.* — Vide id probatum apud Ferraris (voce *novitiatus*, n. 50 et seq.).

PROPOSITIO XIX[a]. — *Quando novitius ante professionem testamentum non condidit, vi professionis succedit in ejus bona et jura monasterium, si ordo sit capax possidendi in communi : si ordo non sit capax possidendi in communi, succedunt consanguinei.* — Vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 53. Sunt autem capaces possidendi in communi omnes religiosi ordines, præter Capuccinos et Minores de observantia.

PROPOSITIO XX[a]. — *Sub anathemate prohibentur parentes, propinqui et curatores quidquam de bonis novitii præter victum et vestitum, dare monasterio.* — Sequitur ex ipsismet Triden-

(1) Ita pluries decisum est a S. Congregatione Concilii. Adi causam *Neapolitanam* 28 februarii 1722 (*Thesaurus resol.*, tom. 2, pag. 133). Et ita tenendum fuse probat Pignatellus (tomo 10, consult. 92), multas adducens S. Congregationis Concilii decisiones.

Digitized by Google

tini decreti verbis. Id porro intelligendum videtur de donationibus quæ novitii bona minuerent *notabiliter;* juxta dicta superius, propositione 2. Nihilominus vide apud Ferraris (voce *novitiatus*, n. 57) memoratas quasdam declarationes, quæ parvi etiam momenti donationes excludere videntur. Nota, excommunicationem illam in dantes et recipientes aliquid de bonis novitii, non incurri ipso facto, nec esse reservatam sedi Apostolicæ (Ferraris, loco cit., n. 60).

PROPOSITIO XXI[a]. — *Docet Ferraris parentes et consanguineos non posse etiam de bonis suis propriis aliquid dare monasterio, ob ingressum novitii in religionem, excepto victu et vestitu.* — Ita decisum a Sacra Congregatione Concilii refert laudatus Ferraris (voce *novitiatus*, n. 57). Et notetur ab eodem Ferrario id prohibitum intelligi sub dicta excommunicationis pœna in dantes et recipientes. Contrariam tamen docuisse Suaresium et alios, vide apud Tamburinum *(de jure abbatum*, tomo 3, disput. 6, q. 10, n. 21). Mihi res illa non liquet.

PROPOSITIO XXII[a]. — *Sub excommunicatione Papæ reservata prohibitum est ne regulares aliquam pecuniæ summam a parentibus novitii exigant, pro convivio, occasione vestitionis vel professionis faciendo.* — Id quidem non prohibetur vi decreti Tridentini, sed extravagante *sane* (1, *de simonia).* Vide apud Ferraris (loco citato, n. 63). Ex contraria tamen conventuum consuetudine id licere tenent Suaresius et alii (vide Tamburinum, loco citato, n. 19).

PROPOSITIO XXIII[a]. — *Quando novitius bonis suis debito modo renuntiavit in favorem monasterii, an possint bona hæc monasterio tradi, depositi titulo, controvertitur.* — Rationes pro et contra vide apud Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 121). Diximus *in favorem monasterii*, exempli gratia; quia idem est de quocunque alio, cui novitius bona sua dedisset. Quod tamen nequeant moniales novitiarum suarum dotes, etiam titulo depositi, ante professionem apud se retinere, declaravit S. Congregatio Concilii (vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 64 et 65).

Digitized by Google

PROPOSITIO XXIV^a^.—*Si egrediatur novitius ante professionem, restitui ipsi debent omnia quæ sua erant, etiam ea quæ debita forma conventui dederat.* — Sequitur ex verbis Tridentini decreti, sub propositione 1 transcripti. Et notetur tradita Episcopis potestas conventum ad id compellendi etiam per censuras; quæ dispositio exemptos etiam regulares attingit.

Nihilominus novitio egredienti non esse relinquendum religionis habitum, sed restituendum illius pretium, a S. Congregatione Concilii decisum fuisse, vide apud Ferraris (voce *novitiatus*, n. 68).

PROPOSITIO XXV^a^. — *Novitius egrediens tenetur solvere expensas pro ipso factas a monasterio, si de hoc intervenerit pactum, vel ita ferat ordinis consuetudo : secus non tenetur.* — Tridentinum decretum (initio præsentis capitis transcriptum) *permittit* quidem dari a novitio vel ab ejus consanguineis necessaria pro victu et vestitu; sed dari non *præcipit*. Hinc solent doctores obligationem expensas illas monasterio refundendi, quoad novitium ad sæculum redeuntem, restringere ad casum, quo ita ferat pactum initum, vel monasterii consuetudo (vide Ferrarium, voce *novitiatus*, n. 69; et Schmalzgrueber, in titulum de *regularibus*, n. 80).

CAPUT VII.

DE JURE NOVITIORUM QUOAD BENEFICIA SUA.

Dicemus, 1° an novitii beneficia sua retinere possint usque ad suam professionem : 2° an etiam retineant jus, beneficio suo annexum, eligendi et suffragandi : 3° quid requiratur ut valide renuntient beneficiis suis.

§ I.

An novitii beneficia sua retinere possint.

PROPOSITIO I^a^. — *Beneficium clerici religionem ingredientis non potest alteri conferri intra novitiatus annum.* — Id omnino

Digitized by Google

certum est et nulli controversiæ obnoxium. Constat capite *beneficium* (4, *de regularibus*, in 6), in quo sic decernitur : « Beneficium illius qui religionem ingreditur non est infra « probationis annum alicui conferendum. »

PROPOSITIO II^a^.— *Non potest beneficium novitii ante ipsius professionem alteri conferri, quantumvis beneficium illud resignaverit.* — Nam renuntiatio beneficio non aliter effectum suum sortiri potest quam renuntiatio bonis temporalibus ; id est, nisi servata per Tridentinum decretum (initio præcedentis capitis relatum) præscripta forma : quia (ut infra, paragrapho 3, probamus) lex illa Tridentina utramque renuntiationem æque attingit : sed renuntiatio bonis temporalibus effectum suum sortiri nequit, nisi *secuta professione :* ergo nec renuntiatio beneficiis.

PROPOSITIO III^a^. — *Durante noviliatus tempore, beneficii functiones et onera alteri committenda sunt, assignata ipsi ex fructibus beneficii portione congrua.* — Constat citato capite *beneficium* (4, *de regularibus*, in 6), in quo sic decernitur : « Interim « eidem beneficio per alium deserviri debebit, assignata sibi « congrua de ipsius proventibus portione. »

PROPOSITIO IV^a^. — *Dictam portionem congruam determinare pertinet ad Episcopum.* — Ita doctores communiter. Vide apud Ferraris (voce *novitiatus*, n. 25).

PROPOSITIO V^a^. — *Residui fructus beneficii post solutam dictam congruam, reservandi sunt, et restituendi novitio si professionem non faciat : si vero professionem fecerit, nec de illis antea disposuerit, acquiruntur monasterio, juxta communiorem sententiam.* — Id auctoritatibus firmatum vide apud Ferraris (loco citato, n. 26). Diximus *acquiri monasterio* residuos fructus : id intellige, nisi monasterium sit incapax possidendi in communi, prout sunt conventus Capuccinorum et Minorum de observantia, quia tunc applicandi sunt ecclesiæ vel causis piis. Insuper diximus juxta *communiorem sententiam*. Nam Reiffenstuel sustinet non acquiri monasterio, sed applicandos esse piis causis aut Ecclesiæ, utpote fructus mere ecclesiasticos.

Digitized by Google

Nota. — In confirmationem doctrinæ, in præcedentibus propositionibus traditæ, adduci possunt hæc Suaresii verba : « Imo existimo, propter aliud decretum ejusdem concilii, « capite 16, etiam ex consensu novitii, non esse validam re- « nuntiationem beneficii a novitio factam, nisi fiat cum so- « lemnitate ibi præscripta, et ita ut non habeat effectum nisi « subsecuta professione. Quapropter etiam ex proprio con- « sensu non poterit beneficio privari. Dices : ergo tenebitur « novitius inservire tali beneficio, vel saltem poterit fructi- « bus ejus privari. — Respondeo, primum teneri ad illud « servitium, quod per se potest in tali statu exercere, ut est « canonicum officium recitare. Deinde debet per alium in- « servire quoad cætera omnia, quantum fieri possit, assignata « hujusmodi vicario congruenti portione. Unde constat, per « se loquendo, non esse novitium privandum omnibus fructi- « bus, quos percipit ratione tituli, et ratione quorum ad re- « citandum obligatur. » (*De religione*, t. 3, l. 5, c. 16, n. 12.)

Propositio VI^a^. — *Tradita regula, quod renuntiatio effectum non sortiatur ante professionem, locum habet, etiamsi professio ultra annum differatur.* — « Retinere illud (beneficium) novi- « tius potest usque ad professionem... Estque hoc verum, « etsi propter regulam ordinis, vel propter ætatis defectum, « vel ob aliam justam causam ultra annum prorogetur proba- « tio, ut cum aliis Sanchez... » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 90.)

Propositio VII^a^. — *Ergo in societate Jesu novitius beneficium suum (modo tamen sit simplex et residentiam non exigat) retinere posset, non tantum toto probationis biennio, sed etiam post vota simplicia, usque ad professionem, vel usque ad vota coadjutorum formatorum.* — Ita declaratum est ab hujus societatis congregatione generali 1, canone 1. — Sed quia Tridentina dispositio non attingit hanc societatem, potest etiam novitius beneficio suo valide et cum effectu renuntiare, etiam ante emissa vota simplicia, post primum tamen probationis annum. Praxis autem est, ut fiat ejusmodi renuntiatio post expletum novitia-

Digitized by Google

tus biennium, antequam vota simplicia edantur (vide Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 91).

Diximus, *modo tamen beneficium sit simplex et residentiam non exigat*. Alias enim posset ab Ordinario præfigi terminus ad resignandum, ut dicitur infra, propositione nona.

PROPOSITIO VIII[a]. — *In religiosis familiis quæ habent vota solemnia, statim ac novitius rite professionem emisit, vacat ipso facto quodlibet ipsius beneficium.* — Id extra controversiam est apud doctores. « Ut professus in religione per sedem « Apostolicam approbata amittat statim omnia et quæcunque « beneficia, sive simplicia, sive residentialia, jure canonum « diserte cavetur. Citato capite *beneficium;* Gonzalez...; « Murga...; Wagneret...; Suarez... » (In *Pineroliensi*, 23 novembris 1833, *Thesaurus resol.*, tom. 92.)

PROPOSITIO IX[a]. — *In religiosis familiis quæ non habent nisi vota simplicia, novitii per professionem beneficia sua non amittunt : si tamen beneficia hæc residentiam exigant, potest Ordinarius ejusmodi professos adigere ad resignandum ; id est, eis terminum præfigere intra quem resignare teneantur : quo elapso termino, possunt beneficia hæc aliis conferri.* — Fuit quæstio hæc apud S. Congregationem Concilii ventilata, in citata causa *Pineroliensi* 23 novembris 1833, cujus hæc exstitit occasio: cathedralis Pineroliensis canonicus Josephus Avvarus congregationi *Oblatorum a Beata Maria Virgine* nuncupatorum nomen dederat, atque in ea per trium votorum *simplicium* emissionem, juxta proprium hujus religiosæ familiæ institutum a sede Apostolica approbatum, jamjam professurus erat. Volebat autem canonicatum suum, post emissam professionem retinere. Quapropter a sede Apostolica sibi indulgeri postulabat, ut a lege residentiæ secum dispensaretur, et theologalis muneri satisfacere valeret per idoneum substitutum, assignata ei congrua fructuum beneficii canonicalis portione. Id ne ipsi concederetur instabant Episcopus et capitulum. Quibus expositis, hæc, quæ thesim nostram sufficienter firmant, adnotabat causæ relator :

Digitized by Google

« Probavit quidem Apostolica sedes lectissimam Oblatorum « familiam, in qua id lege sancitum est, ut *omnium bonorum « cujuslibet Oblati administratio ad congregationem pertineat, « ipsorumque proprietas penes Oblatos semper remaneat;* quin « ulla de honorum beneficiorumque abdicatione præscriptio « sit. Hinc, ad oratoris postulationem tuendam summus or- « dinis magister animadvertit, per *simplicem professionem*, « quam Oblati peragunt, non induci beneficiorum vacationem, « sed solum per *solemnem*. Testemque affert Benedictum XIV « (const. *ex quo dilectus*, § *denique*). Refert quippe Pontifex, « dubitatum fuisse, *an vota simplicia, quæ a clericis regulari- « bus societatis Jesu post biennium probationis emittuntur, bene- « ficiorum vacationem inducerent; ac negativam sententiam « fuisse communiter receptam.* Decreverunt idcirco societatis « præsides in generali congregatione quinta (can. 59), ut com- « pleto probationis biennio, priusquam vota simplicia emit- « tant, beneficia renuntient ejusdem tyrones, qua ex renun- « tiatione duntaxat vacua illa denuntiantur (Sanchez.., Pito- « nius.., Rigautius..). *Iis enim in religionibus seu congregatio- « nibus* (inquit Nigrius, tractatu *de vacatione beneficiorum*, c. 8), « *in quibus emittitur professio votorum simplicium, et professi « retinent dominium sine usu et administratione, prout est con- « gregatio Missionariorum, et usum sine dominio, prout est reli- « gio Jesuitarum ante quartum votum, nullo modo vacant beneficia « ecclesiastica.*

« Verum intelligenda hæc sunt de beneficiis *simplicibus*. « Si namque agatur de iis quæ residentiæ legem injiciunt, « *tenentur professi* (subdit Nigrius) *libere illa dimittere in mani- « bus Ordinarii, vel alio modo resignare; quia rationi non con- « gruit, ut per electionem status perfectionis ecclesia patiatur « detrimentum in spiritualibus. Aliter Ordinarius potest sic pro- « fessis, servatis servandis terminum competentem decernere, ut « ad ecclesiam redeant, seu beneficia dimittant; quo elapso potest « Ordinarius beneficium alii conferre.* Tondutius, *de beneficiis*, « c. 42. »

Digitized by Google

Juxta doctrinam illam pronuntiavit Sacra Congregatio in causa præfati canonici cathedralis Pineroliensis. Proposito enim dubio : *An et quomodo sit consulendum Sanctissimo, pro retentione canonicatus in casu?* rescriptum est (14 decembris 1833) : *Negative, et post emissam professionem Episcopus procedat prout de jure.*

§ II.

An novitius retineat jus eligendi et suffragium ferendi beneficio suo annexum.

PROPOSITIO I^a^. — *Si velit electioni interesse et suffragium ferre, non potest excludi.* — « Si novitii beneficium (inquit « Ferraris, voce *novitiatus*, n. 28), habeat annexum jus eli- « gendi seu suffragandi in electionibus, ut si novitius erat « canonicus alicujus cathedralis, si ipse velit electioni inter- « esse, excludi non potest; quia retinet adhuc verum suum « jus ad talem electionem, cum nec beneficio, nec fructibus « et effectibus ejus sit privatus. Sanchez.., Pirhing.., Suarez « et alii. »

PROPOSITIO II^a^. — *Non est tamen de iis qui necessario ad validitatem electionis vocandi sunt.* — De quo sic laudatus Ferraris, citato loco : « Non est tamen necessario vocandus; et « ipso non reclamante, possunt alii ad electionem libere et va- « lide procedere ; quia, cum seipsum sponte a sæculo segrega- « verit, merito reputatur inter absentes et remotos, qui nec « solent, nec debent vocari. Glossa.., Joannes.., Andreas.., « Barbosa.., Sanchez.., Pirhing.., Reiffenstuel.., Suarez.. et « alii. »

Hinc quando, vacante sede, a canonicis cathedralibus eligendus est vicarius capitularis, potest canonicus in novitiatu existens ad electionem venire, et vocem sicut alii habere; sed capitulum non tenetur ipsum vocare.

Digitized by Google

§ III.

Quid requiratur ut novitii valide suis beneficiis renuntient, et renuntiatio effectum suum sortiatur.

PROPOSITIO I^a. — *Servanda est forma a Tridentina synodo requisita quoad bonorum temporalium donationes.* — Renuntiatio bonis temporalibus non potest a novitio fieri ante ultimum anni probationis bimestre : item fieri nequit absque obtenta licentia Episcopi : insuper effectum sortiri non potest, nisi secuta professione. Ita nempe decrevit Tridentina synodus, capite 16 sessionis 25, *de regularibus*. An autem decretum illud Tridentinum censendum sit resignationes etiam beneficiorum comprehendere, magna olim fuit inter doctores controversia. Non pauci enim negabant (eorum rationes vide apud Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 124); sed communius affirmabatur. Hodie tenenda omnino affirmativa, ob auctoritatem præcipue S. Congregationis Concilii, quæ constanter, et praxi et declarationibus suis, eam firmavit. In quo et Rotam sequacem habuit. Ei satis aperte verbis Tridentini decreti fundatur; cum enim dicent Tridentini Patres, *nulla quoque renuntiatio valeat*, renuntiationem etiam beneficiis ex sensu grammaticali comprehendunt. Unde dicendum valide renuntiare non posse beneficio suo novitium ante ultimum bimestre anni novitiatus, et absque obtenta Episcopi licentia. Insuper in nullo casu effectum suum sortiri posse hanc renuntiationem, si professio non sit secuta. Rationes auctorum qui negabant, et eorum confutationem, vide apud Schmalzgrueber, loco citato.

PROPOSITIO II^a. — *Novitii societatis Jesu valide possunt beneficiis suis renuntiare, quin dicti decreti Tridentini formam servent.* — Nam, ut supra vidimus, Tridentini Patres societatem Jesu ab hoc suo decreto exceptam voluere; ita nempe ut nihil mutatum in pio hujus societatis instituto censendum foret. Ergo

Digitized by Google

valide possunt illi novitii bonis et beneficiis suis renuntiare non servato hoc decreto, si institutum societatis Jesu aliter hac de re disponat, quam fuit a Tridentina synodo sancitum : atqui revera aliter disponit. Statuit nempe ut renuntiationes, tum bonis, tum beneficiis, validæ sint et effectum sortiantur, etiamsi professio non sequatur, et quamvis absque Ordinarii licentia factæ sint.

CAPUT VIII.

QUORUMNAM JURISDICTIONI SUBJACEANT NOVITII.

QUÆSTIO I^a. — *Quænam sit jurisdictio prælatorum religionis in novitios?* — 1° Multi auctores, cum Schmalzgrueber (in titulum *de regularibus*, n. 88) distinguunt inter ordines exemptos et non exemptos. Si ordo non sit exemptus, prælatorum religionis in novitios jurisdictio æstimanda est ex concessione Episcopi, statutis ordinis et consuetudine. Si autem agatur de ordinibus exemptis, prælato religionis tribuunt jurisdictionem quasi episcopalem etiam in novitios. Unde inferunt posse hunc novitios præceptis ligare sub peccato, et sub censuris ; illos punire, casus item respectu ipsorum sibi reservare.

2° At contrarium tradit Ferraris (voce *novitiatus*, n. 13) : « Novitii, inquit, non subjiciuntur casibus reservatis a superioribus suæ religionis, nec casibus reservatis ab Episcopo « loci. Unde non possunt innodari censuris, nec ab Episcopo, « nec a superiore religionis ; quia sunt in statu neutro, id « est nec vere subditi Episcopi, nec superioris religionis ; « sed sunt in statu medio, per abnegationem extremorum in « odiosis. »

QUÆSTIO II^a — *A quibusnam absolvi possint novitii?* — Ex traditis apud Ferraris (loco citato, n. 14, 15, 16), 1° absolvi possunt a confessariis per prælatum religionis approbatis ; et non tantum hi confessarii possunt novitios absolvere a peccatis etiam in religione reservatis, sed insuper ab excommunica-

Digitized by Google

tione et censura (etiam ab homine) generaliter lata. 2° Possunt etiam novitii, absque licentia prælatorum ordinis, valide confiteri apud quemcunque confessarium ab Ordinario loci pro sæcularibus approbatum, atque ab eo absolvi, etiam a casibus in religione reservatis. 3° Si infirmentur novitii, possunt omnia sacramenta recipere a regularibus monasterii, atque in monasterio tumulari, inconsulto parocho; nec jus habet parochus ut quarta funeralis sibi solvatur.

CAPUT IX.

DE PRIVILEGIIS NOVITIORUM ET POTESTATE EOS ORDINANDI.

QUÆSTIO I^a — *Quænam sint de jure communi novitiorum privilegia?* — 1° Gaudent privilegio fori et canonis (vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 20). 2° Item gaudent indulgentiis ordini concessis (ibid). 3° Indulgentiam plenariam lucrantur die susceptionis habitus, et die professionis, præmissa confessione et sanctissimæ Eucharistiæ sumptione. Hæc de jure communi. Omittimus enim privilegia quæ variæ religiones pro suis novitiis obtinere potuerunt.

QUÆSTIO II^a — *A quo novitii ordines recipere possint aut debeant?* — 1° Non obstant jura, quominus novitii ordinari possint. « Nullum jus ego invenio, inquit Suarez, in quo sit inter« dictum novitium ordinari. » (*De religione*, tomo 3, l. 5, c. 16, n. 17.)

2° « A quo vero Prælato dependeat, seu facultatem et « litteras demissorias habere debeat, ut legitime ordinetur, « breviter dico: quamvis *probabile* sit, satis esse hab re fa« cultatem ab Episcopo, in cujus diœcesi est monasterium in « quo probatur, *probabilius* tamen credo id spectare ad Epi« scopum, in cujus diœcesi domicilium habebat, quando in« gressus est religionem. Et ratio est quia novitius, dum est « in probatione, non commutavit priorem statum simpli« citer in statum religiosum; et consequenter nec mutavit

Digitized by Google

« domicilium : ergo adhuc manet sub priori Episcopo, in his « quæ absolute respiciunt personam suam : ergo ab illo adhuc « pendet in litteris demissoriis. Ex quibus sequitur, attento « jure communi, in hoc minime pendere a prælato religionis, « cum pro eo tempore non habeat jurisdictionem simpliciter « quasi episcopalem in illum, sed magis limitatam, ad finem « scilicet probationis. Dixi *attento jure communi* ; quia si re- « ligio habuerit quod speciale privilegium, sicut habet so- « cietas Jesu, tunc poterit illorum prælatus has litteras eis « concedere demissorias, sicut aliis professis. » Hæc Suaresius loco citato. Alii vero doctores multi, tenent ordinationem novitii spectare ad Episcopum loci in quo est novitiatus. Inter alios Ferraris, postquam præmonuit, spectare ordinationem hanc ad proprium Episcopum, sic addit (voce *novitiatus*, n. 95) : « Episcopus autem proprius est Episcopus loci « monasterii in quo novitius agit novitiàtum ; cum novitius « contrahat domicilium in loco in quo agit annum probationis, « ex notatis *communiter* per doctores. » Vide etiam Fagnanum, id sustinentem (in cap. *cum inter*, *de sententia et re jud.*, n. 8).

3° An abbas, qui potest minores ordines suis religiosis conferre, idem valeat quoad novitios suos, est quæstio valde controversa. Affirmativam defendit Fagnanus, loco citato : negativam Ferraris, voce *novitiatus*, n. 93.

CAPUT X.

DE NOVITIORUM OBLIGATIONIBUS.

I. Regulas et præcepta ordinis sui observare non tenentur ex proprie dicta obligatione. Ita doctores unanimiter, ea ducti ratione, quod nullum assignari valeat ejusmodi obligationis fundamentum (vide Schmalzgrueber, in titulum de *regularibus* n. 85 et seq.).

II. Quod tamen ex quadam *decentia* teneatur novitius dictas

Digitized by Google

regulas observare, admittunt doctores communiter (vide apud Ferraris, voce *novitiatus*, n. 12).

III. Juxta sententiam supra memoratam, quæ prælato religionis jurisdictionem quasi episcopalem etiam in novitios attribuit, posset is novitio præcepta imponere, quæ ipsum obligarent. Ea nempe præcepta transgrediendo peccaret novitius ob violatam jurisdictionem ecclesiasticam; non autem ob violatum obedientiæ votum, quo caret.

IV. In dicta vero hypothesi non posset prælatus novitio præcipere quæ pertinent ad perfectionis prosecutionem, cum ad id novitius non teneatur; sed duntaxat ea quæ possent ab Episcopo subditis suis præcipi (vide Schmalzgrueber, loco citato).

Digitized by Google

SECTIO II.

De Professione.

Dicemus 1° quid et quotuplex sit professio; 2° enumerabimus decem requisita ad valorem professionis, sive tacitæ, sive expressæ; 3° nonnullas solvemus quæstiones circa professionem tacitam; 4° item circa professionem expressam; 5° expendemus ad quem pertineat novitios ad professionem admittere; 6° agemus de effectibus professionis validæ; 7° de ratificatione professionis invalidæ; 8° quomodo intelligenda sit Tridentina lex circa religiosos, professionis suæ nullitatem obtendentes; 9° an ille qui scit professionem suam esse invalidam, sed nequit illud probare, licite valeat ad sæculum redire, et matrimonium contrahere; ita ut decretum Tridentinum illud prohibens censendum sit valere tantum in foro externo, non autem quoad conscientiam; 10° an professio nulliter emissa valeat saltem tanquam votum simplex; 11° an nulla sit professio tacita, quæ fit extra conventus designatos; 12° quomodo procedendum in causis nullitatis professionum.

CAPUT I.

QUID ET QUOTUPLEX SIT PROFESSIO.

Professio considerari potest, vel in se, vel quoad modum illam emittendi. Considerata in se dividitur in late sumptam et stricte sumptam: considerata quoad modum, dividitur in tacitam et expressam.

Quæstio Iª. — *Quid sit professio late sumpta, et stricte sumpta?* — « Professio religiosa, inquit Schmalzgrueber (in

Digitized by Google

« titulum *de regularibus*, n. 149), dupliciter potest accipi : « late et stricte. *Late accepta* professio est actus religiosus et « sacer, per quem homo fidelis, in religione aliqua approbata, « per emissionem trium votorum substantialium paupertatis, « castitatis et obedientiæ, voluntarie se Deo tradit, interve- « niente authoritate prælati, qui hujusmodi traditionem Dei « et religionis nomine acceptet : capite *ad Apostolicum* 16, *de* « *regularibus*; et communiter tradunt doctores.

« *Stricte accepta* est contractus ultro citroque obligatorius, « quo quis, per vota solemnia, se Deo et religioni tradit; et « religio vicissim hujusmodi traditionem acceptat, cum onere « ipsum voventem perpetuo retinendi, alendi, et tanquam « filium juxta regulas et institutum religionis tractandi. »

Discrimen inter utramque in eo est, quod late sumpta professio fiat per vota *simplicia;* stricte autem sumpta, per vota *solemnia*. Ubi autem vox *professio* adhibetur, sine addito intelligi solet de professione stricte sumpta.

Hinc in congregationibus, quæ simplicia duntaxat vota habent ex instituto, perpetua tamen, dici potest emitti professionem, intelligendo late sumptam : modo tamen congregatio sit de approbatis, et interveniat qui vota legitime acceptet Dei et religionis nomine.

Quæstio IIª. — *An ad constituendum aliquem vere religiosum requiratur professio, et an sufficiat late sumpta?* — 1° Certum est requiri professionem, ut quis verus religiosus evadat. Quamvis enim novitii sub religiosorum nomine veniant in favorabilibus multis, proprie tamen religiosi non sunt, sed eorum status est quædam ad religionem præparatio. Item quantumvis novitii vel alii tria vota perpetua emiserint, si non adfuerit traditio rite acceptata ab habente potestatem, minime religiosi facti sunt. Si autem per tria perpetua vota sese Deo mancipaverint, et traditio hæc nomine Dei et religionis a legitimo prælato fuerit acceptata, jam adest hoc ipso professio, nimirum stricte sumpta, si votis solemnibus, late sumpta si simplicibus votis sese obstrinxerint.

Digitized by Google

2° Sufficit autem professio late sumpta, id est, cum votis simplicibus, ad constituendum aliquem in statu vere religioso. Id supra fuse probavimus; nec in dubium revocari potest post bullam *ascendente* Gregorii XIII; in qua expresse declaratur veros et proprie dictos religiosos esse scholasticos societatis Jesu, quamvis simplicia duntaxat vota emittant. Dum autem dicimus sufficere vota simplicia perpetua, intelligendum semper, modo fiant in religione a sede Apostolica approbata, et cum dicta legitima acceptatione.

QUÆSTIO III^a^.— *Quid sit professio expressa et professio tacita?* — « *Expressa* est, quæ verbo, scriptura, aliisque nutibus, « consensum sufficienter declarantibus, exprimitur: *tacita*, « quæ nec voce, nec scripto, etc., fit, sed per unum vel plures « actus, professis proprios, censetur induci. » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 155.)

CAPUT II.

ENUMERANTUR DECEM REQUISITA AD VALOREM PROFESSIONIS, SIVE TACITA SIT, SIVE EXPRESSA.

REQUISITUM I. — *Ut persona sit habilis ad ingrediendam religionem.* — Certæ quædam personæ status religiosi de jure sunt incapaces. Quænam ut tales haberi debeant, dictum est supra (sectione 1, capite 1). Si de iis sit qui professionem emittit (verbi gratia, si uxorem in id non consentientem habeat, et matrimonium fuerit consummatum), nulla procul dubio ejus professio erit.

REQUISITUM II. — *Ut profitens decimum sextum annum compleverit.* — Ita nempe decrevit Tridentina synodus. Computandum autem esse illam ætatem de momento ad momentum, pluries a Sacris Congregationibus declaratum est, et tradunt unanimiter doctores. Unde si ad complendum decimum sextum annum decsset una hora, irrita foret professio. Cæterum de jure communi sufficiunt sexdecim anni. De jure vero parti-

Digitized by Google

culari, in quibusdam religionibus provectior ætas requiritur. In societate Jesu, verbi gratia, non valet professio quatuor votorum, nisi expleto 25 anno (const., parte 1, cap. 2, § 12; et cap. 3, declar. lit. k.).

REQUISITUM III. — *Ut præcesserit integer probationis annus.* — Id jam dictum est supra, sectione 1, ubi de novitiatu diseruimus. De jure autem particulari, in quibusdam religionibus longior probatio requiritur.

REQUISITUM IV. — *Ut fiat cum intentione professionem faciendi.* — « Est enim matrimonium quoddam spirituale cum « religione; quod, perinde ut carnale, deficiente consensu, « et ipsum deficit. » (Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 164.)

REQUISITUM V. — *Ut professio non emittatur ob fraudem seu dolum.* — « Patet, quia ubi hic *(nempe dolus)* causam dat con- « tractui, consensus deest. » (Schmalzgrueber, loco citato, n. 165.)

REQUISITUM VI.— *Ut non fiat ex vi vel metu.* — Constat tum ex jure naturali, tum pluribus ecclesiastici juris textibus, tum in particulari ex Tridentina synodo (sess. 25, c. 19, *de regularibus*), ubi inter causas reclamandi contra professionem, prima ponitur, si quis *prætendat se per vim vel metum ingressum esse religionem.*

Qualis autem debeat esse metus ut professionem irritare censendus sit, determinant doctores hac communiter recepta regula : debet esse metus *gravis*, id est cadens in constantem virum ; et ab *extrinseco injuste* incussus ; et incussus *ad extorquendam professionem*. Hinc, 1° non sufficit metus levis ; 2° nec metus aliunde proveniens, quam ab homine, vim inferente in ordine ad extorquendam professionem ; 3° proinde professio non irritatur ex eo quod fiat metu inferni, aut metu mortis naturalis, aut etiam metu mortis casualis, seu violentæ (modo tamen hæc non intentetur ab aliquo homine in ordine ab obtinendam professionem) ; 4° metus reverentialis, cum præviis minis, vel verberibus, sufficiens est ad annullandam profes-

Digitized by Google

sionem; 5° solo metu reverentiali, absque præviis minis aut verberibus, irritari professionem tenent doctores aliqui. « In « praxi tamen tenendum est (inquit Ferraris) non sufficere « solum metum reverentialem ad annullandam seu invalidan- « dam professionem. » (Vide apud citatum Ferraris, voce *professio*, n. 24 et seq.)

REQUISITUM VII. — *Ut emittantur expresse vel æquivalenter tria vota substantialia.* — Nisi enim fiant tria vota paupertatis, castitatis et obedientiæ, non aderit status religiosi essentia, ut supra probavimus. Necesse autem non est, in professionis formula, expressis terminis fieri mentionem de tribus illis votis; sed sufficit talem esse formulam quæ æquivalenter illa contineat. Talis autem est, qua promittitur *obedientia*, vel *stabilitas*, vel *conversio secundum regulam*; quia cum juxta regulam tribus illis votis obstringi debeant professi, per dictas formulas æquivalenter fit de iisdem tribus votis emissio (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 165). Imo absque ulla formula, per actus professionis tacitæ inductivos, sufficienter emittuntur dicta tria vota; dummodo professio tacita fiat in religione, hæc vota ex instituto habente.

REQUISITUM VIII. — *Ut professio fiat in aliqua religione approbata.* — Vide quæ diximus supra.

REQUISITUM IX. — *Ut professio acceptetur ab habente ad id potestatem.* — Id tanquam certum tradunt doctores communiter (vide apud Ferraris, voce *professio*, n. 40). Imo requiri ejusmodi acceptationem ad essentiam etiam status religiosi, jam supra firmavimus. Quisnam autem potestatem habeat novitios ad professionem recipiendi expenditur infra, capite 5.

REQUISITUM X. — Ut profitens « nullam apponat conditio- « nem substantiæ religionis repugnantem; qualis esset, si « quis profiteretur ea lege, ut possit egredi quando onera « religionis ferre amplius non poterit, ut possit vivere pro « suo arbitratu, retinere bona sua, et de illis disponere pro « libitu, etc.» (Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*. n. 166.)

Digitized by Google

CAPUT III.

SOLVUNTUR NONNULLÆ QUÆSTIONES CIRCA PROFESSIONEM TACITAM.

QUÆSTIO I^a. — *Quodnam fuerit jus commune circa professionem tacitam, ante Tridentinum concilium?* — 1° Ubi habitus professorum erat distinctus ab habitu novitiorum, si novitius, pubertatem adeptus, habitum professis proprium per tres dies gestasset, professionem emisisse censebatur. 2° Ubi vero indistinctus erat habitus, necesse erat ad inducendam professionem tacitam, ut novitius illum gestaret per annum integrum. 3° Item censebatur novitius professionem emittere, quando exercebat aliquem actum professis proprium; verbi gratia, quando suffragium ferebat in capitulo. Et sufficiebat ejusmodi actus exercitium, sive novitius eumdem ac professi habitum gestaret, sive diversum. 4° Tacitæ professioni eadem vis inerat ac expressæ. Quia nempe novitius præsumebatur sic agere ex animo et intentione religionem profitendi, seque illi perpetuo obligandi. 5° Præsumptio illa erat *juris et de jure;* id est non admittebatur probatio in contrarium. Sed hoc ipso quod novitius id faciens de contraria intentione non esset expresse protestatus, professionem emittere voluisse censebatur (vide quoad hæc omnia Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 155).

QUÆSTIO II^a. — *An hodie etiam valide fieri possit, et quandoque fiat professio tacita?* — 1° Certum est a Tridentina synodo sublatam non fuisse professionem tacitam, quamvis Tridentini Patres novas ad valorem cujuslibet professionis conditiones necessarias fecerint, quæ rariorem in praxi tacitum profitendi modum reddidere. Satis id constat ex constitutione Sixti V *ad Romanum* (12 cal. novembris 1588), in qua sic habetur: *Sed cum eadem ratio vigeat in tacita professione emittenda, quæ militat in expressa, statuimus quod in quibusvis ordinibus et religionibus, neque etiam tacita professio quorum-*

Digitized by Google

cunque religiosorum induci possit, nec inducta intelligatur, nisi in receptione constitutionis forma servata fuerit. Ibi supponit Pontifex, etiam post Tridentinam synodum professioni tacitæ dari locum. Unde hodie etiam contingere posse validam professionem tacitam, omnino tenendum est; neque ulla exstat de hoc apud doctores controversia.

2° Casus frequentior in quo datur locus professioni tacitæ, est quando professio expressa, propter certos quosdam juris defectus fuit nulla. Supponamus, verbi gratia, professionem expressam emisisse novitium, ob graves minas patris sui, ad id eum impellentis. Professio hæc certo nulla fuit. Si tamen postea, mortuo patre, ipse a metu liber, non reclamet, sed sponte remaneat in monasterio, actus professis proprios exercens, atque ipsorum habitum deferens, tacitam professionem valide emisisse censendus erit.

Unde in causis de nullitate professionis expressæ, valde attendendum est ad professionem tacitam, videndum nempe an hæc alterius defectum suppleverit.

3° Sed extra hunc casum contingere etiam potest professio tacita. Supponamus, verbi gratia, expletum a novitio fuisse probationis tempus, ex Tridentino decreto requisitum; esseque ipsum annis sexdecim majorem; aliasque adesse conditiones, ita ut valida foret professio expressa, si illam emitteret: tunc si, prælato sciente et non dissentiente, novitius ille suffragium ferat in capitulo; vel si professorum habitum, ab habitu novitiorum distinctum, per tres dies gestet, aderit professio tacita, et quidem valida. Atque illam non esse rarissimam, prout quidam scripsere, adnotat Fagnanus in hunc modum: « Professio tacita, dummodo annus probationis præ-
« cedat, hodie est in suo robore, et *frequenter* contingit, ut
« reipsa experti sumus in Congregationibus, tum Concilii, tum
« Episcoporum et regularium, quarum a secretis fuimus annos
« supra viginti : quamvis Sanchez.. scriptum reliquerit,
« *rarissime* post Tridentinum contingere sic valide profiteri. »
(In cap. *vidua*, *de regularibus*, in fine.)

Digitized by Google

QUÆSTIO III[a]. — *Quænam requirantur ad valorem professionis tacitæ?* — 1° Requiruntur decem conditiones, quas superiori capite necessarias diximus, tum pro expressa, tum pro tacita professione. Adnotandum autem est circa quartam (id est circa *intentionem* profitendi), defuturam illam conditionem, si novitius, habitum professorum deferendo, aut actus ipsis proprios exercendo, nesciret induci hoc agendi modo tacitam professionem.

2° Pro inducenda professione tacita per habitus gestationem, « requiritur ut habitus deferatur *in monastèrio*, ita ut « per quodcunque temporis spatium, si deferatur habitus extra monasterium, nunquam inducitur tacita ista professio « (Fagnanus, cap. *vidua, de regularibus,* n. 18)...; quia non « censetur assumptio habitus facta animo profitendi : nam si « profiteri voluisset, intra monasterium gessisset eum, et in « illud ingressus esset. » (Cardinalis Petra, in const. 9 Sixti IV, sectione unica, n. 12.)

Hoc ultimum requisitum est proprium professioni tacitæ. Nam ad valorem professionis expressæ non requiritur de *jure communi* ut fiat intra monasterium, sed valet etiamsi extra emittatur. Diximus de *jure communi;* quia quoad Italiam et adjacentes insulas, disposuit Clemens VIII, ut non valeret professio expressa, nisi emissa in conventibus auctoritate Apostolica designatis ad faciendum novitiàtum.

CAPUT IV.

SOLVUNTUR NONNULLÆ QUÆSTIONES CIRCA PROFESSIONEM EXPRESSAM.

Jam diximus *expressam* vocari professionem illam, quæ fit verbo, scriptura, aliisve nutibus consensum sufficienter declarantibus. Ad valorem ejus quod attinet, dici potest non alias requiri conditiones, præter eas quæ supra (capite 2) necessariæ dictæ sunt pro qualibet professione; id est, sive pro ta-

Digitized by Google

cita, sive pro expressa (vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 179).

Illa tamen generalis solutio nonnullas difficultates, quæ facile menti occurrere possunt, haud diluit. De iis breviter sub sequentibus numeris.

I. *An revera valide fiat professio per nutus?* — « Fieri pro« fessio potest non tantum verbis, sed etiam nutibus, ut pas« sim doctores colligunt ex capite *porrectum* (13 *de regulari*« *bus).* » (Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 179.)

II. *An scriptura vel testes necessarii sint?* — « Etsi consue« tudo communis Ecclesiæ sit, ut fiat in scriptura, eaque pu« blice ex scripto legatur coram testibus sufficientibus, de « jure tamen communi nec scriptura, nec testes essentialiter « necessarii sunt, cum nuspiam requirantur in jure com« muni. » (Schmalzgrueber, loco citato. Vide etiam Suaresium, *de religione*, tom. 3, l. 6, c. 12, n. 2.) Diximus de *jure communi;* quia de jure particulari possunt hæc in aliqua religione esse ad valorem professionis necessaria.

III. *An professio fieri possit per procuratorem?* — Respondendum affirmative, attento jure communi : id tamen non expedit (vide laudatum Schmalzgrueber, loco cit., n. 180).

IV. *An fieri possit sub conditione?* — Respondendum affirmative, si conditio sit de futuro, et substantiæ religiosi status non repugnet. Et tunc, impleta conditione, professio absque novo consensu transit in absolutam (vide loco citato).

V. *An necessario facienda sit in ecclesia vel monasterio?* — De jure communi fieri potest valide in quocunque loco (vide Suaresium, *de religione*, tom. 3, l. 6, c. 12, n. 24). Item fieri potest quolibet tempore. In Italia et adjacentibus insulis valide fieri nequit nisi in conventibus designatis, ob Clementis VIII decreta.

VI. *An valide fieri possit ab infirmo?* — Affirmative; etiam in articulo mortis, modo profitens integrum judicium habeat.

VII. *Valori professionis non obstat quod eam acceptans sit sus-*

Digitized by Google

pensus vel excommunicatus, etiam vitandus. — Vide Schmalzgrueber, in tit. *de regularibus*, n. 188.

VIII. *An nulla sit professio contra legem, in constitutionibus ordinis expressam, facta?* — Respondendum negative, nisi in constitutionibus expresse sub nullitatis pœna impedimentum decernatur, et constitutiones a sede Apostolica fuerint approbatæ : « Notissimum quippe est juris principium, quod profes« sio contra legem in peculiaribus constitutionibus alicujus or« dinis præscriptam, non soleat irrita declarari, nisi hæc ipsa « nullitatis pœna fuerit in eisdem constitutionibus, a sede Apo« stolica specifice approbatis, adjecta ; secundum ea quæ tra« dit Fagnanus (in cap. *qui presbyterum*, n. 8, *de pœnit. et rem.*); « egregie Eminentissimus Petra (ad const. 2 Anastasii II, n. 9; « ad constit. 5 Gregorii IX, n. 22, tom. 2, et ad const. 3 Cal« lixti VI, n. 17, tom. 5); et colligitur ex decretis hujus Sa« cræ Congregationis. » (Verba hæc desumpsimus ex causa *Pisana* 10 januarii 1739, tomo 9 *Thesauri resolutionum*, pag. 7, § *quod attinet*.)

CAPUT V.

AD QUEM PERTINEAT NOVITIOS AD PROFESSIONEM ADMITTERE.

Quæstio hæc solvenda venit, tum relative ad Episcopum, tum relative ad ipsosmet regulares. Hinc duplex paragraphus.

§ I.

Num potestatem habeat Episcopus novitios ad professionem admittendi.

PROPOSITIO I^a^. — *In ordinibus exemptis, non potest Episcopus quemquam ad professionem valide admittere.* — Id probat Fagnanus (in cap. *parrectum*, *de regularibus*, n. 32 et seq.) in hunc modum : « In monasteriis et religionibus exemptis, « quales sunt hodie religiones fere omnes, tenendum est ab-

Digitized by Google

« solute, Episcopum non habere facultatem admittendi quem-
« quam ad professionem... Receptio enim ad professionem
« est actus dependens a potestate superioritatis ; ut sentit
« Innocentius.., Geminus.., Navarrus ; et clare probatur in de-
« creto concilii Tridentini, capite 16, ibi : *Superiores novitios*
« *quos habiles invenerint, ad profitendum admittant* (sess. 25 *de*
« *regularibus*). Quod adeo verum est, ut, cum in decretis Cle-
« mentis VIII, super forma recipiendi novitios ad habitum et
« professionem, promulgatis sub die 19 maii 1602, inter cæ-
« tera constitutum esset, ne in conventibus designatis novitii ad
« habitum vel professionem ullatenus recipi possent, nisi
« prævia approbatione Congregationis reformationis, vel *Epi-*
« *scopi diœcesani*, religionibus de hoc graviter conquerentibus,
« hoc caput sublatum fuit. » Excipiendus casus quo abbas monasterii est simul diœcesis Episcopus : « Talis namque,
« cum simul sit Episcopus et abbas, utique potest monachos
« sibi subjectos ad professionem admittere. » (Fagnanus, ibid., n. 27.)

Objicies. — Saltem in casu quo moniales abundent redditibus, et negligant sufficientem numerum ad professionem admittere, poterit Episcopus, si prævie monitioni moniales non paruerint, novitios ipsemet admittere ; prout evincunt textus juris, qui hac de re a canonistis adduci solent. — Respondet Fagnanus textus illos intelligendos esse duntaxat quoad ordines *non exemptos* : « Ego intelligo verum in monasteriis non
« exemptis : alias enim non pertineret ad Episcopum supplere
« hujusmodi negligentiam, sed ad illarum superiores, vel ad
« sedem Apostolicam. » (Loco cit. n. 29.) Et adducit Fagnanus textus id clare probantes.

PROPOSITIO II^a. — *Etiamsi monasteria non sint exempta, non spectat ad Episcopum admittere ad professionem, seclusa casu negligentiæ ex parte conventus.* — Ita tenet Fagnanus (loco cit., n. 30) : « Atvero, inquit, cessante negligentia (1), etiam in

(1) Nempe negligentia conventus, in admittendo sufficienti numero ad professionem.

Digitized by Google

« monasteriis non exemptis monialium receptio de jure non « spectat ad Episcopum, sed ad abbatissam et conventum. » Atque id firmat pluribus auctoritatibus. Attamen Schmalzgrueber Episcopo tribuit, ut in conventibus non exemptis valide queat ad professionem admittere; sed cum limitatione, quæ ipsius opinionem ad Fagnani doctrinam fere reducit, nimirum : « Opus tamen erit eo casu, ut ejusmodi admissio fiat « cum consensu majoris partis capituli : nam etsi et ipse « talis monasterii prælatus proprius sit, consensum tamen, in « re monasterium contingente (qualis est admissio ad profes- « sionem), a monasterio debet exquirere. » (Schmalzgrueber, in titulum *de regularibus*, n. 183.)

Intelligenda est præsens propositio, *de jure communi;* nam de jure particulari, potest ad Episcopum spectare dicta admissio, in ordinibus non exemptis, prout sequenti propositione dicitur.

PROPOSITIO III^a^. — *De jure particulari, verbi gratia, ex consuetudine præscripta vel privilegio, potest ad Episcopum, etiam solum, spectare admissio ad professionem.*—Id etiam desumimus ex Fagnano. Postquam nempe a regula generali, quod ad Episcopum dicta admissio non pertineat, exceperit casum quo Episcopus est simul abbas, et casum præfatæ negligentiæ, subjungit hoc modo : « Tertius casus est in monasteriis virorum vel « mulierum, quæ ita sunt Episcopo subjecta, ut ad eum spe- « ctet receptio monachorum vel monialium, puta ex consue- « tudine præscripta, vel privilegio. » (In cap. *porrectum, de regularibus*, n. 32.)

PROPOSITIO IV^a^. — *In congregationibus, quæ simplicia duntaxat vota, seu late sumptam professionem emittunt, an et quatenus admissio pertineat ad Episcopum, videtur determinandum ex ipsarum constitutionibus, vel legitima consuetudine : quod si constitutiones congregationis vel consuetudo id non determinaverint, non videtur admissio pertinere ad Episcopum, nisi de consensu congregationis.* — 1° Si institutum congregationis a sede Apostolica fuerit approbatum, et determinet ad quos dicta admis-

Digitized by Google

sio pertineat, clarum est per hos tantum, et non per alios, legitime admissionem hanc fieri posse. Nec penes Episcopum est immutare quod approbatione Pontificia firmatum fuit. 2° Item facienda erit admissio ad normam in constitutionibus congregationis præscriptam, quamvis non accesserit approbatio Pontificia, si fuerit initio auctoritate Ordinarii norma hæc approbata, vel saltem consuetudine indulta; quia sive per Ordinarii approbationem, sive per legitimam consuetudinem, videtur acquisitum fuisse jus, tum congregationi, tum etiam locorum Ordinariis, ut modo illo in constitutionibus determinato admissio fiat. Unde jam nec congregatio, nec Ordinarii poterunt sola sua auctoritate id immutare, sed tantum ex mutuo consensu. Pro qua tamen mutatione, prudens foret ad sedem Apostolicam recurrere, ad evitanda, quæ alias sequi facile possent, inconvenientia. 3° Tandem si neque per congregationis constitutiones, neque per consuetudinem satis determinatum reperiatur ad quem pertineat novitios seu novitias ad professionem admittere, videtur congregationi applicandum quoad hoc jus commune monasteriorum non exemptorum, de quibus propositione 2 diximus; quia tunc congregatio hæc merito præsumitur erecta et approbata juxta jus illud commune, potius quam aliter. Sed casus hic fere chimericus est: nam vix ulla unquam reperietur virorum aut monialium congregatio, etsi simplicia duntaxat vota habens, in qua non determinetur, sive ex propria regula, sive saltem ex consuetudine, ad quem pertineat ad novitiatum et ad vota admittere.

Nota 1°.—Dicta hic de congregationibus, simplicia duntaxat vota habentibus, videntur procedere, etiamsi vota hæc non sint perpetua. Imo applicanda videntur et iis congregationibus quæ votis carent, et religiosum statum duntaxat imitantur. An nempe ad Episcopum spectet nova membra in iis admittere, determinandum videtur ex modo expositis principiis circa admissionem ad vota.

Nota 2°. — Ad dignoscendum qualem potestatem habeat

Digitized by Google

Episcopus novitios aut novitias ad professionem admittendi, præcipua et optima in praxi regula est, ut inspiciantur uniuscujusque ordinis quoad hoc constitutiones et legitimæ consuetudines. « Ad dignoscendum, inquit Fagnanus, quis possit « ad habitum et professionem recipere, in primis recurren- « dum est ad consuetudines, privilegia et statuta cujusque « ordinis. » (In cap. *porrectum*, *de regularibus*, n. 34.)

§ II.

Quinam religiosi potestatem habeant novitios aut novitias ad professionem admittere.

I. Præcipua quoad hoc dignoscendum regula est, ut recurratur ad uniuscujusque ordinis religiosi statuta, privilegia et consuetudines; prout adnotare solent canonistæ, ubi de hac materia disserunt. In specimen autem varietatis circa hoc vigentis, pauca hæc subjicimus :

In regula fratrum Minorum S. Francisci, capite 2, sic habetur : « Si qui voluerint hanc vitam accipere, et venerint ad « fratres nostros, mittant eos ad ministros provinciales; qui- « bus solummodo, et non aliis recipiendi fratres licentia con- « cedatur. » Ibi autem vox *solummodo* non excludit ministrum generalem, prout declaravit Gregorius IX.

In constitutionibus ordinis Prædicatorum (dist. 1, cap. 13, § 3) sic legitur : « Nullus recipiatur in fratrem clericum ad « probationem vel professionem, nisi a priori provinciali, vel « ab eo cui super hoc dederit licentiam specialem, vel a « priori conventuali cum assensu totius vel majoris partis ca- « pituli. Conversum autem non recipiat prior provincialis, « nec aliquis de ejus licentia, nisi de consensu prioris et dua- « rum partium fratrum, qui sunt de conventu, pro quo fuerit « induendus. »

In constitutionibus ordinis Eremitarum S. Augustini (p. 2, cap. 1) ita statuitur : « Recipiantur autem (novitii) de licentia « prioris provincialis, et de consensu, primo patrum concilii, « deinde majoris partis capituli. »

Digitized by Google

sio pertineat, clarum est per hos tex[illegible] cap. 13, § 5) legitime admissionem hanc fieri p[illegible] vel provincialem est immutare quod approbati[illegible].

2° Item facienda erit admi[illegible] et admissio ad uniuscu- congregationis præscript[illegible]m consensu majoris partis Pontificia, si fuerit approbata, vel [illegible] a jure particulari uniuscujusque or- Ordinarii apr[illegible] *et abbatissas monasteriorum* jure communi videtur [illegible] est, ut possent quoad sua respective monasteria locorr[illegible] et professionem admittere, assentiente majore na[illegible] capituli (vide Fagnanum, in cap. *porrectum*, *de regularibus*, n. 22).

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS PROFESSIONIS VALIDÆ.

I. *Professionem emittens consequitur remissionem omnium peccatorum, quoad culpam et quoad pœnam, dummodo non sit in statu peccati mortalis.* — Ita tenent doctores communiter, cum sancto Thoma (2, 2, q. 189, a. 3, ad 3).

II. *Professio extinguit omnia vota prius emissa.* — Id pariter extra controversiam est apud doctores. Atque inter alia in probationem afferri solet caput *scriptura* (4, *de voto et voti redemptione*), in quo sic declaratur : « Reus fracti voti aliqua- « tenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam « noscitur religionis observantiam commutare. »

III. *Professio aufert irregularitatem ex natalium defectu; sed tantummodo relative ad suscipiendos sacros ordines.* — Possunt nempe spurii, in aliqua religione professi, ad sacros ordines absque dispensatione promoveri. Non tamen possunt absque dispensatione Pontificia ad prælaturas vel dignitates ecclesiasticas evehi. Ita doctores communiter; et expresse id decernitur capite *ut filii* (1, *de filiis p.*), hoc modo : *In fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant,*

Digitized by Google

in congregatione canonica regulari viventes : prælationem vero tenus habeant. Cæteras autem irregularitates per profes- non auferri, est sententia communior (vide Ferraris, *essio*, n. 102).

essio dirimit sponsalia et matrimonium ratum non . — Constat, tum variis aliis textibus, tum præ- ino (canone 6 sessionis 24 *de matrimonio*), quo ccernitur : « Si quis dixerit matrimonium ratum non « consummatum, per solemnem religionis professionem alte- « rius conjugum non dirimi, anathema sit. »

Effectum hunc non habet sacrorum ordinum susceptio : dirimit nempe solummodo sponsalia, non autem matrimonium ratum non consummatum ; prout definivit Joannes XXII, his verbis : « Licet votum solemnizatum per sacri susceptionem « ordinis, quantum ad impediendum contrahendum, ac diri- « mendum, si post contractum fuerit, sit efficax reputandum ; « ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per « carnis copulam non fuerit consummatum (cum nec jure « divino, nec per sacros canones reperiatur hoc statutum) « invalidum esse censendum. » (Extravag. *antiquæ*, *de voto et voti redemptione.*)

V. *Professio liberat professum a patria potestate.* — Esse hanc doctrinam a doctoribus communiter receptam, et omnino tenendam, vide apud Ferraris (voce *professio*, n. 106). Lex sæcularis quæ contrarium disponeret, pro nulla esset habenda ; unde parentes, qui ejusmodi sæculari lege innixi, filium aut filiam suam, post emissam professionem, e conventu extraherent, procul dubio graviter peccarent ; nec possent in tribunali pœnitentiæ absolvi, nisi a tali injustitia desisterent.

VI. *Quidquid acquirit religiosus post professionem, non sibi, sed monasterio acquirit ; modo tamen religio de iis sit quæ possunt possidere in communi.* — Id pariter est extra omnem controversiam positum. Cum autem dentur ordines religiosi (verbi gratia, Capuccini et Minores de observantia), qui neque etiam in communi possidere possunt, exurgit quæstio, ad quem perti-

Digitized by Google

In constitutionibus Carmelitarum (parte 1, cap. 13, § 5) novitiorum receptio ad priorem generalem vel provincialem dicitur pertinere, juxta formam traditam.

In aliis quibusdam ordinibus pertinet admissio ad uniuscujusque monasterii superiorem, cum consensu majoris partis capituli.

II. Abstrahendo autem a jure particulari uniuscujusque ordinis, quoad *abbates et abbatissas monasteriorum* jure communi determinatum est, ut possent quoad sua respective monasteria ad novitiatum et professionem admittere, assentiente majore parte capituli (vide Fagnanum, in cap. *porrectum*, *de regularibus*, n. 22).

CAPUT VI.

DE EFFECTIBUS PROFESSIONIS VALIDÆ.

I. *Professionem emittens consequitur remissionem omnium peccatorum, quoad culpam et quoad pœnam, dummodo non sit in statu peccati mortalis.* — Ita tenent doctores communiter, cum sancto Thoma (2, 2, q. 189, a. 3, ad 3).

II. *Professio extinguit omnia vota prius emissa.* — Id pariter extra controversiam est apud doctores. Atque inter alia in probationem afferri solet caput *scriptura* (4, *de voto et voti redemptione*), in quo sic declaratur : « Reus fracti voti aliqua- « tenus non habetur, qui temporale obsequium in perpetuam « noscitur religionis observantiam commutare. »

III. *Professio aufert irregularitatem ex natalium defectu; sed tantummodo relative ad suscipiendos sacros ordines.* — Possunt nempe spurii, in aliqua religione professi, ad sacros ordines absque dispensatione promoveri. Non tamen possunt absque dispensatione Pontificia ad prælaturas vel dignitates ecclesiasticas evehi. Ita doctores communiter; et expresse id decernitur capite *ut filii* (1, *de filiis p.*), hoc modo : *In fornicatione nati ad sacros ordines non promoveantur, nisi aut monachi fiant.*

Digitized by Google

vel in congregatione canonica regulari viventes : prælationem vero nullatenus habeant. Cæteras autem irregularitates per professionem non auferri, est sententia communior (vide Ferraris, voce *professio*, n. 102).

IV. *Professio dirimit sponsalia et matrimonium ratum non consummatum.* — Constat, tum variis aliis textibus, tum præcipue Tridentino (canone 6 sessionis 24 *de matrimonio*), quo sic decernitur : « Si quis dixerit matrimonium ratum non « consummatum, per solemnem religionis professionem alte- « rius conjugum non dirimi, anathema sit. »

Effectum hunc non habet sacrorum ordinum susceptio : dirimit nempe solummodo sponsalia, non autem matrimonium ratum non consummatum ; prout definivit Joannes XXII, his verbis : « Licet votum solemnizatum per sacri susceptionem « ordinis, quantum ad impediendum contrahendum, ac diri- « mendum, si post contractum fuerit, sit efficax reputandum ; « ad dissolvendum tamen prius contractum, etiamsi per « carnis copulam non fuerit consummatum (cum nec jure « divino, nec per sacros canones reperiatur hoc statutum) « invalidum esse censendum. » (Extravag. *antiquæ*, *de voto et voti redemptione.*)

V. *Professio liberat professum a patria potestate.* — Esse hanc doctrinam a doctoribus communiter receptam, et omnino tenendam, vide apud Ferraris (voce *professio*, n. 106). Lex sæcularis quæ contrarium disponeret, pro nulla esset habenda ; unde parentes, qui ejusmodi sæculari lege innixi, filium aut filiam suam, post emissam professionem, e conventu extraherent, procul dubio graviter peccarent ; nec possent in tribunali pœnitentiæ absolvi, nisi a tali injustitia desisterent.

VI. *Quidquid acquirit religiosus post professionem, non sibi, sed monasterio acquirit ; modo tamen religio de iis sit quæ possunt possidere in communi.* — Id pariter est extra omnem controversiam positum. Cum autem dentur ordines religiosi (verbi gratia, Capuccini et Minores de observantia), qui neque etiam in communi possidere possunt, exurgit quæstio, ad quem perti-

Digitized by Google

neant et applicari debeant legata hisce religiosis aut conventibus facta? De quo sic breviter annotatur in causa *Brundusina*, 5 augusti 1719 (in *Thesauro resolut.*, tom. 1, pag. 223) :

« Quoad dispositiones factas favore fratrum Capuccinorum, « et Minorum strictioris observantiæ, et aliorum regularium « qui bona in communi possidere non possunt, privilegia « Reverendæ Fabricæ sibi vindicant locum ; et in eorum « sequelam, bona dicto modo relicta eidem Fabricæ appli- « cantur...

« Quoad redditus vero his iisdem fratribus relictos, adjecto « onere celebrationis missarum, in Congregatione habita tem- « pore Urbani VIII resolutum fuit, memoratos fratres esse « incapaces horum annuorum relictorum, uti habetur apud « Fagnanum, dictæ Congregationis secretarium (in cap. *nimis* « *prava*, n. 49 et 53, *de excessibus prælat.*)

« Procedentibus contrariis quoad eleemosynas manuales « missarum, quarum absque dubio fratres etiam qui bona in « communi possidere non possunt, sunt capaces ; uti adno- « tarunt Sanchez.., Barbosa.., Pignatellus.., Rota.. »

Nota. — Inter professionis effectus valde notabile est, per eam ita firmari bonorum abdicationem, ut professus etiamsi a sede Apostolica sæcularisationem obtineat, nullum tamen jus in bona hæc recuperet. De quo, pro rei gravitate, visum est sejunctim agendum sub sequenti capite.

CAPUT VII.

PER SÆCULARISATIONEM RELIGIOSI PROFESSI, NON ANNULLATUR ABDICATIO BONORUM PER EUM FACTA.

Quæstio hæc mota est in *Pisaurensi* 15 septembris 1804, relative ad quemdam professum, Schelinium nomine, qui a sede Apostolica facultatem impetraverat manendi in sæculo. Recuperare volebat bona, quibus ante votorum solemnium emissionem renuntiaverat, in favorem consanguineorum. Ejus

Digitized by Google

defensor allegabat factam fuisse renuntiationem *intuitu ingressus in religionem*. « Cum igitur, aiebat, ob egressum e reli-
« gione mutatus sit rerum status, censetur resoluta renuntia-
« tio, ut tenent Petra.., Rota... » Sed prorsus tenendum est per sæcularisationem non resolvi renuntiationem; ob rationes quæ in causæ relatione sic deducuntur (in *Thesauro resol.*, tom. 70, pag. 179, edit. Romæ 1805): « Schelinius bona sua
« omnia renuntiavit, non *intuitu ingressus in religionem*, sed *in-*
« *tuitu professionis religiosæ*... Porro renuntiationes ejusmodi
« fiunt intuitu religiosæ professionis, *substantiantur*, ut aiunt,
« ex subsecuta professione, ita ut irrevocabiles evadant; et
« renuntians habetur ac si esset omnino de medio sublatus,
« ut tradit Rota... Voto paupertatis adhuc obnoxius est Sche-
« linius, cum ex impetrata *secularisatione* vota non dissolvan-
« tur, sed in suo robore maneant, ut ex ipso indulto patet.
« Firmo vero remanente voto paupertatis, semper renuntians
« est incapax possidendi, licet claustra reliquerit, ut tradit
« Rota...

« Quæ vero in contrarium allegantur authoritates casum
« prorsus diversum tangunt : scilicet professi, qui ad episco-
« patum ascendit; quo casu solemne est inter omnes cano-
« nistas, quod usumfructum tantum eorum bonorum *quæ re-*
« *nuntiatariis acquisita non sunt*, ipse consequi valeat... Sed
« hæc transferri non possunt ad casum professi qui, non ob-
« stante secularisatione, semper incapax est possidendi, quod
« secus habetur in illo qui ad episcopatum ascendit. Quan-
« quam enim votis religiosis teneatur, attamen per assum-
« ptionem ad episcopatum capax fit ut bona possideat *nomine*
« *Ecclesiæ*. ut expresse de monachis ad episcopatum evectis
« sancitum est canone *statutum*, quæst. 1. »

CAPUT VIII.

DE RATIFICATIONE PROFESSIONIS INVALIDÆ.

PROPOSITIO I^a. — *Nulliter professus potest professionem suam*

Digitized by Google

validam reddere, eam ratificando expresse aut tacite, dummodo hic et nunc sit liber ab impedimentis professionem annullantibus. « Nulliter professus, inquit Reiffenstuel, potest professionem « suam tacite et expresse ratificare, nisi habeat perpetuum « impedimentum. Quod possit *expresse*, tenent omnes, et com- « muniter supponitur in jure. Quod etiam *tacite* possit, docent « Sanchez.., Layman.., Pirhing.., et communis aliorum. Ra- « tio est quia plus non requiritur ad professionem ratifican- « dam, quam ad eam primitus valide emittendam : atqui « professio primitus tacite fieri potest; ergo etiam *tacite* rati- « ficari poterit. » (Reiffenstuel, in titulum *de regularibus*, n. 213.) Ratificatio *tacita* eodem modo fit ac professio tacita, gestando nempe habitum, aut exercendo actum religiosis professis proprium. Dictum est in propositione, *dummodo sit liber ab omni impedimento :* quia si tempore quo professionem suam ratificat, adhuc adesset impedimentum annullans, nulla foret ratificatio, ut patet. Unde ratificationi non datur locus, nisi quando impedimentum, ex quo nullitas orta erat, jam sublatum est.

Propositio II^a^. — *Ut valide fiat ratificatio, non requiritur novus consensus ex parte eorum ad quos spectat novitios ad professionem admittere.* — Supponimus hic, sicut et in præcedenti propositione, professionis nullitatem aliunde provenire quam ex defectu potestatis in admittentibus. Casus enim, quo quis ad professionem admissus fuisset a superiore et capitulo illegitimis, num scilicet tunc ad validandam professionem necessarius sit consensus legitimi superioris et capituli, infra expenditur. Quo prænotato, probatur thesis,

1° Ex eo quod consensus, initio a superiore et aliis ad quod spectat præstitus, adhuc perseverare censendus sit. Ex hypothesi enim non fuit revocatus; ergo moraliter perseverat; ergo necesse non est ut denuo præstetur.

2° Ex eo quod matrimonium nullum ex defectu consensus unius partis, validum fiat si pars illa consensum præstet, nec opus sit ut altera pars consensum renovet. Etenim a matri-

Digitized by Google

monio carnali valet argumentum ad matrimonium spirituale seu professionem.

3° Ex capite 19 (sess. 25 *de regul.*) Tridentini concilii. Nam ibi decernit concilium, ne ullus post quinquennium contra professionis suæ valorem reclamare possit. Et ratio decreti fuit (ut sustinent unanimiter doctores) quia is qui per quinquennium non reclamavit, merito præsumitur professionem suam, saltem *tacite* ratificasse. Plerumque autem nullitatem professionis ignorant superiores donec fiat reclamatio; nec proinde consensum suum renovant quinquennii hujus tempore. Et nihilominus supponit Tridentina synodus, valide ratificari potuisse professionem. Ergo supponit eam valide ratificari posse absque novo superiorum consensu.

4° Ex sequenti declaratione 20 martii 1598 Sacræ Congregationis Concilii : *Sacra Congregatio Concilii censuit, quod professio expressa fuerit nulla : ex quo tamen post expletum annum probationis permansit in habitu regulari per duos vel tres annos, censeri tacitam fuisse professionem, et dici professum.* Ibi nulla mentio de novo superiorum consensu ; quem tamen non siluisset Sacra Congregatio, si necessarium ad tacitæ professionis valorem existimasset (vide hanc decisionem apud Reiffenstuel, in tit 32, libri 3 decret., n. 220.)

5° Ex clausula apponi solita in rescriptis, quibus conceditur restitutio in integrum, iis qui intra quinquennium reclamare omiserunt. Apponitur nempe restrictio hæc, *dummodo professionem tacite vel expresse non ratificaverit.* Conceduntur ejusmodi rescripta etiamsi superiores nunquam novum consensum quinquennii tempore præstiterint ; et tamen (ut patet ex clausula) supponit Apostolica sedes valide interea ratificari potuisse professionem.

6° Ex eo quod novus superiorum consensus, si forte necessarius foret, suppleri censendus esset a summo Pontifice, supremo religiosorum ordinum omnium superiore. Nam ex dictis supponit et vult sedes Apostolica valide ratificari posse professionem absque renovato superiorum consensu; ergo, si

Digitized by Google

forte ex natura rei necessaria sit illa consensus renovatio, illam præstat sedes Apostolica.

Rationes illas desumpsimus ex Reiffenstuel (in tit. 32 *de regularibus*, n. 217 et seq.). Concludit laudatus auctor, conclusionem hanc esse *in conscientia omnino tutam*.

Illam autem præcipue sustinet quoad casum, quo novitius ficte seu absque animo sese obligandi, vel ex metu gravi, nulliter professus est. Postea autem illam extendit ad alios etiam casus nullitatis, ex defectibus in professione provenientes; verbi gratia, ad casum quo professus annos 16 non compleverit, vel annum integrum novitiatus non peregerit, aut continuo anno integro in probatione non permanserit.

Cæterum lectorem monemus, sententiam hanc, etsi multo probabiliorem, et (ut mihi etiam videtur) in conscientia tutam, a multis doctoribus impugnari; ut proinde dici nequeat extra controversiam posita.

Corollarium. — Ergo qui vult professionem suam nulliter emissam ratificare, potest id facere secreto, id est, non monitis de hac nullitate superioribus suis. Cum enim, ex dictis, necesse non sit a superioribus consensum renovari, valebit ipsis insciis facta ratificatio.

Nihilominus in praxi consultius erit, si fieri valeat seclusо scandalo et gravi incommodo, superiorem de nullitate certiorem facere, et coram ipso acceptante ratificationem facere, adhibitis duobus testibus, qui in posterum (si opus sit) de hoc testari possint.

PROPOSITIO III^a^. — *Si quis ad professionem admissus fuerit a non habentibus potestatem, necesse est, pro valida ratificatione, intervenire consensum eorum qui legitime admittere valeant.* — Tunc enim dici nequit, sicut in superioribus casibus, perseverare consensum initio præstitum; quia consensus initio præstitus, ex hypothesi, fuit nullus; utpote datus ab iis qui non valebant ad professionem admittere. Unde omnino necesse est ut accedat legitimorum recipientium consensus; id est,

Digitized by Google

legitimi superioris, et legitimi etiam capituli, si ex constitutionibus ordinis requiratur capituli assensus.

Fuit autem casus hic decisus a S. Congregatione Concilii (in *Sicula*, 18 novembris 1719, in *Thesauro resol.*, tom. 1, p. 249, edit. Urbini 1739). In Sicilia nempe admissi fuerant ad professionem novitii Carmelitani a provinciali intruso, cum approbatione patrum vocalium, qui *fuerant admissi in familiam conventus novitiatus, ex ordine et mandato provincialis intrusi.* Die 11 junii 1718, rescripserat S. Congregatio : *Professiones esse ratificandas, cum novo consensu professorum, in manibus superioris legitimi ; et cum dispensatione quoad alia, quæ in constitutionibus præscribuntur ;... et quoad eos qui essent ad professionem admittendi, eadem S. Congregatio rescripsit, quod superior uteretur jure suo.* Quando, juxta hoc decretum, voluerunt nonnulli ex dictis nulliter professis in manibus superioris legitimi professionem ratificare, orta est quæstio, num necessaria foret *nova approbatio* vocalium. Hanc novam approbationem requirere nolebant ratificaturi, metuentes ne forte denegaretur. Propositum fuit S. Congregationi dubium hoc modo : 1° *An ratificatione professionis novus requiratur vocalium consensus in casu, et quatenus affirmative;* 2° *an sit consulendum Sanctissimo, ut dictorum vocalium consensum suppleat in casu.* Responsum est ad utrumque *affirmative.*

Propositio IV^a^. — *Non convalidatur professio nulliter emissa, per renovationem seu ratificationem votorum, quæ fit quotannis in quibusdam religionibus, ex præscripto regulæ, a sede Apostolica approbatæ.* Cum enim hæc renovatio seu ratificatio fiat *ex regula*, non est plene libera. Et ita pluries et constanter a Sacra Congregatione Concilii declaratum est. Verbi gratia, in *Lingoniensi* 12 aprilis et 30 decembris 1698, allata fuit a Sacra Congregatione ratio hæc : *Perchè essendo detta ratifica necessaria, è di regola, non può dirsi approvazione voluntaria* (vide apud Ferraris, voce *professio*, n. 109).

Propositio V^a^. — *Si forte in synodo diœcesana, vel a concilio provinciali præscriptum fuerit, ut regulares ante susceptionem*

Digitized by Google

sacrorum ordinum professionem suam ratificent, per hancce ratificationem non convalidabitur professio nulliter emissa. — Cum nimis frequenter contingeret ut regulares professionis suæ nullitatem prætenderent, in hujus mali remedium multis Episcopis, ac sancto etiam Carolo Mediolanensi Archiepiscopo, visum est, ut synodali statuto a regularibus, ad sacros ordines promovendis, exigeretur prævia professionis suæ ratificatio. Sed in concilio provinciali Romano, sub Gregorio XIII anno 1725 celebrato, haud approbata fuit ejusmodi præscriptio; utpote insufficiens ad sanandam emissæ professionis nullitatem. Et revera per ejusmodi ratificationem non convalidari professionem invalidam, adnotat Ferraris (voce *professio*, n, 108): « Quia, inquit, cum talis ratificatio professionis esset præcise « facta, ut imperata ad suscipiendos sacros ordines, non « esset voluntaria, sed necessaria et strangulatoria; adeoque « nullam haberet vim validandi invalidam professionem. » Atque id sequitur a fortiori ex dictis sub propositione præcedenti, de renovatione annua professionis ex regula.

PROPOSITIO VI^a^. — *An nulliter professus, sed nullitatem ignorans, professionem suam valide ratificasse censendus sit per subsecutos actus, professionis tacitæ inductivos, vehementer controversum fuit.*—Quæstio est de illo qui pleno consensu professionem suam emisit, sed nulliter ob impedimentum aliquod ab ipso ignoratum; verbi gratia, ex eo quod sexdecim annos nondum expleverit, quamvis expletos esse, tum ipse tum prælati religionis ex errore persuasum habuerint. Si post adeptam legitimam ætatem religiosus ille, dictæ nullitatis semper inscius, pergat habitum regularem deferre, et actus professis proprios exercere, an per tacitam ejusmodi professionem censendus sit priorem nulliter emissam valide ratificasse? « Variant doctores, » ait Ferraris (voce *professio*, n. 56).

Difficultatem facit, quod tunc gestatio habitus, aliive actus professis proprii, non fiant *cum intentione profitendi;* et absque hac intentione non videatur valere posse ulla professio. Casum dirimendum habuit Sacra Congregatio Concilii in famigera

Digitized by Google

causa *Mediolanensi* anni 1685. Quidam Olivetanæ congregationis monachus, ante expletos sexdecim annos professionem emiserat, ob erroneam attestationem parochi. Is nempe ex libro baptismatum transcribens annum nativitatis dicti monachi, pro 1663, scripserat 1662.

Monachus, detecta post plures annos professionis suæ nullitate, statim reclamavit, volens ad sæculum redire. Quoniam vero transactum erat quinquennium, pro faciendis ejusmodi reclamationibus a Tridentina synodo concessum, petivit restitutionem in integrum. Sacra Congregatio Concilii eam bis denegavit, validam existimans professionem *tacitam*, per gestationem habitus subsecutam. Postea recedendo a decisis, restitutionem in integrum concessit Concessionem confirmavit Innocentius XI, et causam eidem Sacræ Congregationis judicandam demandavit; quæ, die aprilis 1688, hanc edidit decisionem : *constare de nullitate* (1). Innocentius XI voluit iterum rem judicari, vocatis omnibus dictæ Sacræ Congregationis Cardinalibus : at nec pro nec contra pronuntiavit Sacra Congregatio. Tandem Alexander VIII, qui Innocentio XI successerat, jussit Sacram Congregationem Concilii *cum voto Rotæ* procedere. Et tunc duplici sententia conformi resolutum fuit, *constare de nullitate professionis;* atque ita fuit executioni mandatum.

Nihilominus pluries ab eadem Sacra Congregatione Concilii, quoad similes casus, resolutum est pro valore professionis tacitæ, non obstante ignorantia nullitatis professionis expressæ; prout testatur Cardinalis Petra (tomo ultimo, const. 9 Sixti IV, sectione unica, n. 17 et seq.). Fagnanus, qui per octo circiter paginas in-folio difficultatem expendit, de iis est qui tenent, valere posse subsecutam professionem tacitam, non obstante ignorantia nullitatis professionis expressæ. Ipse nempe existimat, pro singulis casibus inquirendum esse, an *verisimile sit*,

(1) Nempe de nullitate *professionis* etiam *tacitæ*, de qua præcipue dubium movebatur.

Digitized by Google

religiosum (eo tempore quo ponebat actus tacitæ professionis inductivos) perseveraturum fuisse in religione, si cognovisset professionis expressæ nullitatem. Si hoc ex variis circumstantiis verisimile sit, standum pro validitate professionis tacitæ : si verisimile contrarium, pro ipsius nullitate (in cap. *significatum, de regularibus,* n. 31).

Hæc retulimus, ut intelligat lector quam difficilis sit hujusce quæstionis solutio. Mihi non innotuit an recentiores emanatæ sint e Romanis tribunalibus decisiones, quæ omnino certam fecerint in dicto casu tacitæ professionis nullitatem. In hypothesi autem quod res adhuc controversiæ obnoxia foret, mihi potius valida in hoc casu videretur tacita professio. Nam hoc ipso quod religiosus professionis suæ expressæ nullitatem non suspicetur, consensum quem in ea emittenda præstiterat, non retraxit : ergo consensus ille tacite perseverare censendus est : ergo quando postea exercentur actus, professionis tacitæ inductivi, actus illi ponuntur, existente hic et nunc vero consensu seu vera intentione profitendi ; perseverante scilicet illa intentione valide profitendi, quæ initio habita est, et quæ non fuit retracta : ergo adsunt requisitæ omnes ad validam professionem tacitam conditiones : ergo, nisi constet talem professionem ab Ecclesia non acceptari ut validam, pro valida erit habenda : sed rejici ab Ecclesia tanquam insufficientem ejusmodi professionem nullatenus constat : ergo revera potius valere existimanda est. Neque obstat quod religiosus ita forte dispositus sit, ut, si sciret professionis suæ expressæ nullitatem, statim reclamaret, nec poneret actus professionis tacitæ inductivos : quamvis enim ita dispositus sit, consensum tamen revera non retrahit; atque id sufficit, ut perseveret ille consensus, et vere existat quando exercet actus professionem tacitam inducentes. Videtur autem opinio illa optime confirmari posse exemplo matrimoniorum quæ in *radice* sanari dicuntur. Quamvis nempe alterutra, vel etiam utraque pars ita disposita sit, ut matrimonium nullatenus jam vellet inire, si sciret illud fuisse nulliter contractum, quia ta-

Digitized by Google

men nullitatem non suspicatur, consensum in contrahendo præstitum non retrahit; perseveratque ille consensus : atque hoc sufficit, ut sublato per dispensationem Pontificiam impedimento, statim absque novo consensu validum esse incipiat matrimonium. Et notetur, non magis posse ab Ecclesia suppleri consensum in matrimonio, quam in professione. Unde si consensus initio præstitus, et dicto modo perseverans, de se insufficiens esset ad validam professionem, foret etiam insufficiens ad validandum matrimonium. Non tamen dicimus sufficere solam impedimenti cessationem cum perseverante dicto consensu : id quidem dici poterat ante Tridentinam synodum; et revera ita docuisse Innocentium IV, refert Fagnanus (in cap. *si quis, de regularibus*, n. 73) in hunc modum : « Sic docet expresse Innocentius (in cap. *consuluisti, de con-* « *versione conjug.*); ubi determinat, professionem nullam so- « lemnisari ab Ecclesia *in primo momento* temporis, quo sic « professus post sublatum impedimentum in religione perse- « veravit. » Sed cum Tridentina synodus (capite 15, sess. 25 *de regul.*) professionem ante annos sexdecim emissam, decreverit ita nullam fore, ut non posset per eam induci obligationem ad statum religiosum, videtur hoc ipso noluisse ut sufficeret consensus in ea præstitus cum sola impedimenti cessatione : et ideo hodie necessarium videtur ut subsequatur saltem professio tacita. Sed positis actibus professionis tacitæ inductivis, cum perseverante primitivo consensu, et post impedimenti sublationem, nihil videtur obstare quominus pro valide professo religiosus habeatur.

Nota. — Si vera foret opinio quam descripsimus, moderandum esset quod dicunt multi canonistæ de necessaria *intentione* ad valide ratificandam professionem expressam, per professionem tacitam. Dicunt nempe gestationem habitus, vel actuum professis propriorum exercitium, fieri debere *cum intentione ratificandi* priorem professionem nulliter emissam, ac proinde cum *cognitione* nullitatis ejusdem professionis. Juxta dictam opinionem, sufficeret intentio profitendi, quæ ini-

Digitized by Google

tio habita fuit et adhuc perseverat; et necesse non foret ut *cognosceretur* professionis expressæ nullitas, sed satis esset jam non existere impedimenta.

PROPOSITIO VII^a. — *Professio nulla ex non expleto anno probationis videtur non revalidari tacite ex permanentia in religione.* — Rationes quæ id probant desumemus ex causa *Pragensi* (4 julii 1739, *Thesaurus resol.*, tom. 9, pag. 107). Ibi nempe agitur de quadam Constantia, quæ annum probationis integrum non peregerat; et de ea sic adnotatur : « Arbitratur eadem « Constantia excludi quoque tacitam professionem... Sicuti « enim statutum in jure est solemnem et expressam profes- « sionem, quæ ante expletum novitiatus annum emittatur, in- « validam esse, nullamque inducere obligationem (ad præ- « scripta per Tridentinum, sessione 25, capite 15 *de regulari- « bus*, ibi : *Nec qui minore tempore quam per annum post susce- « ptum habitum in probatione steterit, ad professionem admitta- « tur. Professio autem antea facta sit nulla, nullamque inducat « obligationem ad alicujus regulæ vel religionis vel ordinis, aut ad « alios quoscunque effectus)*, ita multo minus tacita possit ex « quibusvis actibus induci professio, si integer non præcesserit « probationis annus; secundum ea quæ ad rem notant Fagna- « nus (in cap. *vidua*, n. 39, *de regularibus*), Azor.., Pelliza- « rius..; et consonant resolutiones Sacræ Congregationis in.., « et in.., »

CAPUT IX.

QUOMODO INTELLIGENDA SIT TRIDENTINA LEX CIRCA RELIGIOSOS PRÆTENDENTES PROFESSIONEM SUAM ESSE INVALIDAM?

Tridentini Patres (cap. 19, sess. 25 *de regularibus*) sanxerunt in hunc modum : *Quicunque regularis prætendat se per vim et metum ingressum esse religionem; aut etiam dicat, ante ætatem debitam professum fuisse, aut quid simile, velitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere sine licen-*

Digitized by Google

tia superiorum; non audiatur, nisi intra quinquennium tantum a die professionis, et tunc non aliter nisi causas, quas prætenderit, deduxerit coram superiore suo et Ordinario. Quod si antea habitum sponte dimiserit, nullatenus ad allegandum quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, et tanquam apostata puniatur; interim vero nullo privilegio suæ religionis juvetur.

De recte intelligendo Tridentino hoc decreto, plures magni momenti quæstiones moveri solent. Eæ nunc expendendæ. Cum vero aliæ difficultatem non faciant, aliæ vero controvertantur, priores duntaxat sub præsenti capite solvemus : cæteras autem ad capita sequentia sejunctim excutiendas rejiciemus.

QUÆSTIO I^a^. — *An jus reclamandi contra valorem professionis tam monialibus, quam viris religiosis competat?* —Respondendum affirmative; quia vox *quicunque* Tridentini decreti tam masculos quam feminas comprehendit; atque ita interpretandam vocem illam constat ex jure Justinianeo (lege 1, ff. *de verborum significatione*), quoad hoc in Ecclesia recepto. Neque ulla est de hoc apud doctores controversia. Id insuper omnino confirmat constans Romanæ curiæ praxis, quæ tanquam certum supponit moniales etiam sub Tridentino decreto comprehendi.

QUÆSTIO II^a^. — *An possit fieri reclamatio ob quamcunque causam?* — Respondendum affirmative. Quamvis enim Tridentina synodus tres duntaxat causas expresserit (nempe vim, metum et defectum ætatis) omnes tamen cæteras comprehendit, prout manifestum faciunt voces illæ decreti, *vel quid simile,* et *quacunque de causa.* Atque id etiam extra controversiam est apud doctores (vide Reiffenstuel, in tit. *de regularibus*, n. 195).

QUÆSTIO III^a^. — *An reclamare valeat, qui auctoritate propria dimisit habitum, vel cum habitu discessit absque superioris licentia?* — Regula generalis est, hujus reclamationem non posse a judicibus ordinariis audiri, nisi prius habitum reassumpserit et in monasterium redierit. Id aperte evincunt Tridentini

Digitized by Google

decreti verba. Hinc ejusmodi religiosis, qui e suis monasteriis proprio marte discedunt, et volunt admitti ad probandam professionis suæ nullitatem, rescribere solet Sacra Congregatio Concilii : *Reassumat habitum, redeat ad claustra, et postea supplicet* (vide apud Ferraris, voce *professio*, n. 67).

Excipiendum tamen ab hac generali regula religiosum, qui ex justa causa aufugeret (verbi gratia, ex eo quod a superioribus impediatur, ne querelam suam debito modo ad judices deferat), admittunt doctores communiter (vide Reiffenstuel, in tit. *de regularibus*, n. 196). Ratio hujus exceptionis est, quod Tridentina synodus censenda sit prohibere et punire voluisse *temerariam* duntaxat discessionem et habitus dimissionem, non autem eam quæ fit justa urgente causa.

QUÆSTIO IV^a^. — *Apud quos judices reclamare valeant regulares, qui nullam professionem suam prætendunt?* —Respondeo, judices quoad hoc a Tridentina synodo constitutos fuisse, simul et copulative, superiorem regularem et Episcopum loci ordinarium; prout satis patet ex ipsismet decreti verbis. Qua autem forma illi judices in expediendis hujusmodi causis procedere debeant, vide infra, capite 10.

QUÆSTIO V^a^. — *An possit fieri reclamatio, etiam post elapsum quinquennium?* — 1° Certum est, elapso quinquennio, jam non posse audiri reclamationem *via ordinaria;* quod manifestum faciunt hæc decreti verba, *nisi intra quinquennium a die professionis.* Unde post dictum terminum jam nequeunt Episcopus et superior regularis ejusmodi reclamationes propria auctoritate admittere et judicare; et nullitate tunc laborarent omnia ab ipsis hac in re acta. 2° Adhuc tamen fieri potest reclamatio post quinquennium per *viam extraordinariam;* id est, obtinendo a sede Apostolica restitutionem in integrum. Invaluit nempe praxis ut, elapso quinquennio, Sacra Congregatio, sedis Apostolicæ auctoritate et nomine, facultatem faceret religioso reclamationem suam proponendi, et judicibus ordinariis (id est, Episcopo loci et superiori regulari) causam judicandi, perinde ac si nondum elapsum fuisset quinquen-

Digitized by Google

nium. Atque praxim illam in jus commune firmavit Benedictus XIV. De quo, et qua forma in hoc casu procedendum sit, vide infra, capite 10.

Hactenus quæstiones quæ difficultatem non faciunt. Moventur autem circa sensum præfati Tridentini decreti, nonnullæ aliæ valde intricatæ : de his sub sequentibus capitibus.

CAPUT X.

AN ILLE QUI SCIT PROFESSIONEM SUAM ESSE INVALIDAM, SED NEQUIT ILLUD PROBARE, LICITE VALEAT AD SÆCULUM REDIRE ET MATRIMONIUM CONTRAHERE?

Certum est duplicem existere hac de re sententiam ; atque item certum est sententiam affirmativam esse communiorem : quæ duo ex dicendis patebunt. Exponemus autem primo sententiam affirmantem cum fundamentis suis : tum negantem cum suis item argumentis præcipuis : tandem nonnihil et nos pro modulo nostro adnotabimus.

§ I.

Sententia affirmans.

I. *Exponitur quid sententia hæc teneat.* — Sic habet Reiffenstuel (in titulum *de regularibus*, n. 205 et seq.) : « Quid fa-
« ciendum nulliter professo, qui coram Deo et in conscientia
« saltem certo scit, quod ejus professio sit nulla, eo quod,
« verbi gratia, tantum ficte ac sine animo sese obligandi eam
« emiserit, vel gravi metu injuste incusso professus sit, vel
« aliud essentiale requisitum (verbi gratia, legitimam ætatem)
« non habuerit, etc.; et tamen in foro externo id probare
« non potest; vel ultra quinquennium nullitatem ignorans,
« primum post lapsum quinquennii illam cognoscit; aut ea
« prius cognita, usque ad lapsum quinquennii impedimentum

Digitized by Google

« reclamàndi patitur? Respondeo 1°: Si talis religionem saluti « suæ proficuam existimat, in eaque manere vult, res diffi- « cultate caret : solum enim opus est ut professionem ratifi- « cet. Respondeo 2° : Si nulliter professus cognoscit religionem « sibi minus convenientem, aut nimis difficilem, vel ex alia « ratione manere non vult, nec hactenus professionem suam « ratificavit, *non tenetur ratificare professionem, nec manere in « religione, sed potest tuta conscientia in occulto discedere, ac « etiam nubere, dummodo sine gravi scandalo, aut alio majori « incommodo ac præjudicio abire possit.* Sanchez.., Layman.., « Navarrus.., Pirhing. , Hyacintus Denatus.., *et communis « aliorum.* »

Juxta eamdem sententiam affirmantem, potest superior in in hoc casu religiosum occulte dimittere, si credat ejus professionem revera fuisse nullam, et hoc fieri possit absque scandalo (Reiffenstuel, ibid. n. 207). Imo religiosus ipse in hoc casu, si nolit professionem suam ratificare, *tenetur* (quamprimum absque scandalo fieri poterit) e conventu aufugere; ne scilicet remanendo, et alimenta indebite recipiendo, reus injustitiæ erga monasterium evadat (ibidem a num. 208 usque ad 212.)

Fagnanus, qui sententiam illam, tanquam aperte falsam, vehementer impugnat, de scriptoribus qui eam sustinent sic adnotat (in caput *si quis, de regularibus*, n. 78 usque ad 81) : « Respondetur Navarri opinionem nec ratione ulla, nec au- « ctoritate fulciri. Neque enim est bona illatio : *Aliquis est in- « valide professus quoad Deum, qui omnia novit; ergo potest « redire ad sæculum in foro conscientiæ, propria auctoritate.* Et « mirum est virum, alioquin doctum et pium, tam facile ape- « ruisse regularibus viam excundi e religione absque licentia, « sub prætextu quod in conscientia non sint professi... Porro « Navarri auctoritas nonnullis, qui post eum scripserunt, « majoris erroris causam præbuit. Nam Sanchez (*de matrimo- « nio,* l. 7, *de imped.*, disput. 37, n. 9), non solum ait conci- « lium, in dicto capite 19, inniti præsumptioni tacitæ ratifica-

Digitized by Google

« tionis per quinquennium inductæ, et ideo qui vere non « ratificavit, non teneri in foro conscientiæ in religione per- « severare, nec ad id obligari potuisse a concilio; verum « etiam affirmat credentem se esse nulliter professum, etiam « elapso quinquennio posse, dimisso habitu, tuta conscientia « fugere a religione... Amplius, n. 10 et 23, asserit, ad hoc « ut nulliter professus censeatur ratificare suam professio- « nem, necessario expectandum esse lapsum quinquennii; « nec ad id sufficere actus professorum, etiamsi sciat profes- « sionem expressam fuisse nullam; existimans professionem « tacitam non induci per actus professorum, quando præcessit « professio expressa irrita : contra textum apertum in cap. 1 « (ibi : *vel si quam prius fecerat, ratam habuisse videtur;* atque « ibi omnes) *de regularibus*, in 6. Quam tacitam professionem « Tridentinum concilium non sustulit, ut sæpius Sacra Con- « gregatio declaravit. Idem, n. 11, constanter affirmat nulli- « ter professum, etiam elapso quinquennio, licet sciverit suam « professionem fuisse nullam, tamen si eam non ratificavit, « posse cessante scandalo (etiam omissa reclamatione, et non « deductis coram Ordinario) fugam arripere et uxorem du- « cere, et non teneri redire ad monasterium, nec esse apo- « statam; nulla habita ratione saltem voti continentiæ, quod « inest professioni etiam nullæ, juxta textum in capite *quidam* « *(de conversione conjugatorum)*, ubi sic docent Innocentius, ac « cæteri canonistæ. Quinimo, n. 13, tradit prælatum regu- « larem posse etiam elapso quinquennio nulliter professum « occulte dimittere, si constet sibi de veritate non ratificatæ « professionis; dicens non obstare concilium, quia solum præ- « cipit superiori, ne audiat *in foro externo;* quæ tamen verba *in* « *foro externo*, nec usquam in eo decreto reperiuntur, nec tacite « subintelliguntur... Et, n. 32, in 4 quæs., contra declaratio- « nem Sanctissimi D. N. Urbani et Sacræ Congregationis, ait « dictum caput 19 non comprehendere habentes perpetuum « impedimentum : imo, n. 34, nec habentes impedimentum « temporale, si illud duraverit toto quinquennio; quod est

Digitized by Google

« contra expressam declarationem Gregorii XIII. Et, n. 9, ge-
« neraliter affirmat dictum caput 19 sessionis 25 *de regulari-*
« *bus*, non obligare in foro conscientiæ; quia, inquit, in eo
« decreto nullum verbum reperitur, quod forum conscientiæ
« respiciat : quasi sacri canones et generalium conciliorum
« decreta, ad obligandum in foro conscientiæ, necesse ha-
« beant illius fori expressam mentionem facere. Quid plura?
« Idem Sanchez, in eadem disputatione 37, n. 38, affirmat
« nulliter professum, qui elapso quinquennio non fugit a reli-
« gione, peccare mortaliter, ingerendo se actibus professo-
« rum, et recipiendo alimenta a monasterio. »

II. *Sententiæ affirmantis rationes.* — 1° Vita religiosa est opus consilii; ergo nemo potest ad eam cogi invitus; ergo quandiu non emissa est professio valida, manet libertas ad sæculum redeundi : sed in præsenti casu, vere et coram Deo non adest professio valida, quantumvis in foro externo valida præsumatur : ergo sciens professionem suam esse invalidam, etsi nequeat id probare, licite potest ad sæculum redire et nubere.

2° Si quid obstaret ne talis religiosus posset ad sæculum redire et nubere, esset decretum Tridentinum (cap. 19, sess. 25 *de regularibus*), prohibens sub pœnis in apostatas latis, ne quis ad sæculum redeat sub pretextu professionis invalidæ, nisi coram Ordinario et superiore religionis probaverit prætensam nullitatem; et statuens insuper ne quis elapso quinquennio ad illam nullitatem probandam admittatur. Atqui Tridentinum illud decretum non obstat : nam Tridentina synodus id non decernit in hypothesi quod invalida fuerit professio; quia in hac hypothesi non potest Ecclesia quemquam ad religionem cogere : sed id decernitur duntaxat, quia professio quæ nequit intra quinquennium probari invalida, merito *præsumitur* fuisse valida; et elapso quinquennio merito *præsumitur* ratificata, etiamsi fuisset invalida. At vero in foro conscientiæ præsumptiones juris cedunt veritati; ergo revera si quis certo sciat professionem suam fuisse et remansisse invalidam,

Digitized by Google

quamvis intra quinquennium id probare nequeat, vel etiam quamvis elapsum fuerit quinquennium, poterit in conscientia redire ad sæculum et nubere.

3° Si nulliter professus teneretur remanere in religione, teneretur ad peragendum aliquid injustum; nempe, ad recipienda alimenta, quæ ipsi non debentur, cum non sit neque novitius, neque professus : ergo nedum teneatur in religione remanere, tenetur non remanere.

4° Ex capite *litteras (de restitutione spoliatorum)*, et capite *inquisitioni (de sententia excomm.)*, certum est mulierem, quæ scit nullum esse suum matrimonium ob impedimentum occultum, quamvis id non possit probare, nequaquam teneri ad adhærendum viro suo, licet Ecclesia hoc ei præcipiat sub pœna excommunicationis. Imo ad contrarium eam teneri decernitur his verbis : *Debet potius excommunicationis sententiam humiliter sustinere, quam per carnale commercium peccatum operari mortale.* Ergo similiter, qui scit professionem suam esse invalidam, non tenebitur in religione remanere, quamvis Tridentinum decretum id ei præcipiat, sub pœnis in apostatas latis.

Solet etiam in defensionem sententiæ affirmantis adduci dictum sancti Bernardi, *vota mea nullus augeat sine voluntate mea.* Et tandem fulcitur sententia hæc magno doctorum ei adhærentium numero.

§ II.

Sententia negans.

« Sed his non obstantibus, inquit Fagnanus, in contrarium « est veritas. » (In cap. *si quis, de regul.*, n. 37.) Cujus auctoris præcipua fundamenta hæc sunt.

1° Leges humanæ, modo justæ sint, vim habent in foro etiam conscientiæ obligandi : sed impium foret in quæstionem vocare num decreta Tridentina justa sint : ergo decreta

Digitized by Google

illa certo in conscientia obligant : porro Tridentina synodus expresse disponit, ut in religione manere teneatur religiosus post elapsum quinquennium, quamtumvis prætendat nullam fuisse professionem suam ; et idem disponit quoad religiosum, qui intra quinquennium non potuit nullitatem probare : ergo revera tenetur tunc religiosus ex conscientia manere in religione, quamtumvis sciat professionem suam esse invalidam.

2° Id præcipit Tridentina synodus sub pœnis in apostatas ; ac proinde sub excommunicatione : sed excommunicatio non fertur nisi contra peccatum mortale : ergo existimavit Tridentina synodus peccatum mortale fore, si religiosus decretum illud violaret.

3° Finis hujusce legis Tridentinæ fuit, ut tollerentur dissidia, quæ religiones perturbabant, contendentibus frequenter religiosis, invalidam fuisse professionem suam, et sub hoc prætextu, habitu dimisso, fugientibus. Hisce dissidiis et scandalis voluit Tridentina synodus decreto suo terminum præfigere. Porro si vera foret sententia affirmans, absone Tridentini Patres decretum hoc sanxissent. Nam « hunc finem impediunt « ac prorsus destruunt nulliter professi, qui propria auctori- « tate, et, non servata a concilio præscripta forma, habitum « dimittunt, etiam elapso quinquennio. Ad quid enim pro- « fuisset lex concilii in præfixione hujus termini, si unicuique, « ex causa nullitatis suæ professionis, liceret tuta conscientia « quandocunque, ac nulla forma servata redire ad sæculum? « Ergo sic exeuntes peccant mortaliter. » (Fagnanus, in cap. *si quis*, *de regul.*, n. 41.)

4° Quando professio nulla est ex alio capite quam ex defectu consensus, certum est vota emissa valere saltem ut simplicia (1). Ergo religiosi qui sic nulliter professionem emisissent, ex voto saltem simplici tenerentur ad observantias regulares, nec possent absque ingenti facinore et sacrilegio matri-

(1) Id probatur infra.

Digitized by Google

monium contrahere. Ex quo patet falsitas sententiæ, quæ eis liberum facit ad sæculum redire et nubere.

5° « Sacri canones potuerunt nulliter professum obligare « etiam in foro conscientiæ ad ingrediendam aliquam ex re- « ligionibus approbatis, atque in ea perpetuo perseveran- « dum, quæ dicitur *obligatio ad religionem in genere* (capite « *non solum*, et capite *constitutionem*, *de regularibus*, in 6). « Ergo potuerunt etiam in foro conscientiæ obligare nulliter « professum ad perseverandum in aliqua religione in specie... « Et consequenter etiam decretum concilii (capite 19, sess. 25, « *de reg.)*, potuit obligare, etiam in foro poli, invalide pro- « fessos ad perseverandum in religione elapso quinquennio. » (Fagnanus, in cap. *si quis*, *de regul.*, n. 43.) Plures alias rationes adducit ibidem citatus auctor; et ad objectiones et argumenta contrariæ sententiæ fuse respondet.

§ III.

Adnotantur nonnulla quæ veram esse Fagnani sententiam vehementer suadent.

PROPOSITIO I^a^. — *Potest quis ad remanendum in religione obligari aliter quam ex vi professionis suæ.* — 1° Si nulliter professus nequeat ad sæculum redire *absque gravi scandalo*, tenebitur in religione remanere : id concedunt oppositæ etiam sententiæ patroni ; et non negant dari posse casum hunc, præsertim quando nulliter professus non potuit nullitatem probare. Ergo tunc aderit vera obligatio remanendi in religione, aliunde proveniens quam ex professione valida. Oritur nempe tunc obligatio hæc ex principio omnino certo, quod teneatur homo actus alias sibi licitos omittere, quando illos nequit absque scandalo exercere. 2° Si nequeat nulliter professus ad sæculum redire absque *gravi detrimento* religiosorum ordinum et Ecclesiæ, tenebitur pariter in religione remanere. Sequeretur autem illud grave detrimentum, si nulliter professis, qui nequeunt nullitatem probare, liceret ad

Digitized by Google

sæculum redire, prout infra ostendemus. Porro in hoc etiam casu obligatio remanendi in religione aliunde oritur quam ex valida professione : oritur nempe ex hoc principio certissimo, quod teneatur homo actus alias sibi licitos omittere, si nequeat eos exercere absque gravi detrimento, præsertim religiones et Ecclesiam ipsam afficiente. 3° Si Ecclesia nulliter professis, vel etiam aliis, injungat in pœnitentiam alicujus delicti, ut in monasterio degant et regularibus observantiis subjiciantur, tenebuntur et ii manere in religione : dubium enim non est quin Ecclesia possit, sicut aliis pœnis, ita et hac in delicta animadvertere, dummodo ea sit delicti gravitas quæ pœnam hanc mereatur. Et tunc pariter obligatio manendi in religione aliunde repetenda erit quam ex professione valida. Orietur nempe ex justo Ecclesiæ decreto. Ergo revera potest quis ad remanendum in religione obligari aliter quam ex vi professionis suæ religiosæ.

PROPOSITIO II^a. — *Justum est Tridentinum decretum, etiam quatenus obligans in conscientia nulliter professos ad remanendum in religione, sive quando non possunt nullitatem probare, sive quando eam intra quinquennium non probarunt.* — Et 1° quidem si de iis agatur qui intra quinquennium reclamant, et nullitatem probare non possunt, difficile continget eos fugam arripere absque gravi scandalo, non pharisæorum tantum, sed et pusillorum : cum enim tunc præsumptio stet pro valore professionis, plerumque, ne dicam semper, pro viro perdito fugitivus ille habebitur. Quæ publica existimatio in quantum cedat religionis dedecus et fidei etiam detrimentum, ob ipsammet derelictæ conditionis sanctitatem ac sublimitatem, nemo non videt. Sed, dato non concesso, vitari aliquando posse istiusmodi scandalum, semper verum remanebit, summum sequi religionum et Ecclesiæ damnum, si possint nulliter professi, quamvis nullitatem probare non valentes, ad sæculum redire, et matrimonium contrahere. Aperta enim hac janua, ea uti volent etiam alii, qui nequaquam certo scient invalidam fuisse professionem suam, sed qui tentatione victi

Digitized by Google

causam eamdem mentientur, et in ruinam suam præcipites ruent. Hoc, inquam, religionum et Ecclesiæ damnum, inhæret ipsimet principio, quod tuta conscientia aufugere et nubere valeant nulliter professi, quamvis nullitatem probare non potuerint; quia semel admissa ejusmodi doctrina, præ foribus stat ingens illud detrimentum. Jam vero extra controversiam est, teneri quemque ad omittenda quæ ipsi alias licita forent, si nequeat ea peragere absque gravi aliorum detrimento, præsertim generali, et religiosos ordines atque Ecclesiam ipsam afficiente. Ergo nulliter professi de quibus agitur, tenebuntur, non quidem vi professionis suæ (cum ex hypothesi revera irrita fuerit), sed ad vitandum grave illud damnum, abstinere a matrimonio, et in religione remanere. Ergo si fugiant et nubant, gravis peccati rei sunt. Ergo juste potuit concilium Tridentinum id eis prohibere, sub pœnis in apostatas latis.

2° Si agatur de iis qui per quinquennium non reclamarunt, adhuc justum est Tridentinum decretum, quamvis in conscientia obligans. Equidem sancivit eos, elapso quinquennio, non fore audiendos, quamvis præsto sibi esse nullitatis probationes dicerent : sed dispositio hæc intelligenda est de reclamationibus per *viam ordinariam*. Non autem prohibuit synodus ne audiri adhuc possent per *viam extraordinariam*, id est obtinendo a sede Apostolica restitutionem in integrum. Et revera quoties allegant alicujus momenti probationes, non eis restitutio in integrum denegatur. Unde tamen nec ipsi jubentur in religione remanere, nisi quando in probanda professionis suæ nullitate defecerunt. Ergo de ipsis idem dicendum est ac de prioribus.

3° Casus autem in quo rigidior videri potest Tridentina illa dispositio, est illius qui ex metu professionem nulliter emisisset, et eadem de causa per quinquennium non reclamasset. Sed, ut diximus, ipsi patet adhuc via restitutionis in integrum. Unde si metum probare possit, liber dimittetur. Si vero in probando defecerit, erit in casu eorum qui a licitis

Digitized by Google

abstinere tenentur, ad vitandum scandalum vel grave aliorum damnum. In quo debebit peculiare divinæ providentiæ consilium agnoscere et adorare ; nec ipsi deerit abundans gratiæ Dei auxilium, ut tali vocationi fideliter satisfaciat. Quoad cæteros, qui vel ficte (absque vi aut metu) professi sunt, vel cum pleno consensu, nulliter tamen ob aliud impedimentum, haud adeo grave videri debet, quod ex ratione vitandi scandali et præfati generalis detrimenti, ad perseverandum adigantur.

PROPOSITIO III^a^. — *Contrariæ sententiæ præcipuum argumentum falsa nititur hypothesi.* — Supponitur nempe, non posse adstringi hominem ad vitam religiosam, nisi ex professione valida. Hoc autem omnino falsum est : potest siquidem adstringi ad perseverandum in religione ex ratione vitandi gravis religionum et Ecclesiæ detrimenti. Sed, inquis, talis non erit religiosus, utpote nunquam valide professus. — Hoc plane conceditur. Utique non erit religiosus, id est professus, sed tenebitur ad ea omnia ad quæ religiosi tenentur. — Ast alimenta non poterit legitime recipere, cum nonnisi novitiis et professis debeantur. — Ecclesia quæ supremam habet bonorum monasterii dispositionem, hoc ipso quod velit eum manere in monasterio, simul ipsi dat jus ad alimenta. Imo et cætera omnia aliorum religiosorum jura et privilegia ei hoc ipso Ecclesia impertitur.

PROPOSITIO IV^a^. — *Legis ecclesiasticæ obligatio restringenda non est ad forum externum, nisi in casu quo injusta foret, si obligaret etiam in conscientia.* — Etenim per se, et nisi de contraria legislatoris mente constet, leges humanæ in conscientia obligant. Nec censuram evaderet propositio qua generaliter diceretur, leges ecclesiasticas in foro externo obligare, non autem in conscientia. Ab hoc autem generali principio, quod leges humanæ conscientiam ligent, excipitur casus quo lex injusta foret. Et ratio exceptionis est quia tunc legislator potestatem suam excedit. Contingere autem potest ut aliqua lex, quæ foret injusta si ad conscientiam extenderetur, in-

Digitized by Google

justa non sit quatenus pro foro externo tantum lata. Sit in exemplum lex quæ sub excommunicationis pœna præciperet mulieri, ut viro suo adhæreret, quamvis ipsa certo sciret adesse impedimentum dirimens, quod probari nequit : ejusmodi præceptum, quatenus forum externum respiciens, æquum omnino est; quia, cum de occultis Ecclesia judicare non possit, merito in hoc casu præcipit, ut externe judicetur, perinde ac si nullum impedimentum existeret. At vero idem præceptum, quatenus obligans in conscientia, injustum foret. Cogeret enim mulierem illam ad patrandam fornicationem, cum ex hypothesi nullum sit matrimonium. Ergo in hoc casu facile constat præceptum illud adhærendi viro suo mulierem hanc non attingere, nisi quoad forum externum. Et quoties similiter constabit aliquam legem injustam fore, si ad conscientiam extendatur, merito concludetur eam pro externo duntaxat foro fuisse latam.

At vero si lex, etiam quoad conscientiam intellecta, nihil mali, nihil injusti involvat, absone valor ejus ad forum externum restringeretur. Quia tunc restrictionis hujus nulla ratio est; et urget principium generale, quod leges humanæ in conscientia obligent, nisi de ipsarum injustitia, aut contraria legislatoris mente constet.

PROPOSITIO V^a. — *Ex præcedenti conclusione sequitur corruere aliud præcipuum sententiæ contrariæ argumentum.* — Hujus sententiæ patroni tanquam invictum argumentum allegare solent supra citatum exemplum mulieris, quæ jubetur, etiam sub excommunicationis pœna, adhærere viro suo, stante nullitate matrimonii, quam probare nequit. Certum est non teneri mulierem hanc illi præcepto obedire ; imo teneri ad non obediendum, id est ad denegandum debitum, et ad tolerandam humiliter excommunicationem. Ergo a pari, inquiunt, decretum Tridentinum, præcipiens nulliter professis, nullitatem probare non valentibus, ut maneant in religione, censendum est pro foro tantum externo latum.

Negatur omnino paritas : nam in priori casu constat legem

Digitized by Google

injustam fore, si ad conscientiam extenderetur. At vero in posteriori casu, præceptum, etiam quatenus conscientiam attingens, nihil pravi, nihil injusti involvit. Quod enim quis, licet invalide professus, in monasterio remaneat, et regularibus observantiis sese subjiciat, nequaquam pravum est, sed e contra opus de se valde perfectum et summæ utilitatis. Ergo in posteriori casu applicanda venit præcedens conclusio, quod nempe tunc præceptum in conscientia obligare censendum sit. Ergo paritas hæc, quæ multis fucum fecit, nullius momenti est.

Scholium. — Perpensis utriusque sententiæ momentis, fateor me ad Fagnani opinionem vehementer impelli. Attamen communior est opposita : imo simpliciter *communem* eam multi vocant. Quapropter nihil absolute concludendum duxi.

CAPUT XI.

AN PROFESSIO NULLITER EMISSA OBLIGET QUANDOQUE AD REMANENDUM IN RELIGIONE, ET VALEAT SALTEM TANQUAM VOTUM SIMPLEX?

Certum est Tridentinam synodum, annullando professionem, ante expletos sexdecim annos aut nondum finito probationis tempore emissam, simul decernere, ut professio sic nulliter facta *nullam inducat obligationem ad quoscunque effectus* (cap. 15, sess. 25, *de regularibus*). Item Clemens VIII, professiones quæ fiunt extra conventus designatos, *nullas et irritas esse ad quemcunque effectum* decernit et declarat (in decreto *Sanctissimus*, 20 junii 1599). An autem ex istis formulis sequatur, per professiones nulliter emissas nunquam induci votorum simplicium obligationem, nunc expendendum est. De quo sit

PROPOSITIO I^a. — *Professio nulla ex defectu consensus, seu ficte emissa, per se neque ad remanendum in religione obligat, neque vim voti simplicis castitatis inducit : si tamen ita professus fictionem probare nequeat, ipsi non licet e religione egredi et ad*

Digitized by Google

sæculum redire. — Nam ficte profitens, nullum votum emittit; proinde ex vi voti ad nihil tenetur. Aliunde tamen, ob scandala et animarum detrimenta quæ contingerent, si posset quis, fictionem in professione asserendo, ad sæculum redire, censenda est Ecclesia permanentiam in religione præcipere, donec fictio probetur; prout et permanentiam in matrimonio præcipit ei qui defectum consensus probare nequit. Utramque autem propositionis partem veram ostendunt verba hæc, e *Thesauro resolutionum* (in *Astenci,* 28 februarii 1743, tomo 9, pag. 24, edit. Romæ 1743) desumpta:

« Licet religiosus qui simulato animo professionem emisit, « illius vinculo minime obstringatur, juxta expressos textus « (in canone *præsens*, 20, q. 3; in canone *quod interrogasti*, « distinct. 27; in capite *vidua*, *de regularibus*), et tradunt ibi « communiter canonistæ; nequit ille tamen e religione egredi, « ac pristinam obtinere libertatem, nisi assertam fictionem « et simulationem probationibus undequaque urgentibus « ostendat, eamque etiam doceat ex justa ac honesta causa « processisse, secundum ea quæ in terminis notant Turrecre- « mata..; Fagnanus..; Passerinus..; Pitonius...; et magistra- « liter Rota, coram Molines, decisione 798, n. 16, tom. 3, « partis 2. »

Objicies. — Auctores non pauci posteriorem propositionis partem admittunt duntaxat cum hac limitatione, *nisi aufugere possit absque scandalo.* Secluso enim scandalo, ei qui certo scit nullam fuisse professionem suam licitum existimant clam aufugere, imo et nubere. De quo sic apud Ferraris (verbo *professio*, n. 81): « Nulliter professus certo sciens coram Deo et « in conscientia ex aliquo essentiale defectu suam profes- « sionem esse nullam, si nolit eam ratificare, potest tuta « conscientia in occulto discedere, ac etiam nubere; dum- « modo tamen sine gravi scandalo, aut alio majori incommodo « aut præjudicio abire possit (Navarrus, Layman, Donatus, « Pirhing, Reiffenstuel). Si autem nulliter professus absque « scandalo aut alio majori incommodo, vel gravi præjudicio

Digitized by Google

« religionis occulte discedere nequeat, nec in foro externo « possit probare certam nullitatem suæ professionis, debet « manere in religione donec commoda occasio sine scandalo « occulte fugiendi se offerat; et interim, absente scandali « periculo, non tenetur ad vota et regulam ordinis. »

Respondeo 1°. — Opinio hæc, in quantum extenderetur, non tantum ad professiones nullas de jure naturali, id est, ex defectu consensus in vovendo, sed ad alias etiam ex jure ecclesiastico irritas, mihi omnino falsa et deserenda videtur; quia, ut ex subjiciendis auctoritatibus patebit, certum est dari posse professiones nullas, quæ profitentem *voto simplici* castitatis obstrictum relinquant. Sed cum Ferraris loquatur de professione nulla *ex aliquo* ESSENTIALI *defectu*, bene ipsius verba interpretari possunt de sola professione nulla ex defectu consensus, id est, ex eo quod profitens ficte, vel absque libertate voverit.

Respondeo 2°. — Etiam sic restricta opinio vera non videtur. Etenim ratione boni publici potest Ecclesia eum qui ficte aut absque libertate professus est, obligare ad remanendum in religione, ita ut, vi legis ecclesiasticæ, eodem modo sit obstrictus, ac si validam emisisset professionem. Atqui revera ita velle et præcipere Ecclesia censenda est, casu quo nulliter professus nequeat consensus defectum probare; quia id postulat generale religionum totiusque christianitatis bonum. Et confirmatur exemplo matrimonii ex defectu consensus nulliter contracti. Ob generale societatis christianæ bonum, pars quæ defuisse consensum prætendit, nisi id probare valeat, cogitur in matrimonio remanere. Unde qui ficte professus est, atque id probare non potest, non quidem vi voti, sed ex lege Ecclesiæ religioni obstrictus remanebit.

Quod autem Ecclesia revera obliget in conscientia ad remanendum in religione, tum eos qui defectum consensus probare nequeunt, tum etiam eos qui probare nequeunt *ex honesta causa* consensum defuisse, constat ex variis ipsius decretis et agendi ratione. Quod palam facit Fagnanus (in cap. *si quis*,

Digitized by Google

de regularibus, n. 47), in hunc modum : « Adducitur textus « in capite *quod interrogasti* (27 dist.), ubi femina, quæ post « obitum mariti, suscepto velamine, finxit se sanctimonialem « esse, et postea ad nuptias rediit, Nicolaus Papa injungit ut « revertatur ad id quod spopondit, et in sacro ministerio « permaneat quod inchoavit. Concordat textus capitis 2, 27, « q. 1, ubi Gregorius idem rescribit de virginibus, quæ simu- « laverant semper in proposito permanere. Professio enim « dictarum mulierum nulla fuit in foro conscientiæ, cum « fictio sit contraria veritati... Et propterea cum superio- « ribus annis quidam emisisset professionem in quodam mona- « sterio, non animo se obligandi religioni, sed eo tantum fine, « ut habitu regulari indutus facilius posset suum inimicum « interficere, Sacra Congregatio declaravit eumdem *teneri* in « monasterio perpetuo perseverare, ac regulariter vivere. « Ergo si Ecclesia potuit obligare prædictos ad perseveran- « dum in religione et regulam observandam, non obstante « quod allegarent nullitatem professionis ex defectu con- « sensus, multo magis concilium (Tridentinum) potest, elapso « quinquennio, ad id obligare professos in conventibus non « designatis, qui defectum consensus non allegant. »

Propositio IIa — *Professio nulla, ex eo quod facta sit in conventibus non designatis, vel ex eo quod facta sit ante completum probationis annum, valet tanquam votum simplex.* — Id declaravit S. Congregatio Concilii, prout testatur Fagnanus (in cap. *si quis, de regularibus*, n. 46), in hunc modum : « Decretum « Clementis VIII, quamvis decernat nullas esse ad *quemcun- « que effectum* receptiones ad habitum et professiones emissas « in monasteriis non designatis ad recipiendos novitios, tamen « per ea verba non sustulit obligationem quæ ex voto profi- « ciscitur...: quemadmodum decretum Concilii (capite 15 « sessionis 25, *de regularibus*), quamvis utatur verbis multo « magis urgentibus, decernendo irritas professiones ante « annum 16, et non expleto anno probationis emissas, ad- « dendo, ut *nullam inducant obligationem ad alicujus regulæ*

Digitized by Google

« *vel religionis vel ordinis observationem, aut ad alios quos-*
« *cunque effectus;* nihilominus Sacra Congregatio a Cardinali
« Bellarmino consulta declaravit, concilium nihil disposuisse
« de voto. Hinc Sixtus V, in constitutione contra illegitimos
« et ære alieno gravatos, quia voluit tollere etiam obliga-
« tionem ex voto provenientem, id disertis verbis expressit;
« quod non fecit Clemens VIII, in prædictis decretis. »

Ratio est quia potest Ecclesia non acceptare ut solemnem aliquam professionem, certis solemnitatibus jure positivo præscriptis destitutam; et simul eam acceptare quoad aliquos effectus. Dum ergo irritat professionem ut solemnem, non decernens expresse aliorum ejus effectuum nullitatem, effectus ejusmodi adhuc sequi censendi sunt; quia censenda est Ecclesia professionem acceptare quoad istos effectus.

PROPOSITIO III^a. — *Professio conjugati, nulliter emissa ex defectu consensus conjugis, non obligat ad ingrediendam religionem mortua conjuge; sed tamen vim habet voti perpetui castitatis.* — Id evincit sequens decretalis : « Quidam intravit monasterium
« invita uxore: qua ipsum repetente, coactus est ad eam redire:
« ea mortua, quæris an ipse cogatur reverti ad monasterium,
« an aliam possit ducere in uxorem? Consultationi tuæ tali-
« ter respondemus : quod votum non tenuit : unde ratione
« voti ad monasterium non tenetur redire : ulterius vero
« non poterit uxorem accipere; promisit enim se non exi-
« gere debitum, quod in ejus potestate erat; et ideo quoad
« hoc votum tenuit. » (Cap. *quidam* 3, *de conversione conjugatorum.*

PROPOSITIO IV^a. — *Professio nulla ex eo capite quod emissa fuerit in religione non approbata, effectum habet voti simplicis, et obligat ad ingrediendam aliquam religionem ex approbatis.* — Monemus lectorem exstare hac de re inter doctores sat intricatam controversiam. Proinde posita conclusio, etsi nobis vera videatur, non tamen de iis est quæ tanquam certæ communiter recipiuntur. De ipso statu controversiæ sic adnotatur in *Thesauro resolutionum* (in *Veneta votorum*, 4 aprilis 1742,

Digitized by Google

tom. XI, pag. 51, edit. Romæ 1741) : « Hac autem in re pon-
« derandum occurrit, plures institui quæstiones de regulari
« professione quæ fiat in religione a summo Pontifice non ap-
« probata : *primo* nimirum an eadem vota, si non ut solem-
« nia, saltem uti simplicia manere debeant rata ac firma, ita
« ut qui ea nuncupavit obstrictus sit ea servare in sæculo, vel
« alterius religionis ab Ecclesia approbatæ statum amplecti ;
« *secundo*, num vota ejusmodi ita individuam ac limitatam
« obligationem contineant permanendi in religione, in qua
« vovens professionem emisit, ut si ab illa coactus sit egredi,
« neque ad aliam religionem migrare, neque in sæculo ad
« ullum castitatis, paupertatis et obedientiæ votum tenea-
« tur ; et *tertio* demum, an ullum discrimen statuendum sit
« inter eum qui professionem emisit sciens religionem proba-
« tam non esse, et alterum qui id ignoraverit. De hisce
« quæstionibus agunt doctores, quorum aliquos collegit Pas-
« serinus (*de stat. hom.*, tom. 3, quæst. 189, art. 10, n. 505
« et seq.); ibique tuetur præsertim, sub numero 533, quod, si
« vovens scivit religionem non esse approbatam, censendus
« sit sese voto simplici obstrinxisse ad regulare illud institu-
« tum servandum : si vero ignoraverit, neque professio va-
« lida sit ex defectu potestatis, neque voti simplicis effectum
« sortiatur, ex defectu voluntatis in eo qui professionem emi-
« sit. »

Nos in posita conclusione non comprehendimus casum (cæteroquin fere chimericum) quo quis profiteretur in religione, quam sciret non esse approbatam seu legitimam ; quia professio hæc, utpote *ficta*, reincidit in quæstionem supra discussam. Quo prænotato, conclusionem veram probari existimamus ex bulla *Romanus Pontifex* Urbani VIII, 20 maii 1626, in qua sic habetur : « Cum itaque, sicut nobis innotuit, in regno Galliæ
« ab aliquot annis, nulla sedis Apostolicæ auctoritate, quin po-
« tius damnabili temeritate, introducta fuerit quædam con-
« gregatio, sub titulo *Sancti Pauli primi eremitæ*, in eaque
« perplures tanquam in religione approbata tria vota substan-

Digitized by Google

« tialia emiserint, caputiumque detulerint, et nunc quoque « deferant, ad instar Fratrum Discalceatorum nuncupatorum « ordinis Sancti Augustini : cumque nonnulli ex eadem con- « gregatione, cognita nullitate fundationis, ac fraude quam « idemmet fundator paucis ante obitum diebus, conscientiæ « stimulis adactus, confessus est se temere commentum fuisse, « a Sede prædicta postulaverunt declarari, se non esse con- « gregationi hujusmodi alligatos, et posse libere ad sæculum « redire : Nos... sectam, statum et congregationem hujus- « modi nullius firmitatis unquam fuisse aut esse... decerni- « mus et declaramus; et quatenus de facto processit.., cas- « samus et annullamus... Et nihilominus iis, qui bona fide « vota, ut supra, emiserunt, ut in sæculo, in habitu clericali, « sub obedientia tamen Episcopi loci, voto castitatis adstricti, « remanere libere et licite valeant.., concedimus et indulge- « mus. Cæterum eos paterne in Domino hortamur, ut aliquam « ingrediantur de religionibus approbatis, ibique reddant Do- « mino vota sua. » Certum est nullas et irritas fuisse profes- siones emissas in ejusmodi congregatione, utpote quæ insti- tuta fuerat absque sedis Apostolicæ approbatione. Nihilominus declarat Urbanus VIII eos qui sic bona fide professi erant voto castitatis adstrictos remanere. Præterea ipsis *indulget* Pontifex ut *in sæculo* remanere valeant. Porro indulto ad id non indiguissent, nisi obstricti fuissent aliquam religionem ex approbatis ingredi. Bullam istam ignorasse videntur multi ca- nonistæ; qui, si eam cognovissent, forte in nostram potius conclusionem ivissent. Ex eo Apostolico decreto, evertitur opinio eorum qui distinguunt inter eos qui aliam religionem ingressi essent, si hanc illegitimam novissent, et eos qui nul- lam ingressi essent. Certe inter dictos eremitas potuerunt alii uno modo, alii altero esse dispositi, quando professionem emi- serunt. Nihilominus non distinguit Pontifex; sed quoad omnes secutam supponit, tum voti simplicis, tum ingrediendæ alicu- jus approbatæ religionis obligationem. Acceptat ergo in hoc casu Ecclesia professionem quoad utrumque illum effectum,

Digitized by Google

licet eam irritet uti solemnem, et uti obstringentem religioni non approbatæ.

CAPUT XII.

AN NULLA SIT PROFESSIO TACITA, QUANDO FIT EXTRA CONVENTUS, PRO RECIPIENDIS NOVITIIS AUCTORITATE APOSTOLICA DESIGNATOS.

Vi decretorum Clementis VIII, Italiam et adjacentes insulas respicientium, nulliter fit novitiatus et professio expressa, si fiat extra conventus auctoritate Pontificia ad id designatos. Inde autem enata est non parva difficultas. Casu nempe quo novitius nulliter extra conventus designatos professus est, si postea in religione perseverans, exercuerit actus professis proprios, vel habitum ultra unius anni spatium gestaverit, an professio tacita ex his actibus inducta, pro nulla etiam habenda erit? Urbanus VIII, tanquam doctor privatus, putavit hanc professionem tacitam non annullari per Clementinum decretum; casum tamen noluit ut Pontifex decidere. Sed decreto suo 5 januarii 1636, disposuit in hunc modum : 1° ut nulliter professi extra conventus designatos, si per quinquennium in religione perseverassent, jam non possent contra professionis suæ valorem reclamare : 2° ut ipsorum reclamatio, intra quinquennium facta, non posset judicari nisi a Sacra Congregatione Concilii. Vide Cardinalem Petra, tomo ultimo, in constit. 9 Sixti IV, sectione unica, n. 23 ; ubi et relatum reperies præfatum Urbani VIII decretum.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

QUOMODO PROCEDENDUM SIT IN JUDICANDIS CAUSIS NULLITATIS PROFESSIONUM (REMISSIVE).

Normam procedendi in judicandis ejusmodi causis fuse tradidimus in tractatu *de judiciis ecclesiasticis*, parte 2, capite 4. Ne ergo bis eadem in nostris institutionibus occurrant, ad citatum locum, pro gravissima illa materia, remittimus.

Digitized by Google

SECTIO III.

De juris dispositionibus, quæ monialium novitiatui et professioni speciales sunt; puellasve in ipsarum conventibus educandas concernunt.

Dicemus : 1° an et quatenus ad Episcopum pertineat explorare voluntatem postulantium se ad habitum, vel ad professionem admitti : 2° quomodo jure cautum sit ne admitti possint novæ moniales, ultra numerum pro unoquoque conventu præfixum : 3° quid liceat et observari debeat circa dotem exigendam : 4° alia nonnulla breviter adnotabimus, quæ monialium novitiatum aut professionem respiciunt : 5° juris dispositiones subjungemus relative ad puellas in conventibus educandas.

CAPUT I.

AN ET QUATENUS RELIGIONEM INGREDI VOLENTES POSSINT ET DEBEANT AB EPISCOPO EXAMINARI.

QUÆSTIO I^a. — *Num dictum examen ab Episcopo bis fieri possit aut debeat; id est, ante susceptionem habitus et ante professionem : an vero semel; id est vel ante habitus susceptionem, vel ante professionem ?* — 1° Legis tenor est hujuscemodi : « Sancta syno-
« dus statuit atque decernit ut, si puella, quæ habitum regu-
« larem suscipere voluerit, major duodecim annis sit, non
« ante eum suscipiat, nec postea ipsa vel alia professionem
« emittat, quam exploraverit Episcopus (vel, eo absente vel

Digitized by Google

« impedito, ejus vicarius, aut aliquis eorum sumptibus ab eis « deputatus) virginis voluntatem diligenter, an coacta, an « seducta sit, an sciat quid agat; et si voluntas ejus pia ac « libera cognita fuerit, habueritque conditiones requisitas « juxta monasterii illius et ordinis regulam, necnon monaste- « rium fuerit idoneum, libere ei profiteri liceat. Cujus pro- « fessionis tempus ne Episcopus ignoret, teneatur præfecta « monasterio eum ante mensem certiorem facere. Quod si « præfecta certiorem Episcopum non fecerit, quandiu Epi- « scopo videbitur, ab officio suspensa sit. » (Trid., sess. 25, *de reg.*, c. 17.)

2° Ad terminos hujusce Tridentini decreti posset *absque examine* recipi ad habitum puella duodecim annis minor; siquidem contrarium non decernit Tridentina synodus, nisi cum hac restrictione, *si major duodecim annis sit*. Sed hodie jam dari nequit casus hic puellæ ante annos 12 habitum suscipientis; quia, ut supra vidimus, intervenit decretum S. Congregationis Episcoporum et regularium, prohibentis ne, ante expletum annum 15, puellæ ad habitum admitterentur.

3° Quoad puellas duodecim annis majores (id est hodie quoad omnes quæ admitti possunt; siquidem admitti nequeunt ante annum 15), Tridentina verba in obvio et rigoroso sensu accipiendo, duplex facienda videtur exploratio; nam expresse dicitur, *non ante* habitum *suscipiat*, nec *postea professionem emittat, quam exploraverit Episcopus*.

4° Nihilominus haud defuere auctores qui sustinuerint sufficere unicam explorationem; quam alii magis expedire existimant ante habitus susceptionem, alii ante professionem (vide Pellizarium, *de monialibus*, pag. 6 et 7, editionis non prohibitæ, Romæ 1761; necnon Tamburinum, *de jure abbatissarum*, disp. 4, q. 2, n. 4). Sed dicti auctores, qui tenent unicam sufficere explorationem, sese fundant, non in ipso textu legis, sed in consuetudine, qua passim receptum affirmant, ut unicum duntaxat examen Episcopus faciat (vide citatum locum).

Digitized by Google

Ego vero, cum agatur de lege Tridentina Episcopos sub gravi obligante, haud tutam in praxi existimo præfatam consuetudinem. Unde concludendum puto, teneri Episcopum ad binam explorationem, scilicet, et ante habitus susceptionem (quoties puella duodecim annis major est), et iterum ante professionem.

QUÆSTIO II^a. — *An dictæ explorationis omissio novitiatum et professionem invalidet ?* — « Advertendum ex Fagnano, quod « licet graviter peccent superiores, absque dicto examine « puellam ad professionem admittentes, tamen professio va- « lida sit ; prout contra plures decisiones Rotæ (apud Pigna- « tellum, tom. 9, *consult.* 173, n. 129) declaravit S. Congre- « gatio. » (Reiffenstuel, in tit. 33, libri 3 decret., n. 185.) Idem tradit Ferraris : « Defectus explorationis voluntatis non « irritat receptionem et admissionem. » (V. *moniales*, art. 1, n, 70.) « Defectus hujus explorationis non annullat profes- « sionem. » (Idem, ibid. n. 95.) Atque ibi adducit Ferraris multos alios doctores. Tandem invalidas non esse professiones puellarum, absque prævia dicta exploratione emissas, tanquam certum et pluries decisum tradit Fagnanus his verbis : *Contrarium... sæpius declaravit S. Congregatio. Quandoquidem concilium, ubi voluit imponere pœnam nullitatis actus, id disertis verbis expressit* (in cap. *cum accessissent, de constitutionibus*, n. 30). Peremptoria est, quam adducit Fagnanus, ratio : ut nempe sequeretur nullitas novitiatus aut professionis, ex omissa dicta exploratione, deberet nullitas hæc in decreto Tridentino exprimi, atqui non exprimitur.

QUÆSTIO III^a. — *An dicta potestas et obligatio Episcopi ingressuras in religionem examinandi, locum habeat etiam quoad moniales exemptas ?* — Respondendum affirmative ; estque id extra controversiam apud doctores, utpote pluries decisum. « Puella ad habitum recipienda (inquit Ferraris, V. *moniales*, « art. 1, n. 66) est ab Episcopo vel ejus deputato exploranda, « an coacta, an seducta sit, an sciat quid agat et hujusmodi... « Et hoc etiam in monasteriis regularibus subjectis, ut sæpius

Digitized by Google

« declaravit S. Congregatio Concilii, et signanter die 13 no-
« vembris 1627, et *in Dertonensi* 16 decembris 1645. Nec
« potest in dictis exemptis monasteriis ad habitum admitti
« sine prævia licentia Episcopi in scriptis, ut declaravit Sacra
« Congregatio super Episcopis et regularibus, per hæc verba:»
Ibi citat Ferraris verba hujus decisionis; tum sic prosequitur:
« Et ratio est quia id pertinet ad clausuram monialium, cujus
« conservatio Episcopis demandatur per S. concilium Tri-
« dentinum, sessione 25, capite 5, et per constitutionem Gre-
« gorii XV incipientem *inscrutabili*. Unde potest Episcopus
« sub censuris præcipere monialibus, etiam exemptis, et
« earum superioribus, ne recipiant puellas ad habitum nec ad
« professionem, nisi prius sit ipse certioratus. »

QUÆSTIO IVª.— *Intra quod tempus debeat dicta recipiendarum exploratio ab Ordinariis fieri?* —Circa ejusmodi explorationem irrepserant abusus nonnulli, quos sanctus Pius V, in sua constitutione *etsi mendicantium*, 16 maii 1567, describit in hunc modum, § 1, n. 6: « Quidam vero sub prætextu exquirendi
« voluntates puellarum, ante professionem earum volunt eas
« extrahere a monasteriis, et per longum tempus alibi deti-
« nere, ipsasque puellas seu novitias de plerisque rebus in-
« terrogant, neque necessariis, neque in decreto concilii Tri-
« dentini desuper contentis, ex quibus non modica potest
« oriri occasio scandali. »

Hos abusus, ut tolleret sanctus Pontifex, ita decrevit § 2, n. 6: *Volumus etiam, quod puellarum Deo dicandarum (an scilicet coactæ vel seductæ fuerint) examen faciendum, nonnisi* INFRA QUINDECIM DIES *postquam, juxta concilium Tridentinum, Episcopi vel eorum vicarii requisiti fuerint, fieri possit: quibus elapsis, amplius in hoc illis se intromittere non liceat: cujus occasione, nec Episcopus nec ejus vicarius intra septa monasteriorum ingrediantur; sed stent ante cratem ferream: et interrogationes alias, quam eas quæ præfatum concilium Tridentinum jubet, eis fieri omnino prohibemus; ac similiter volumus quod puellæ seu novitiæ ipsæ ad alias interrogationes respondere minime tententur.*

Digitized by Google

Attento illo sancti Pii V decreto, sic videtur solvenda proposita quæstio: 1° Ordinario conceduntur quindecim dies, factam ipsi notificationem proxime sequentes: intra quos nisi examen faciat, jam nequit illud facere; et possunt moniales novitiam libere ad professionem admittere. Id clare exprimunt S. Pii V verba (confer Monacellum, parte 2, tit. 13, form. 5, n. 12; necnon Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 69). 2° Videtur illam S. Pii V dispositionem intelligendam esse tum de monialibus exemptis, tum etiam de non exemptis, siquidem dictus Pontifex non distinguit, sed generaliter loquitur. 3° Superiorissa nihilominus tenebitur Ordinarium certiorem facere *uno mense* ante professionem: illam enim Tridentini decreti dispositionem non mutant sancti Pii V verba.

Quæstio V^a. — *Quo loco fieri debeat dicta exploratio?* — Debet fieri ad crates; non autem e monasterio educenda est novitia; neque hac de causa monasterium ingredi potest Ordinarius aut ipsius vicarius. Id clare exprimunt hæc S. Pii V verba: *Cujus occasione, nec Episcopus, nec ejus vicarius, intra septa monasteriorum ingrediantur, sed stent ante cratem ferream.*

Quæstio VI^a. — *Quænam interrogationes fieri debeant?* — Prohibet sanctus Pius V alias fieri interrogationes *quam eas quas concilium Tridentinum jubet.* Porro quæ a Tridentina synodo faciendæ præscribuntur interrogationes, sunt istæ: *An coacta, an seducta sit, an sciat quid agat.* Ergo nequit Ordinarius aut ejus vicarius alias, præter tres istas, interrogationes facere; neque, ut expresse decernit S. Pius V, ad alias puellæ aut novitiæ respondere tenentur.

Id tamen non ita intelligendum est, ut nequeat unaquæque ex tribus illis interrogationibus variis formulis exprimi. Præscribit enim Tridentina synodus de quo interrogandum sit, non autem quibus utendum verbis. Curandum duntaxat, ne de tribus illis capitibus multiplici (prout opportunum videbitur) formularum varietate explorando, ad alia excurratur, quæ cum triplici illa interrogatione quoad sensum non conve-

Digitized by Google

niant. Sic, verbi gratia, indebita censenda foret interrogatio, qua a novitia postularetur, num aliquando de ineundo matrimonio cogitavit, num christiane vixerit, num carnis tentationibus aut lapsibus obnoxia sit. Hæc enim et similia sub triplici capite a Tridentinis Patribus determinato haud comprehenduntur.

QUÆSTIO VII^a. — *An dicta Ordinarii potestas et obligatio monachandas examinandi, intelligenda etiam sit relative ad monialium congregationes, quæ vel simplicia duntaxat, vel nulla vota nuncupant?* — 1° Quæstio esse non potest, an dictum examen fieri possit aut debeat ante professionem proprie dictam; siquidem in iis congregationibus nulla fit professio proprie dicta, id est per solemnium votorum emissionem. 2° Supponimus ejusmodi congregationes monialium, ex præsenti Ecclesiæ disciplina, esse toleratas, et respectivis Ordinariis subjectas, prout alibi probavimus. Quibus prænotatis, solvenda videtur quæstio in hunc modum :

I. *Relative ad dictas congregationes, non ligatur Episcopus Tridentino præcepto præfatam explorationem faciendi.* — Nam lex illa Tridentina, necnon S. Pii V decretum, loquuntur de recipiendis ad *professionem*, aut de suscipiendo habitu in ordine ad professionem postea emittendam. In jure autem vox *professio* intelligitur de professione proprie dicta, seu per solemnium votorum emissionem. Ergo lex ista non comprehendit nisi moniales apud quas fiunt solemnia vota. Ergo non comprehendit eas congregationes de quibus hic loquimur.

Nec objicias, quoad illas etiam congregationes urgere rationem, ob quam lex fuit lata; nimirum valde nocivum fore, si in dictis congregationibus puellæ per vim aut seductionem ad sumendum habitum et emittenda vota simplicia inducerentur. Nam *primo* magnum intercedit discrimen inter utramque monialium speciem : nam illæ quæ vota solemnia emittunt, ex hoc ipso fiunt ad matrimonium inhabiles; quod dirimens impedimentum ex votis simplicibus non oritur. *Secundo*, si cubi immineat periculum ne puellæ minus libere dictas con-

Digitized by Google

gregationes ineant, atque resciverit Episcopus, tenebitur quidem id præcavere, vi generalis curæ, ad quam erga omnes suos subditos obligatur ; at non ad id tenebitur vi positivæ legis Tridentinæ synodi. Proinde quando ipsi satis constabit minime timendum dictum inconveniens, bene poterit explorationem omittere. E contra, si agatur de monialibus stricte dictis, quantumvis sciat perfectam relinqui monachandis libertatem, non ipsi liberum est examen prætermittere, ob positivum hac de re præceptum.

II. *Relative ad dictas congregationes, potest Episcopus, si velit, exigere, ne puellæ ad habitum et vota simplicia admittantur, ante factum a se examen.* — Cum enim, ex hypothesi, ejusmodi congregationes ipsius jurisdictioni subdantur, et examen illud de se valde utile sit, non est ratio cur id decernere, vi ordinariæ suæ jurisdictionis, nequeat Episcopus.

III. *In dicto examine peragendo, non adstringitur Episcopus ad formam a Tridentino et Pio V determinatam, sed duntaxat ad prudentiam et æquitatem a jure naturali præscriptam.* — 1° Quod non teneatur ad formam determinatam in decreto S. Pii V, patet ex eo quod lex ista positiva Episcopum non liget erga præfatas congregationes, ut supra diximus. Quod tamen teneatur in hoc convenientiam et æquitatem naturalem servare, probatione non indiget. Hinc ubi de istis congregationibus agitur, conqueri non possent moniales, si Episcopus alias faceret interrogationes præter assignatas a S. Pio V.

Nihilominus cum ipsamet sedes Apostolica dictam normam tanquam omnium optimam præscripserit, in exploranda voluntate puellarum quæ religionem stricte dictam ingredi volunt, merito etiam optima censeri debet, ubi agitur de ingressu in congregationem aliquam votis solemnibus carentem, saltem regulariter loquendo. Hinc optimo consilio in multis diœcesibus praxis invaluit, ut puellæ, dictas congregationes ingressuræ, eodem modo examinentur ac si solemnem postea professionem forent emissuræ. Fit nempe examen ab Ordinario, vel vicario ipsius generali, tum ante habitus susceptionem,

Digitized by Google

tum antequam emittantur vota. Et in modo interrogandi, servari solet sancti Pii V præscriptum.

QUÆSTIO VIII^a. — *A quibus fieri possit dicta exploratio?* — 1° Certum est posse fieri a vicario generali, si impeditus sit Episcopus. 2° Item fieri potest a quocunque alio, modo ad id deputetur ab Episcopo vel a vicario generali. Constant duo hæc ex ipso decreti Tridentini tenore, sub quæstione prima transcripto.

CAPUT II.

QUOMODO JURE CAUTUM SIT, NE ADMITTI POSSINT NOVÆ MONIALES, ULTRA NUMERUM PRO UNOQUOQUE CONVENTU PRÆFIGENDUM.

1° In unoquoque monasterio præfigendus est monialium numerus, qui ex redditibus vel consuetis eleemosynis commode sustentari valeat. Constat tum ex Tridentina synodo (cap. 3, sess. 25, *de reg.*), tum pluribus Pontificiis constitutionibus. Vide apud Ferraris (V. *moniales,* art. 2, n. 1).

2° In monasterio ubi numerus non est præfixus, nequit licite fieri ulla, sive ad habitum, sive ad professionem admissio (Ferraris, loco cit., n. 13). Imo invalida olim erat professio in tali monasterio facta; sed jus illud abrogatum est: unde hodie valida foret talis professio (Ferraris, ibid., n. 5).

3° Numerus monialium præfigendus est etiam in monasteriis bonâ immobilia non habentibus (Ferraris, ibid., n. 2).

4° In monasteriis non exemptis numerus præfigendus est ab Episcopo: in exemptis autem et regularium prælatorum jurisdictioni subjectis, præfigendus est ab Episcopo, una cum dictis prælatis regularibus (constitutione *Deo sacris* Gregorii XIII).

5° Quod numerus debeat esse saltem duodecim affirmat Ferraris (loco cit., n. 6). Sed vide quæ de hoc diximus supra (parte 2, sect. 2, cap. 5, quæs. 3).

Digitized by Google

6° In præfixione numeri, distincte enuntiari debet numerus velatarum seu choristarum, numerus conversarum, et numerus exterarum personarum, servitio monasterii, atque cum ipsius impensis, addicendarum (Ferraris, ibid., n. 8).

7° Semel præfixus numerus augeri nequit ab Ordinario, etiam si redditus notabiliter aucti fuerint. Hinc pro augendo numero recurrendum est ad S. Congregationem Episcoporum et regularium (Ferraris, V. *moniales*, art. 2, n. 14).

8° Possunt et solent, ex indulto dictæ Sacræ Congregationis, recipi aliquot moniales supra præfixum numerum ; cum hac tamen lege, ut prima et secunda quæ recipiuntur solvant dotem duplicem; tertia vero triplicem, si numerus sit minor 90, secus duplicem tantum (Ferraris, V. *moniales*, art. 2, n. 15, 33 et 46).

9° « Moniales supranumerariæ non subrogantur in locum « monialium decedentium intra numerum, sed semper re- « manent supranumerariæ. In cæteris tamen ab aliis non diffe- « runt, sed illis per omnia sunt æquales, ut decreto generali « declaravit S. Congregatio... » (Ferraris, loco cit., n. 16.)

10° « Loca monialium intra numerum decedentium non « possunt concedi aut promitti cuiquam puellæ, ante voca- « tionem, sub pœna privationis vocis activæ et passivæ. » (Ferraris, ibid., n. 17.)

Nota 1° — Prædictæ juris dispositiones haud attingere censendæ sunt congregationes illas, in quibus solemnia vota non emittuntur. Loquuntur enim de monialibus strictiori sensu intellectis, quarum nempe vota solemnia sunt. Cum autem ut talia non haberi a sede Apostolica hodiernarum Galliæ monialium vota pluries S. Pœnitentiaria rescripserit, sequitur moniales illas, cujuscunque ordinis sint ac instituti, præfatis circa numerum legibus non subjici.

Nota 2°.—In iis quæ ad monasteriorum sustentationem pertinent, ab antiqua differt hodierna multorum conventuum conditio : ut adeo minus opportunæ, aut vix etiam applicabiles videri possint nonnullæ ex adductis circa præfigendum mo-

Digitized by Google

nialium numerum juris dispositionibus. Sed in praxi evanescunt difficultates; quia in nonnullis casibus satis excusat necessitas; in aliis vero facile a sede Apostolica obtinentur opportuna indulta. In Galliis certe maximo detrimento fuisset quod proxime elapsis 60 annis novæ monialium domus constitui non potuissent, nisi ubi duodecim ad minus degerent moniales, et certi forent sufficientes ad sustentationem redditus. Imo florentissimæ illæ monialium congregationes, quas hodie in Gallia miramur, plerumque pauculis feminis, omni certo redditu certove eleemosynarum subsidio destitutis, sed ingenti in Deum amore et fiducia divitibus, exordium sumpsere.

CAPUT III.

QUID LICEAT ET OBSERVARI DEBEAT CIRCA DOTEM EXIGENDAM.

QUÆSTIO I[a]. — *Quid nomine dotis intelligatur?* — « Sicut « nomine dotis, quæ solet solvi marito, intelligitur id quod « datur a muliere proprio viro in sustentationem (sive illud « solvatur a patre mulieris, sive ab extraneo)..; sic nomine « dotis, quæ pro moniali professura solvi consuevit monasterio, in quo fit professio, intelligitur certa summa pecuniæ, « taxata a legitimo superiore, quæ dari solet monasterio, in « sustentationem monialis in eo profitentis : unde jura decreverunt, patrem teneri constituere congruam dotem, non « solum filiæ nubenti, sed etiam monasterium ingredienti; « sicut communiter notant canonistæ. » (Pellizarius, *de monialibus*, pag. 34, editionis non prohibitæ, Romæ 1761.)

QUÆSTIO II[a]. — *An simoniacum sit aut aliquatenus illicitum dotem exigere ab ingressuris in religionem, ac de ea pactum inire?* Respondendum negative, si dos exigatur et promittatur vel titulo eleemosynæ, vel pro sustentatione : secus si exigeretur aut promitteretur tanquam *pretium status religiosi*. « Adver« tendum est (inquit Suarez, *de religione*, tom. 3, l. 5, cap. 9,

Digitized by Google

« n. 15), aliud esse aliquid *in pretium* religiosi status conferre, « aliud vero esse conferre aliquid ea occasione, non quidem « in pretium, sed vel in eleemosynam, vel ob benevolentiam, « vel (quod frequentius est) alimentorum gratia. Hoc enim « posterius non sufficit ad simoniam, sed oportet ut ratio « pretii interveniat... Unde fit ut practice ac moraliter « loquendo raro hic ingressus sit illicitus titulo simoniæ, « etiamsi largitio aliqua, vel acceptatio alicujus temporalis « commodi intercedat. Nam imprimis constat, ex communi « usu Ecclesiæ, in monasteriis monialium recipi aliquid in « congruam sustentationem religiosæ, et quod *dotis* nomine « solet significari; de qua etiam solet pactum præcedere; in « quo non censetur esse simonia, quia illud non accipitur « tanquam pretium professionis aut religionis, sed causa « sustentationis. Atque ita intelligendus est textus in capite « *quoniam, de simonia*; consuetudo enim est optima legum « interpres... Quomodo etiam intelligendum est caput *de* « *regularibus (de simonia)*, et caput *quam pio*, 1, q. 2... « Secluso autem vitio simoniæ, posset hæc actio esse repre- « hensibilis, vel ratione scandali, vel si esset nimia... »

Juxta hanc doctrinam pluries respondit S. Congregatio Concilii. Verbi gratia, ad dubium : *Cum in Belgio fuerit dubitatum, an simoniacum sit recipere dotem solvendam pro victu, amictu, supellectili et aliis necessariis ad sustentationem puellæ volentis ingredi monasterium, supplicantur Eminentissimi Patres pro hujusmodi dubii resolutione :* Responsum est, *non esse simoniacum.* Citatur hæc declaratio in causa *Bononiensi* 14 aprilis 1725 *(Thesaurus resol.*, tom. 3, pag. 154 et 155, edit. Urbini 1739). Atque in hac ipsa causa idem iterum decisum est.

Hinc *per se* nec simoniaca, nec illicita foret donatio, quam novitius aut novitia de bonis suis monasterio faceret ante professionem, eleemosynæ titulo. Sed ejusmodi donatio, et ex parte monasterii acceptatio, fuit a concilio Tridentino prohibita, ne ob eam minueretur in novitiis exeundi ante professionem libertas.

Digitized by Google

nialium numerum juris dispositionibus. S
scunt difficultates; quia in nonnullis casi
sitas; in aliis vero facile a sede Apc
tuna indulta. In Galliis certe max
proxime elapsis 60 annis nov
non potuissent, nisi ubi do
niales, et certi forent suff
Imo florentissimæ illæ
in Gallia miramur, p
redditu certove el
genti in Deum
psere.

...ntem absque
...is (V. *moniales*, art. 2, n. 18):
...sque dote non debent admitti: con-
...liquando possunt sine dote admitti, propter
QUIP ...itatem et indigentiam monasterii. Sacra Congregatio
...piscoporum, 20 martii 1594. »

Id tamen (salvo meliori judicio) non mihi videtur intelligendum de casu, quo monasterium esset valde opulentum, et puella, cæteroquin idonea, solvendæ doti impar foret. Imo in hoc casu, non tantum posset, sed et deberet absque dote recipi; et nisi reciperetur, procul dubio excitaretur scandalum. Cum nempe ex hypothesi, monasterium sit valde opulentum, avaritiæ tribueretur ejusmodi rejectio. Et revera quodnam allegari potest honestum talis rejectionis motivum? Puella, ex hypothesi, est instituto huic religioso valde apta: aliunde monasterii redditus plus quam sufficientes supponuntur, non tantum ad hujus, sed et aliorum omnium monialium sustentationem. Utquid ergo dos tanquam conditio admissionis exigeretur? An ut coacervando divitias et superflua, moniales illæ valeant piis operibus contribuere? Sed quodnam magis pium opus, quam status religiosi beneficio puellam huic statui aptissimam donare? Ergo vix aliud talis rejectionis motivum introspicio quam vesanam cupiditatem; aut certe haud abfuturum scandalum existimo.

Digitized by Google

Hæc scripseram, cum incidi in sequentem locum resolutionum (tom. 3, pag. 154, edit. Urbini 1739) : et recepta sententia esse videtur, quod vera simonia, quando fit pactio dandi dotem moniviti, sive pauperi, tanquam pretium inem, vel professionis. Sed quando fit in causam alimentorum ingredientis, *si monasterium est opulentum, pactio et avaritiæ* : secus autem quando unc quippe pactio permissa est, line approbata. »

am, etsi opulentum, dotes *recipere* ar, mihi non videtur dubium. At vero quod *exigere*, haud admittendum puto. Et a fortiori haud verum existimo, quod *teneatur* dotes exigere.

QUÆSTIO V^a^ — *Ad quem pertineat dotis taxatio ?* — « 1° Dicenda est spectare ad superiores ipsarum monialium... « Miranda notat, præfatos superiores monialium, insciis imo « et repugnantibus ipsis monialibus, simpliciter loquendo, « posse immutare taxam dotis, si adsit justa causa id faciendi.., « quamvis regulariter loquendo id non expediat ; imo potius « consultum sit id facere de consensu saltem majoris ac sa- « nioris partis monialium monasterii... Quia taxatio dotis est « res maximi momenti, adeoque non videtur relinquenda « arbitrio feminarum... »

2° « Quod si quæras ad quem superiorem in præsentia « spectat præfata taxatio dotis, etiam respectu monialium « exemptarum; respondeo : in præsentia id spectat ad Sacram « Congregationem Episcoporum et regularium. » (Pellizarius, *de monialibus*, pag. 34 et 35, n. 42 et 43, editionis non prohibitæ, Romæ 1761).

QUÆSTIO VI^a^. — *Quænam sint præcipuæ aliæ juris dispositiones circa dotes monialium ?* — 1° Dotes debent solvi ære, non autem pro eis assignari possunt bona immobilia aut census (Ferraris, V. *moniales*, art. 2, n. 19). — 2° « Et nullate-

Digitized by Google

QUÆSTIO IIIª. — *An monasteriis etiam valde opulentis licitum sit dotem recipere?* — Etsi aliqua de hoc exstiterit inter doctores controversia, communi tamen sententia est posse etiam in hoc casu dotem recipi : « Neque obstat (inquit Tamburinus, *de jure abbatissarum*, disput. 5, q. 3, n. 3), opulentia monasterii in solita monialium receptione cum dotibus consuetis..., cum dotes, ut dictum est, semper recipiendæ sint pro monialium sustentatione. » Item Pellizarius *(de monialibus*, pag. 34, editionis non prohibitæ, Romæ 1761), sustinet dotem posse recipi, « sive monasterium sit « opulentum, quod negant aliqui. »

QUÆSTIO IVª. — *An monialibus liceat postulantem absque dote recipere?* — Sic habet Ferraris (V. *moniales*, art. 2, n. 18) : « Moniales velatæ absque dote non debent admitti : conversæ vero aliquando possunt sine dote admitti, propter « necessitatem et indigentiam monasterii. Sacra Congregatio « Episcoporum, 20 martii 1594. »

Id tamen (salvo meliori judicio) non mihi videtur intelligendum de casu, quo monasterium esset valde opulentum, et puella, cæteroquin idonea, solvendæ doti impar foret. Imo in hoc casu, non tantum posset, sed et deberet absque dote recipi; et nisi reciperetur, procul dubio excitaretur scandalum. Cum nempe ex hypothesi, monasterium sit valde opulentum, avaritiæ tribueretur ejusmodi rejectio. Et revera quodnam allegari potest honestum talis rejectionis motivum? Puella, ex hypothesi, est instituto huic religioso valde apta : aliunde monasterii redditus plus quam sufficientes supponuntur, non tantum ad hujus, sed et aliorum omnium monialium sustentationem. Utquid ergo dos tanquam conditio admissionis exigeretur? An ut coacervando divitias et superflua, moniales illæ valeant piis operibus contribuere? Sed quodnam magis pium opus, quam status religiosi beneficio puellam huic statui aptissimam donare? Ergo vix aliud talis rejectionis motivum introspicio quam vesanam cupiditatem; aut certe haud abfuturum scandalum existimo.

Digitized by Google

Nota. — Hæc scripseram, cum incidi in sequentem locum *Thesauri resolutionum* (tom. 3, pag. 154, edit. Urbini 1739) : « Communissima et recepta sententia esse videtur, quod vera « committatur simonia, quando fit pactio dandi dotem mo- « nasterio, sive diviti, sive pauperi, tanquam pretium in- « gressus in religionem, vel professionis. Sed quando fit « pactio dandi dotem in causam alimentorum ingredientis, « vel profitentis, tunc, *si monasterium est opulentum, pactio* « *redolet speciem simoniæ et avaritiæ* : secus autem quando « monasterium est inops : tunc quippe pactio permissa est, « et a totius Ecclesiæ consuetudine approbata. »

Quod possit monasterium, etsi opulentum, dotes *recipere* si sponte offerantur, mihi non videtur dubium. At vero quod eas *possit exigere,* haud admittendum puto. Et a fortiori haud verum existimo, quod *teneatur* dotes exigere.

QUÆSTIO V^a^ — *Ad quem pertineat dotis taxatio ?* — « 1° Di- « cenda est spectare ad superiores ipsarum monialium... « Miranda notat, præfatos superiores monialium, insciis imo « et repugnantibus ipsis monialibus, simpliciter loquendo, « posse immutare taxam dotis, si adsit justa causa id faciendi.., « quamvis regulariter loquendo id non expediat ; imo potius « consultum sit id facere de consensu saltem majoris ac sa- « nioris partis monialium monasterii... Quia taxatio dotis est « res maximi momenti, adeoque non videtur relinquenda « arbitrio feminarum... »

2° « Quod si quæras ad quem superiorem in præsentia « spectat præfata taxatio dotis, etiam respectu monialium « exemptarum ; respondeo : in præsentia id spectat ad Sacram « Congregationem Episcoporum et regularium. » (Pellizarius, *de monialibus*, pag. 34 et 35, n. 42 et 43, editionis non prohibitæ, Romæ 1761).

QUÆSTIO VI^a^. — *Quænam sint præcipuæ aliæ juris dispositiones circa dotes monialium ?* — 1° Dotes debent solvi ære, non autem pro eis assignari possunt bona immobilia aut census (Ferraris, V. *moniales*, art. 2, n. 19). — 2° « Et nullate-

Digitized by Google

« nus apud monialium consanguineos sunt relinquendæ; sed « antequam puellæ habitum suscipiant, penes mercatorem, « aut virum fide et facultatibus idoneum, actualiter sunt « deponendæ (ubi non adsunt *bauchi)*, qui ad omne monia- « lium mandatum absque aliqua exceptione soluturum se « obliget. S. Congregatio Episc...» (Ferraris, V. *moniales*, art. 2, n. 19.)« Monialis novitiæ professio potest differri, etiam « ultra annum, si dotem competentem monasterium adhuc « non receperit. S. Congregatio Episcoporum... Potest tamen « admitti ad professionem, antequam solvatur dos : eadem « Congregatio...» (Ferraris, ibid. n. 25.) Non video quomodo inter se cohæreant hæc Lucii Ferraris asserta : deponendas esse dotes apud virum fide dignum *antequam puellæ habitum suscipiant ;* et posse differri professionem *si dotem monasterium non receperit ;* et fieri posse professionem *antequam solvatur dos*. Sed, ut dicetur infra, multum in his locorum consuetudini tribuendum videtur ; unde ab enucleanda illa difficultate abstinemus. — 3° Non potest dos, ante secutam professionem, ipsi monasterio consignari, etiam titulo depositi (Ferraris, voce *novitius*, n. 64 et 65). — 4° Decedente novitia, dos hæredibus restitui debet (Ferraris, V. *novitius*, n. 71 et 72). — 5° Secuta professione, depositarius debet pecuniam monasterio tradere (Ferraris, V. *moniales*, art. 2, n. 24). — 6° Dotes supranumerariarum investiri debent (doivent être capitalisées) : aliarum vero dotes expendi possunt, cum licentia superioris, in usus communes monasterii (Ferraris, V. *moniales*, art. 2, n. 29, 36 et 38).

Nota. — Præmissæ tamen dispositiones, non ita rigorose intelligendæ videntur, ut ex consuetudine legitime præscripta, moderationem quoad multa pati nequeant. Imo in hac materia plurimum ad regionum receptas consuetudines esse attendendum passim adnotant doctores.

QUÆSTIO VII^a^. — *An et quatenus præmissa circa dotem applicanda veniant monialium congregationibus, quæ vota solemnia non habent ?* — 1° Etiam quoad ipsas verum est, simoniacum

Digitized by Google

non esse dotes recipere et de iis pacisci, ut per se patet. 2° Item ipsis applicanda videntur, quæ de monasteriis opulentis dicta sunt. 3° Dotis taxatio non censenda est quoad ipsas S. Congregationi Episcoporum et regularium reservata; tum quia non constat de tali reservatione quæ has improprie dictas moniales respiciat; tum quia in contrarium est generalis praxis. Per se autem, et nisi aliter statutum sit in constitutionibus congregationis a sede Apostolica approbatis, ad Episcopum spectat, utpote harum monialium superiorem, dotes taxare. 4° Cætera, quæ *jure positivo* circa dotes monialium disposita sunt, haud videntur ad dictas congregationes extendenda, utpote sancita quoad *moniales stricte sumptas*, de quarum numero non sunt eæ de quibus loquimur. Unde in dictis congregationibus, regulanda hæc sunt Ordinarii auctoritate, habita ratione uniuscujusque instituti, necnon circumstantiarum et receptarum consuetudinum.

Nota. — Hodie in Galliis et Belgio non stipulatur *pro dote* (quia sub his terminis initi contractus valorem lex civilis non agnosceret), sed *pro sustentatione*.

CAPUT IV.

MONIALIBUS EGREDIENTIBUS, POST OBTENTAM A VOTIS SUIS SIMPLICIBUS DISPENSATIONEM, DOTES REDDENDÆ SUNT.

Id sufficienter probatur ex causa *civitatis Castellanæ* 3 martii 1792 (*Thesaurus resol.*, tom. 61, pag. 27 et seq.). Ibi agebatur de conventu quodam monialium, in quo, an simplicia an solemnia forent vota in controversia erat. Cum autem duæ sorores dispensationem a votis suis obtinuissent et ad sæculum rediissent, dotes suas sibi reddi postulabant. S. Congregatio declaravit, et vota per istas moniales emitti solita, esse simplicia; et dotes dictis duabus egressis esse reddendas.

In causæ autem relatione, sic exponebatur jus, a duabus dictis monialibus egressis prætensum, dotes suas repetendi.

Digitized by Google

« Supposita enim simplicium votorum qualitate, omne id « reddendum contendunt egredientibus e religione, quod in « eam intulerunt; ut non semel definivit sacrum Rotæ audi- « torium, ac præsertim in nuperrimis decisione 12, et deci- « sione 248, tom. 5, partis 1. »

Contrarium currit jus quando vota sunt solemnia; prout in eadem causa sic adnotatur :

« Ex jure irrevocabiliter transfertur per solemnem profes- « sionem dominium dotis in monasterium (authentica *ingressi*, « cod. *de sacrosanctis ecclesiis;* Cardinalis Petra, ad const. 16 « Eugenii IV, sect. unica, n. 5; Passerinus.., Cardinalis de « Luca, *de regularibus,* discursu 1, n. 50). Ideoque egrediens « a religione, vel ad aliam transiens, nequit illam (dotem) « repetere, neque alimenta consequi valet; ut quoad primam « partem docet Petra, loco cit., n. 13; Rigantus ad reg. 23, « n. 156 : et quoad secundam, Surdus *(de alimentis*, tit. 9), « Petra (ibid., n. 17), Pignatellus (cons. 432, n. 10 et seq., « tom. 1). »

Nota. — Æquum tamen videretur, ut conventus de illis restituendis dotibus retinere posset aliquam partem; pro rata nempe expensarum quæ factæ sunt ad sustentandas egredientes moniales dum in conventu commoratæ sunt.

CAPUT V.

ADNOTANTUR ALIA NONNULLA QUÆ MONIALIUM NOVITIATUM ET PROFESSIONEM RESPICIUNT.

QUÆSTIO I^a^. — *Quanam ætate puella recipi possit ad habitum?* — Olim recipi poterat completo anno 12. Sed, die 23 maii 1659, emanavit decretum S. Congregationis Episcoporum et regularium, statuens ut nonnisi post expletum annum 15 reciperetur. Unde hodie, ut possit puella vestiri antequam dictam ætatem annorum 15 expleverit, obtinendum est indultum Apostolicum (vide hæc tradita apud Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 72).

Digitized by Google

QUÆSTIO II^a. — *An moniales licite possint novitiam rejicere sine justa causa?* — Negative respondet Ferraris (V. *moniales*, art. 1, n. 109), adducta S. Congregationis Episcoporum et regularium auctoritate. Imo sic addit : « Alias graviter peccant, « ut tradunt communiter doctores. »

QUÆSTIO III^a. — *An possit Ordinarius moniales cogere, ut causam exprimant cur novitiam rejiciunt?* — Sic Ferraris (V. *moniales*, art. 1, n. 107) : « Moniales nullo modo per juramentum « vel censuras cogendæ sunt ab Ordinario ad exprimendam « causam cur aliquam novitiam a professione rejiciant : sed « si secreto interrogatæ idoneam repulsionis causam non « affcrant, et in sua contumacia perseverent, Ordinarius « debet facere certiorem Sacram Congregationem, ut de op- « portuno remedio confestim provideri possit. (S. Congre- « gatio Episcoporum et regularium, in *Pampilonensi*, 5 no- « vembris 1605). »

QUÆSTIO IV^a. — *An valeat professio monialium, facta in manibus superiorissæ?* — « Quamvis professio monialium in manu « Ordinarii (1) principaliter, non autem abbatissæ fieri de- « beat.., tamen si fiat in manu superiorissæ, de consensu « majoris partis capituli, est valida : cum superiorissa de per « se sola, cum dicto consensu majoris partis monialium illam « possit recipere, nisi obstent peculiares constitutiones reli- « gionis. De jure enim monialium receptio non spectat ad « Ordinarium, sed ad abbatissam et monasterium. » (Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 101 et seq., ubi varias in confirmationem auctoritates adducit.)

QUÆSTIO V^a. — *An puellæ ad habitum receptæ imponi debeat nomen sanctæ?* — « Debet ei imponi nomen sanctæ, non gen- « tilis feminæ... Debet ei imponi, ut vocetur titulo sororis, « et non domnæ (2). » (Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 74 et 75.)

(1) Intellige per Ordinarium etiam *prælatum regularem*, si moniales sint subjectæ regularibus.

(2) Gallice *madame, mademoiselle*.

Digitized by Google

QUÆSTIO VI^{a}. — *An teneantur moniales habere locum separatum pro novitiis?* — Respondendum affirmative; atque ad id Ordinarius cogere potest etiam exemptas et regularibus subjectas (vide apud Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 76).

QUÆSTIO VII^{a}. — *An possit apud moniales fieri novitiatus in habitu sæculari?* — Negative (vide apud Ferraris, loco citato, n. 79).

QUÆSTIO VIII^{a}. — *An tempus novitiatus apud moniales incipiat a tempore acceptationis, an vero duntaxat a tempore suscepti habitus?* — Incipit a tempore susceptionis habitus (Ferraris, loco citato, n. 80).

CAPUT VI.

DE PUELLIS QUÆ INTRA CLAUSURAM MONIALIUM EDUCANTUR, NECNON DE FEMINIS SÆCULARIBUS QUÆ IBIDEM SUB CLAUSURA DEGUNT.

QUÆSTIO I^{a}. — *An, et quibus servatis conditionibus, in monialium conventibus admitti valeant puellæ educationis causa?* — 1° « Puellæ educationis gratia recipi possunt in monasteriis « monialium, ut pluries decrevit S. Congregatio Episcoporum « et regularium. » (Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 1.) Nec miretur lector id in quæstionem aliquatenus vocatum fuisse. Nam cum lex clausuræ prohibeat generaliter ne monasterium ingrediantur etiam feminæ, quærendum veniebat, num prohibitio dictas puellas comprehenderet.

2° Ut autem licite possint dictæ puellæ educandæ intra monialium conventum recipi, sequentes requiruntur conditiones :

Prima, ut monasterium ejusmodi puellas educandas recipere consueverit.

Secunda, ut intra monasterium locus iisdem puellis destinatus, diversus sit et separatus ab eis ædium partibus, quas occupant moniales.

Digitized by Google

Tertia, ut habeatur expressa licentia S. Congregationis Episcoporum et regularium : quam licentiam nequit Ordinarius concedere. Imo si recipiatur puella in conventu, dicta licentia S. Congregationis non munito, violatæ clausuræ pœna incurritur : ipseque superior aut Episcopus qui receptionem puellæ permitteret, excommunicatione innodatus remaneret. Nec valet consuetudo in contrarium.

Quarta, ut puellæ recipiantur de consensu superioris et monialium per secreta suffragia.

Quinta, ut non sint supra numerum monasterio præfixum.

Sexta, ut puella recipiatur sine ancilla.

Septima, ut ejusmodi puellæ modesto, non mundano habitu, induantur.

Octava, ut puella septimum ætatis annum expleverit, et 25 non compleverit. Si qua remaneat post expletum 25 annum, præfigendus ipsi est ab Ordinario terminus, intra quem, vel egrediatur, vel regularem habitum suscipiat.

Nona, ut puellæ, semel admissæ, e monasterio non egrediantur, sed ad clausuram instar monialium teneantur. Hinc semel egressæ nequeunt iterum recipi absque expressa S. Congregationis licentia, nisi tamen redirent ad suscipiendum habitum. Puella tamen quæ absque licentia e monasterio discederet, excommunicationem non incurreret. (Quod dictum est de hisce conditionibus, vide firmatum variis declarationibus S. Congregationis Episc. et reg., apud Ferraris, V. *moniales*, art. 1, a n. 2 ad 30.)

Nota. — Congregationes monialium, quæ ad educandas puellas institutæ sunt et a sede Apostolica approbatæ, vi hujus approbationis ejusmodi puellas recipere possunt absque ulla alia licentia, ut per se patet.

QUÆSTIO II^a^. — *An præmissæ conditiones pro educandarum puellarum receptione, debeant hodie a monialibus Galliæ observari?* — 1° StandO variis romanarum Congregationum responsis, quæ declararunt hodiernas Galliæ moniales veras religiosas non esse, dicendum est eas lege Papali clausuræ non con-

Digitized by Google

stringi : proinde nec comprehendi ipsarum conventus sub dictis conditionibus, in puellarum educandarum receptione; quia conditiones istæ Papalem clausuram supponunt. Unum ex istis responsis adducamus : « S. Pœnitentiaria... respondet: « novas Galliarum moniales, quæ institutum aliquod religiosum sectantur, in quo secundum ejus acceptationem « atque approbationem ab Apostolica sede factam, professionem solemnem ac solemnia vota emittere deberent, et « nihilominus per temporum circumstantias, atque ex præfatis rationibus (1), vota duntaxat simplicia modo nuncupant, moniales profecto istas... *vere professas* dici ac censeri « non posse. Porro Bonifacium Papam VIII..., et S. Tridentinum concilium..., monasticam illam clausuram non injungere nisi monialibus *religionem suam professis*... Novas « igitur istas Galliarum moniales..., canonica ista et Pontificia « clausuræ lege minime adstringi... 23 januarii 1821.» (Apud Gautrelet, *de l'État religieux*, t. 2, pag. 281, edit. 1853.)

2° Juxta opinionem quæ tenet, præfatas S. Congregationum decisiones, relativas fuisse ad falsum expositum (quo nempe asserebatur *omnes* Galliæ moniales hodie vovere, cum *intentione* retinendæ habilitatis ad dominium), distinguendum foret inter instituta cum votis solemnibus approbata, et in quibus Galliæ moniales profitentur absque asserta præfata intentione; et congregationes illas quæ vel simplicia tantum, vel nulla vota ex instituto habent. Priores moniales Galliæ, utpote *vere professæ*, et Papali clausuræ adstrictæ, subjacerent etiam dictis conditionibus, a jure communi pro puellarum educandarum receptione statutis : cæteræ autem non subjacent. Sed jam monuimus, dictam opinionem ne ut probabilem quidem a nobis sustineri.

Unde in praxi tutum existimo (donec a sede Apostolica declaratum fuerit veras existere in Gallia moniales professas)

(1) Expositum fuerat moniales illas Galliæ, *ita paupertatis votum emittere, ut sibi paterna bona hæreditate obtinendi et testamento donandi jus retineant.*

Digitized by Google

a nullis Galliæ monialibus observari præfatas conditiones, circa educandarum puellarum receptionem.

QUÆSTIO IIIª. — *Quid observandum sit quoad puellarum in conventu educationis causa degentium, matrimonium et desponsationem?* — 1° Quæ volunt matrimonium contrahere, desponsari debent extra clausuram, nec in eam post desponsationem redire possunt, absque sedis Apostolicæ obtenta licentia. Superiorissa quæ permittit sponsalium instrumentum cum educanda fieri ad crates, deponitur ab officio, voceque activa et passiva privatur. 2° Ejusmodi puellis nubere volentibus liber exitus permitti debet (vide apud Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 30 et seq.).

QUÆSTIO IVª. — *Quid observandum sit circa dictas puellas, quoad communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem et sepulturam?* — Huc redit gravissima quæstio, quam supra (sect. 3, cap. 2, q. XI), expendimus, num scilicet ejusmodi puellæ, sicut et juvenes in religiosorum collegiis convictores, a lege parochiæ, quoad dicta eximantur. Vide citatum locum. Hic nonnulla tantum circa puellas monasteriorum adnotabimus. 1° Ex lege clausuræ certo sequitur non teneri, imo nec licite posse dictas puellas communionem paschalem facere in parochiali ecclesia; siquidem ipsis clausuram egredi non licet. 2° Cum ob eamdem clausuræ legem parocho jus non competat monasterium ingredi, ex hoc ipso censendum est ipsi ablatum jus viaticum et extremam unctionem dictis puellis ministrandi: unde quoad hoc confessarius monialium, ad sacramenta in monasterio ministranda deputatus censetur, et dictarum puellarum quasi-parochus. 3° Etiam in conventibus non exemptis, et ubi moniales, vota solemnia non habent, nec Papali clausuræ subjacent, obtinet generaliter praxis, ab Ordinariis firmata, ut viaticum et extrema unctio dictis puellis ministretur a capellano seu confessario conventus. Nec dubium est quin possit Episcopus puellas istas a lege parochiali, quoad hoc eximere; non secus ac in hospitalibus constituere potest capellanum qui sit quasi-parochus, et cui competat, excluso paro-

Digitized by Google

cho, dicta sacramenta ministrare. 4° Remanet tantum difficultas quoad sepulturam. Si nempe in exempto monasterio decedat aliqua ejusmodi puella, non habens sepulchrum majorum, et non electa sepultura, num debeat sepeliri in parochia, an vero in Ecclesia monialium sepeliri valeat, inter doctores disputatur. Item controvertitur si elegerit sepulturam in monasterio, an debeatur parocho quarta funeralis (vide apud Ferraris, V. *moniales*, art. 1, n. 61). Sed quæstio in favorem parochorum jam decidenda videtur, ob duas S. Congregationis Concilii responsiones, quas vide apud eumdem Ferraris (citato loco, n. 125 et 126). Hinc generatim dici potest, parocho subjectas remanere dictas puellas quoad matrimonium (vide tract., *de parocho*, pag. 473) et sepulturam : quoad cætera vero non subjici.

QUÆSTIO V^a^. — *An et quatenus prohibitum sit puellas cogere ad ingrediendum monasterium?* — 1° Si coactio fiat a non habentibus dominativam in ipsas potestatem, peccaminosa est ; 2° si coactio fiat a parentibus et tutoribus, et puellæ sint impuberes, licita est ; 3° si puellæ sint jam puberes, et coactio fiat a parentibus aut tutoribus, non in eum finem ut postea compellantur ad emittendam professionem, sed duntaxat ut convenienter educentur, relicta ipsis omnimoda nubendi libertate, probabilius non est illicitum. Vide apud Ferraris (V. *moniales*, art. 1, n. 53 et seq.).

Cæterum qui cogunt puellas sive ad habitum suscipiendum, sive ad professionem emittendam (sive etiam ad simpliciter ingrediendum monasterium, in casibus in quibus ad id cogi licite nequeunt), non tantum graviter peccant, sed excommunicationem incurrunt, ex capite 18 sessionis 25 Tridentinæ synodi.

QUÆSTIO VI^a^. — *An præter puellas educandas, recipi possint in conventu aliæ feminæ, et quid circa ipsas observandum?* — 1° De licentia superiorum recipi possunt famulæ sæculares, ad obeunda communia monasterii servitia. Dicimus *commu-*

Digitized by Google

nia; quia non conceditur ut vel monialis aliqua, vel puella educanda, peculiarem sibi ancillam habeat.

2° Cæteræ feminæ, sive viduæ sint, sive nuptæ, sive innuptæ, nequeunt clausuram habitare, etiam de licentia Ordinarii; sed requiritur ad id licentia Apostolica. Vide apud Ferraris (V. *moniales*, art. 1, n. 46 et seq.).

3° Dictæ feminæ sæculares, quæ intra clausuram ex legitima facultate degunt, paris conditionis censendæ sunt ac puellæ educandæ, quoad obligationem servandæ clausuræ, necnon quoad communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem, matrimonium et sepulturam.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX

JUXTA MATERIARUM ORDINEM.

Pag.

Totius tractatus distributio. 1

PARS PRIMA. De status religiosi natura et origine. 3

SECTIO I. De status perfectionis essentia et recta notione. 4

CAPUT I. Quid sit status in genere. 4

Propositio I^a. Ad essentiam status proprie dicti, non sufficit stabilitas proveniens ex sola carentia mutationis, sed requiritur stabilitas ex causa aliqua, quæ mutationem, vel impossibilem, vel saltem difficilem reddat. 5

Propositio II^a. Ad essentiam non requiritur ut causa in eo permanendi sit aliqua proprie dicta obligatio 7

Propositio III^a. Ad essentiam status sufficit quælibet causa, quæ de se apta sit ad inducendam hominis in aliquo vivendi modo permanentiam. . 7

CAPUT II. An detur status vitæ christianæ, et an sit multiplex. 8

Propositio I^a. Status vitæ christianæ est verus et proprie dictus status. . 9

Propositio II^a. Multiplex est vitæ christianæ status. 10

CAPUT III. Quid sit perfectio 11

Propositio I^a. Ad perfectionem requiritur charitas. 11

Propositio II^a. Ad perfectionem non sufficit charitas essentialis, sed requiritur insuper peculiaris quidam charitatis gradus, qui communem christianorum charitatem superet 11

Propositio III^a. Perfectio non consistit in aliquo vel aliquibus transitoriis charitatis actibus, etiamsi sint magnæ vel maximæ intensitatis. 12

Propositio IV^a. Perfectio est charitas ita habitualis et intensa, ut hominem proxime disponat ad agendum facile et ordinarie juxta Dei præcepta et consilia. 13

CAPUT IV. Datur in Ecclesia status perfectorum, seu perfectionis acquisitæ; et status tendentium ad perfectionem, seu perfectionis acquirendæ . . . 15

Propositio I^a. Possibilis concipitur in militanti Ecclesia aliquis perfectorum status 15

Propositio II^a. Datur revera in Ecclesia militanti status acquisitæ et exercendæ perfectionis, nempe episcopatus 16

Digitized by Google

Pag.

Propositio III^a. Datur in Ecclesia status perfectionis acquirendæ, seu tendentium ad perfectionem. 20

CAPUT V. Status perfectionis in statum perfectionis acquisitæ, et statum perfectionis acquirendæ recte et adæquate dividitur. 20

Propositio I^a. Varii status vitæ christianæ adæquate dividuntur in status ordinatos ad perfectionem exercendam vel acquirendam, et in status scopum hunc non habentes 20

Propositio II^a. Ex recepto loquendi usu, locutio hæc, *status perfectionis*, non designat modum vivendi eorum qui sunt et permanent in perfectione; sed modum vivendi, cujus scopus seu finis proprius sit perfectio, sive acquirenda, sive exercenda 21

Propositio III^a. Status perfectionis in statum perfectionis acquirendæ et statum perfectionis exercendæ adæquate dividitur 22

CAPUT VI. Varii status vitæ christianæ adæquate dividuntur in statum *vitæ communis*, et statum *perfectionis*. 25

CAPUT VII. De consiliis evangelicis notiones quædam. 24

Propositio I^a. Datur distinctio præcepta inter et consilia 25

Propositio II^a. Consilia sunt perfectiora præceptis 27

Propositio III^a. Consilia sunt numero quamplurima 33

Propositio IV^a. Quando dicitur a doctoribus tria tantum dari consilia evangelica, id autonomastice intelligendum est 33

CAPUT VIII. An et quæ consilia ad status perfectionis essentiam pertineant. 35

Propositio I^a. Aliqua consilia sunt de essentia status perfectionis 35

Propositio II^a. Ad statum perfectionis exercendæ non requiritur consilium paupertatis, nec consilium obedientiæ. 36

Propositio III^a. Ad completum statum perfectionis acquirendæ requiruntur tria evangelica consilia, paupertatis, castitatis et obedientiæ 37

Propositio IV^a. Tria consilia, paupertatis, castitatis et obedientiæ, sufficiunt ad constituendum completum perfectionis acquirendæ statum . . . 39

Propositio V^a. Ad statum perfectionis acquirendæ *incompletum* seu inchoatum, non requiruntur tria consilia evangelica; sed sufficit aliquod consilium, sive sit unum ex tribus illis præcipuis, sive aliud 42

CAPUT IX. Status perfectionis acquirendæ non excludit charitatis erga proximum opera 43

CAPUT X. Ad essentiam status perfectionis acquirendæ requiritur, ut tria consilia evangelica voto firmentur 44

SECTIO II. De essentia status religiosi 46

Propositio I^a. Ad recte determinandam status religiosi essentiam, voces illæ *status religiosus* in sensu communiter recepto accipiendæ sunt. . . 46

Propositio II^a. Juxta receptum communiter usum, distinguitur status religiosus completus seu stricte sumptus, a statu religioso incompleto; et ad posterioris essentiam sufficere alicujus consilii observantiam voto firmatam, ab omnibus pariter admittitur. 46

Digitized by Google

Pag.

Propositio III^a. Status religiosus late sumptus, idem omnino est cum statu perfectionis acquirendæ inchoato seu incompleto. 48

Propositio IV^a. Ad essentiam status religiosi stricte sumpti requiritur, ut sit status tendentium ad perfectionem per tria consilia evangelica voto firmata. 48

Propositio V^a. Est de essentia status religiosi proprie dicti, ut sit status perfectionis acquirendæ completus 48

Propositio VI^a. Totalis traditio sui Deo facta, et nomine Dei ab aliquo homine, Dei ministro, acceptata, censenda est pertinere ad essentiam status religiosi stricte sumpti. 49

Propositio VII^a. Ad essentiam status religiosi non requiritur ut vota sint solemnia (remissive). 53

Propositio VIII^a. Certum est Ecclesiam posse prohibere et irritum facere quemlibet statum religiosorum ab ipsa non approbatum. 53

Propositio IX^a. Attenta sola natura status religiosi, ad ejus essentiam non pertinet vita communis. 54

Propositio X^a. Probabilius videtur Ecclesiæ approbationem ad religiosi status essentiam non pertinere. 56

Propositio XI^a. Obligatio reciproca religiosum inter et communitatem (qua nempe non tantum religiosus teneatur permanere in ordine, sed ordo vicissim illum non ejicere) ad religiosi status substantiam non pertinet. . 64

SECTIO III. De votorum solemnitate 66

CAPUT I. De communiter recepta distinctione, tum inter simplicia et solemnia vota, tum inter accidentalem et substantialem solemnitatem 66

CAPUT II. Voti castitatis solemnitas, quid sit, seu in quo proprie consistat. . 68

§ I. Exponitur triplex doctorum sententia 68

§ II. Rejicitur prima sententia, voti castitatis solemnitatem reponens in aliqua benedictione seu consecratione aliove externo ritu. 70

Propositio I^a. Solemnitas substantialis voti castitatis non consistit in aliqua benedictione vel consecratione. 70

Propositio II^a. Etsi votum nequeat esse solemne absque aliqua externa manifestatione, substantia tamen solemnitatis non consistit in ullo ejusmodi externo modo aut ritu, in emissione votorum adhibito 71

§ III. Rejicitur secunda sententiæ, solemnitatem reponens in *traditione*, qua vovens Deo et religioso quem ingreditur ordini sese donat et mancipat. 75

§ IV. Vera ostenditur tertia sententia, solemnitatem voti reponens *in decreto Ecclesiæ*, quo statuitur ut, per certa quædam vota castitatis et non per alia, dirimatur matrimonium antecedens non consummatum, et vovens in perpetuum sit inhabilis ad matrimonium valide contrahendum . 81

§ V. Nonnulla deducuntur corollaria, quibus magis patefiat exposita doctrina. 83

Corollarium 1. Potest votum fieri ex solemni simplex 83

Digitized by Google

Pag.

Corollarium II. Potest votum ex simplici fieri solemne, quin necessaria sit nova intentio voventis. 84

Corollarium III. Votum simplex et votum solemne castitatis proprie non differunt specie, id est, ab intrinseco, per aliquam proprietatem essentialem; sed duntaxat ab extrinseco, seu per aliquid accidentale. . . . 85

Corollarium IV. Ratio cur in societate Jesu votum castitatis scholasticorum non sit solemne, quamvis inhabilitatem inducat ad matrimonium subsequens, est quia non inducit hanc inhabilitatem absolute in perpetuum 86

CAPUT III. De voti paupertatis solemnitate 86

§ I. Quænam sit voti paupertatis materia, tum remota, tum proxima . . . 87

I. Quænam sit materia paupertatis remota. 88

II. Quænam sit materia proxima, seu quænam jure et quinam actus paupertatis voto repugnent 90

1° Paupertati *completæ* contraria sunt, dominium seu proprietas bonorum temporalium, jus fruendi, jus utendi, et jus retinendi seu possidendi 90

2° Usus et retentio facti, id est, ex licentia, non autem ex proprio jure et nomine, necnon mera administratio, nequaquam paupertati, etiam *completæ*, repugnant 91

3° Seclusa auctoritate Ecclesiæ aliter statuentis votum simplex paupertatis, etiam completæ, non impedit quin valide retineri et acquiri possit dominium. 92

§ II. De variis gradibus paupertatis, et quinam ad constituendum statum religiosum sufficiant 93

Propositio I^a. Possibiles concipiuntur varii paupertatis gradus. . . . 93

Propositio II^a. An quartus ex dictis gradibus ad status religiosi rationem sufficiat, controverti potest 96

Propositio III^a. Paupertas quæ non excludit dominium, modo excludat usum liberum et independentem, certo sufficit ad statum religiosum proprie dictum. 96

§ III. Determinatur in quo stet voti paupertatis solemnitas 101

Propositio I^a. Voti paupertatis solemnitas non consistit in aliqua benedictione, seu consecratione, aliove sacro ritu. 102

Propositio II^a. Solemnitas voti paupertatis non consistit in traditione sui ac suorum bonorum et jurium, Deo et religioso ordini facta, et nomine Dei acceptata 102

Propositio III^a. Voti paupertatis solemnitas est ipsamet vis inducendi incapacitatem dominii, quæ huic voto alligatur per statutum seu voluntatem Ecclesiæ. 106

Propositio IV^a. Voti paupertatis solemnitas est vis absolutam dominii incapacitatem inducendi 108

CAPUT IV. De solemnitate voti obedientiæ 108

Digitized by Google

Pag.

Propositio I^a. Nisi obstaret positiva Ecclesiæ dispositio, posset religiosus, non obstante voto obedientiæ, valide et independenter a superiore suo, sese obligare variis promissionibus, tum erga Deum, tum erga homines 109

Propositio II^a. Est doctrina communiter recepta, religiosi promissiones, sive Deo, sive hominibus, post professionem factas, ab ipsius prælatis irritari posse 112

Propositio III^a. Voti obedientiæ solemnitas est vis, huic voto ex Ecclesiæ dispositione alligata, reddendi irritabiles per superiorem promissiones religiosi omnes sive Deo, sive hominibus factas 112

CAPUT V. Generali formula determinatur in quo stet trium substantialium religionis votorum solemnitas. 113

CAPUT VI. Ad essentiam religiosi status non requiritur votorum solemnitas . 116

Argumentum I. Ex bullis Gregorii XIII. 117

Argumentum II. Ex unanimi recentiorum doctorum consensu 117

Argumentum III. Ex eo quod votorum solemnitas sit institutionis ecclesiasticæ 118

Argumentum IV. Ex ipsa status religiosi natura 118

Argumentum V. Ex eo quod per multa Ecclesiæ sæcula verus status religiosus cum solis votis simplicibus exstiterit 119

SECTIO IV. De status religiosi origine, seu quisnam ejus institutor et quænam ipsius exordia fuerint 123

CAPUT I. De status religiosi auctore seu institutore 123

Propositio I^a. Formæ accidentales, quibuscum status religiosus existere potest, non debent vocari status religiosus, nec cum ipsomet statu religioso confundi 123

Propositio II^a. Status religiosus non est idem ac ordo religiosus . . . 124

Propositio III^a. Verus institutor religiosi status non ille est qui accidentalem hujus status formam induxit; sed ille qui ipsiusmet status, id est, substantiæ ejus auctor fuit 125

Propositio IV^a. Potuit Christus statum religiosum instituere quoad substantiam duntaxat, id est, liberum relinquendo statum hunc cum hac vel illa peculiari forma seu regula ad proxim adducere 125

Propositio V^a. Certum omnino est, statum religiosum a Christo Domino fuisse institutum. 125

Propositio VI^a. Statum religiosum esse institutionis ecclesiasticæ perperam concluderetur, ex eo quod ad substantiam hujusce status necessaria sit Ecclesiæ approbatio 127

Propositio VII^a. Opinio quæ tenet, religiosum statum esse duntaxat institutionis ecclesiasticæ, nec periculo nec temeritate vacare videtur . . 129

CAPUT II. De status religiosi exordiis, seu quando et quibus formis regulares existere cœperint. 129

§ I. Præmittuntur regulæ nonnullæ, ad dignoscendum utrum prioribus Ec-

Digitized by Google

Pag.

clesiæ temporibus veri exstiterint religiosi 130

Regula I^a. Ex eo quod prioribus Ecclesiæ sæculis non reperiretur usus expressæ professionis religiosæ per triplex votum paupertatis, castitatis et obedientiæ, minime sequitur eo tempore veros religiosos non exstitisse . 130

Regula II^a. Negandum non est prioribus Ecclesiæ temporibus veri exstitisse religiosos, ex eo solo quod non reperiatur eo tempore vita communis seu cœnobitica, vel communis habitus, vel communium iisdem horis exercitiorum usus. 143

Regula III^a. Negandum non est prioribus Ecclesiæ temporibus veros exstitisse religiosos, ex eo quod tunc non exstiterint monachi proprie dicti, aut proprie dicti anachoretæ 144

Regula IV^a. Exstitisse prioribus Ecclesiæ temporibus veros religiosos satis constabit, si probetur exstitisse homines, qui triplex consilium evangelicum voventes, sese Deo dicaverint, acceptante aliquo (nomine Dei) hanc eorum traditionem 145

Regula V^a. Scriptores qui negant exstitisse ante quartum aut III sæculum monachos vel anachoretas proprie dictos, non ideo censendi sunt negare etiam religiosorum eo tempore existentiam, nisi id clare dicant . 145

§ II. Tribus prioribus sæculis, atque ab ipso etiam Apostolorum tempore, veros et proprie dictos religiosos exstitisse, variis argumentis evincitur . 146

Propositio I^a. Falsum est, scriptores ecclesiasticos esse fere unanimes in neganda status religiosi ante quartum Ecclesiæ sæculum existentia . . 146

Propositio II^a. Veros religiosos fuisse Essenos, seu Therapeutas Ægyptiacos, temporum apostolicorum cœvos, saltem ut probabile admittendum est 153

Propositio III^a. Veri religiosi fuerunt primi Hierosolimitanæ Ecclesiæ fideles multi 159

Propositio IV^a. Veri religiosi fuerunt ii trium priorum sæculorum christiani, qui ascetarum nomine memorantur 161

Propositio V^a. Ante quartum sæculum, atque ab ipsis etiam temporibus apostolicis, veræ moniales exstitere 163

Propositio VI^a. Apostolicis temporibus cœvos religiosos etsi monumenta historica aperte non testarentur, ex ipsa tamen Ecclesiæ a Christo institutæ natura concludendum foret 166

§ III. Diluuntur præcipuæ quædam difficultates 166

Propositio I^a. S. Athanasius non dixit, sanctum Antonium fuisse monasticæ vitæ auctorem; sed duntaxat fuisse primum ex illis monachis, qui *eremum incoluerunt*. 166

Propositio II^a. Verba hæc sancti Hieronymi, *hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius*, nequaquam dicta sunt de vita religiosa, nec generatim de vita monastica, sed duntaxat de vita illorum anachoretarum, *qui soli habitant per deserta* 168

Digitized by Google

Pag.

Propositio III^a. Ergo deserendus est Thomassinus, qui vitæ monasticæ originem repetit a sanctis Paulo, Antonio et Hilarione 170
SECTIO V. De religiosi status excellentia, et ejusdem in Ecclesia indefectibilitate. 172
CAPUT I. De statu religiosi excellentia (remissive). 172
CAPUT II. Esse statum religiosum in Ecclesia indefectibilem : clerum vero sæcularem haud dici posse in Ecclesia necessarium. 173
§ I. Exponitur modernorum quorumdam error, asserens religiosis quidem Ecclesiam carere posse, at clero sæculari minime 173
§ II. Refellitur error de necessario sæculari clero 174
§ III. Lege ecclesiastica supprimi sæcularem clerum absolute non repugnat. 176
§ IV. Status religiosus est in Ecclesia indefectibilis 177
PARS SECUNDA. De canonica norma novas erigendi religiosas familias, novosque earumdem conventus 185
SECTIO I. Norma canonica novum institutum religiosum erigendi 186
CAPUT I. Determinatur sensus nonnullarum denominationum, quæ in præsenti materia usurpari solent 186
I. De nomine *religionis* et *congregationis religiosæ*. 186
II. De nomine *ordinis religiosi* 190
III. De nomine *instituti religiosi* 191
IV. De nomine *approbationis* Ecclesiæ 192
V. De nomine *regularum* et *constitutionum* 192
CAPUT II. De ecclesiastica lege, qua prohibetur ne quis novam religionem, vel novum ordinem inducat, et ne quis ingrediatur religionem non approbatam 193
§ I. Adducuntur juris textus, dictam legem exprimentes 193
§ II. Quomodo præfata lex intelligenda sit. 195
Propositio I^a. Approbatio requisita ut quis novam religionem possit inchoare aut ingredi, intelligenda est de approbatione Romani Pontificis, non autem de approbatione Ordinarii. 195
Propositio II^a. Requiritur approbatio Pontificia, non tantum qua novum institutum judicetur bonum in se ac sanctum, sed etiam qua facultas detur illud inchoandi seu exequendi 198
Propositio III^a. Præfata lex non tantum est prohibens, sed etiam irritans quamlibet religionem a sede Apostolica non approbatam 198
Propositio IV^a. Prædicta lex intelligenda est, non tantum de religionibus sed etiam de congregationibus religiosis 201
Propositio V^a. Prædicta lex intelligenda est etiam de congregationibus impropriæ religiosis. 202
Propositio VI^a. Prædicta lex intelligenda est etiam de novo vivendi modo sub regula jam approbata 205
Propositio VII^a. Dicta lex prohibet ipsum etiam tentamen erigendi novam religionem aut congregationem religiosam 206

Digitized by Google

Pag.

Propositio VIII^a. Prædicta lex sub gravi obligat. 207

Propositio IX^a. Prædicta lex intelligenda non est de meris sodalitiis seu confraternitatibus. 207

Propositio X^a. Prædicta lege impeditur, ne quis solitarie, seu privatim in dome sua degens, possit esse verus religiosus; non tamen prohibetur, ne quis solitarie vivens vota substantialia religionis emittat, et particularem habitum deferat. 207

Propositio XI^a. Qui volunt novam religionem vel congregationem religiosam instituere, etsi nequeant, ante Pontificiam approbationem, vitam communem cum proposita vivendi forma inchoare, licite tamen possunt de proposito suo deliberare, illudque in scriptis exprimere, et se ad illud, post obtentam licentiam disponere 208

Propositio XII^a. Ergo a tempore Innocentii III approbatio religionum et congregationum, etiam improprie religiosarum, sedi Apostolicæ fuit reservata. 209

§ III. An aliqua ex parte vigere desierit lex, qua prohibitum est ne quis, absque licentia Pontificia, novam religionem, aut religiosam congregationem adinveniat 209

Propositio I^a. Consuetudine jam inductum est, ut novæ religiosæ congregationes de sola Episcoporum licentia inchoarentur. 209

Propositio II^a. Dicta consuetudo de iis est, quæ contra legem legitime præscribere potuit 212

Propositio III^a. Satis hodie constat, sedem Apostolicam in prædictam consuetudinem consentire. 212

Propositio IV^a. Canonica lex de non inveniendis novis religionibus, in quantum prohibebat etiam congregationum votis solemnibus carentium inchoationem, in desuetudinem abiisse censenda est 214

§ IV. In hypothesi quod, vi consuetudinis, licite hodie possint novæ congregationes, absque licentia Pontificia erigi, an ejusmodi congregationes, vota simplicia perpetua habentes, et ab Ordinario approbatæ, censendæ sint status religiosi essentiam habere 217

CAPUT III. Quomodo intelligenda lex, qua prohibitæ sunt quælibet congregationes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium . . . 218

Propositio I^a. Decreta Bonifacii VIII et concilii Tridentini omnibus quidem monialibus clausuram injungunt, sed loquuntur duntaxat de religionibus stricte sumptis, id est, vota solemnia habentibus, non autem de congregationibus monialium, vota simplicia emittentium. 218

Propositio II^a Dispositio S. Pii V, prohibens congregationes Tertiariarum absque clausura et votis solemnibus degentium, etsi expresse alias similes congregationes non comprehendat, ad eas tamen videtur extendenda. 219

Propositio III^a. Non obstante sancti Pii V constitutione, licitæ postea fuerunt et hodiedum sunt monialium congregationes, clausura et votis solemnibus carentes; ita tamen ut ab Ecclesia tolerentur, non autem appro-

Digitized by Google

Pag.

bate censeri debeant. 221

Propositio IV^a. Lex Ecclesiastica, prohibens mulierum congregationes clausura et votis solemnibus carentes, non impedit quin novæ hujusmodi congregationes Ordinariorum auctoritate erigi valeant 222

CAPUT IV. Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio ad novæ religionis seu congregationis religiosæ institutionem 223

§ I. Qualis, seu cujus formæ, requiratur approbatio Pontificia, ut novum institutum licite valeat inchoari 223

§ II.. Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio, ut novum institutum status religiosi essentiam habeat 224

Propositio I^a. Fuit nonnullorum opinio, non sufficere ut Romanus Pontifex simpliciter approbet modum vivendi, seu novi instituti formulam, quamvis formula hæc seu vivendi modus omnia status religiosi essentialia contineat; sed requiri ut in approbatione exprimatur, acceptari institutum illud *tanquam veram religionem*, seu *tanquam statum proprie religiosum*. 224

Propositio II^a. Quando novus modus vivendi, seu novum institutum, pro quo postulatur approbatio, habet tria vota perpetua, cum traditione ab aliquo ad id auctoritatem habente recipienda, simplex approbatio Pontificia sufficit, ut institutum hoc status religiosi essentiam habeat 225

Propositio III^a. Doctrinæ propositione præcedenti expositæ adversari videtur Benedictus XIV 230

§ III. Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio, ut novum institutum erigatur in religionem stricte sumptam, id est trium votorum solemnium. 232

Propositio I^a. Requiritur ut, vel in ipsamet approbationis formula, vel in formula novi instituti in quam cadit approbatio, exprimatur vota fore solemnia. 232

Propositio II^a. Quando formula novi instituti, in quam cadit approbatio, sufficienter exprimit vota fore solemnia, sufficit sola vox *approbamus*, ut institutum illud in religionem stricte sumptam erigatur 233

§ IV. Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio, ut novum institutum erigatur in congregationem propriæ religiosam, id est quæ habeat essentiam status religiosi, cum votis simplicibus 234

§ V. Qualis requiratur sedis Apostolicæ approbatio, ut novum institutum erigatur in congregationem improprie religiosam, id est ita ut non habeat status religiosi essentiam 236

CAPUT V. De Romani Pontificis infallibilitate in approbandis religiosis ordinibus 237

Propositio I^a. Romanus Pontifex infallibilis est in approbandis religiosis ordinibus, id est in pronuntiando, aliquod religiosum institutum esse in se honestum, et habere status religiosi essentiam, et esse ad acquirendam perfectionem utile 238

Propositio II^a. Infallibilis etiam dicendus videtur Romanus Pontifex, qua-

Digitized by Google

Pag.

tenus judicat opportunam esse alicujus novi ordinis religiosi approbationem et introductionem 240

Propositio III^a. Novum institutum non censendum est approbatum, nisi juxta formulam Pontifici exhibitam, et cum limitibus in approbatione expressis 243

SECTIO II. De canonica norma novas regularium domos erigendi 244

CAPUT I. An requiratur licentia sedis Apostolicæ 244

§ I. Memorantur juris textus ad rem facientes 244

§ II. Exponitur sententia Fagnani, qui concludit necessariam non esse de jure communi Pontificiam licentiam, nisi quoad Capuccinos et Minores de Observantia 247

§ III. Sententia Benedicti XIV, quæ communis videtur, tenens necessariam esse licentiam, tum sedis Apostolicæ, tum Episcopi, non solum in Italia et adjacentibus insulis, sed ubique terrarum 252

§ IV. Quid ex præmissis, quoad jus commune concludendum videatur . . 253

§ V. Jus particulare Italiæ et adjacentium insularum quoad requisitum in erigendis conventibus sedis Apostolicæ beneplacitum 255

§ VI. Videtur non requiri sedis Apostolicæ beneplacitum quoad congregationes quæ solemnia vota ex instituto non habent 257

§ VII. An in translatione conventus ad alium situm ejusdem loci, applicandæ veniant leges canonicæ de novi conventus erectione 258

CAPUT II. An et quatenus ad novi conventus erectionem necessaria etiam sit licentia Episcopi, et quomodo ab Ordinariis procedendum sit, quando ejusmodi licentia ab ipsis expostulatur 259

Propositio I^a. Licet jam habeatur beneplacitum Apostolicum adhuc necessaria est licentia Episcopi; nisi forte in indulto Pontificio expresse concedatur, ut absque dicta licentia conventus erigi possit 260

Propositio II^a. Dictam licentiam concedere nequit vicarius generalis Episcopi absque speciali mandato; neque vicarius capitularis, sede vacante. 261

Propositio III^a. Novum conventum erigendi licentiam denegare nequit Episcopus, nisi ex justa causa, et contra injustam ipsius denegationem datur appellatio 262

Scholium. — Quomodo ab Ordinariis sit procedendum, quando novos in eorum dioecesibus erigendi conventus regulares expostulant 263

CAPUT III. An ad novi conventus erectionem requiratur consensus regularium in loco jam existentium. 264

§ I. Varia recensentur hac de re jura. 265

§ II. Determinatur an et quatenus, ad novi conventus erectionem, requiratur aliorum loci conventuum consensus 266

Propositio I^a. Si aliunde satis constet Episcopo, novum conventum absque aliorum detrimento erigi posse, licentiam erigendi concedere potest, quin vocet et audiat aliorum conventuum superiores aut procuratores 266

Digitized by Google

Pag.

Propositio II^a. Id si Episcopo non satis constet, tenetur priores et procuratores conventuum, tum in loco ipso, tum in circuitu usque ad quatuor millium distantiam positorum, vocare et audire 267

Propositio III^a. Quocunque modo licentiam dederit Episcopus, remanet aliis conventibus ab ea appellandi facultas, cum effectu etiam suspensivo. 267

Propositio IV^a. Præfata juris dispositio, de requirendo consensu vicinorum conventuum, non respicit conventus monialium, sed virorum tantummodo 267

CAPUT IV. Quodnam sit jus parochi novi conventus intra parochiæ suæ fines erectionem præpediendi 268

§ I. Num teneatur Episcopus, antequam novum conventum erigendi licentiam concedat, parochum citare seu vocare, ut eum audiat 269

Propositio I^a. Plures canonistæ sustinuerunt vocandum esse parochum: imo et invalidam fore Episcopi licentiam, si formalitas hæc prætermitteretur 269

Propositio II^a. Alii doctores tradunt, haud teneri Episcopum ad citandum seu vocandum parochum 272

Propositio III^a. Ad fulciendam priorem opinionem, esse scilicet vocandum parochum, immerito invocatur Rotæ et nonnullorum canonistarum auctoritas 273

Propositio IV^a. Non tenetur Episcopus, antequam novum conventum erigendi licentiam concedat, parochum citare seu vocare 276

§ II. Ut valeat Episcopus novum erigendi conventum licentiam concedere, non requiritur prævius parochi consensus 280

Probatio I^a. Ex eo quod non necesse sit ut citetur seu vocetur parochus . 280

Probatio II^a. Ex tenore Pontificiarum constitutionum circa novos erigendos conventus. 280

Probatio III^a. Ex evidenti falsitate rationum, quibus nituntur canonistæ, necessarium parochi consensum existimantes 284

§ III. Quænam sint præjudicia, ob quæ potest parochus novi conventus erectioni sese opponere 287

Quæstio I^a. Quænam sint parochialia jura. 288

Quæstio II^a. An possit parochus novi conventus erectioni sese opponere ob præjudicia jurium parochialium læsiva? solvitur affirmative . . . 289

Quæstio III^a. An possit parochus novi conventus erectioni sese opponere etiam ob præjudicia parochialium jurium non læsiva, puta, ob secuturam imminutionem concursus populi in parochiali ecclesia, imminutionem oblationum quæ parocho libere fieri solent, et alia hujusmodi? solvitur negative 291

§ IV. An jus parochis competens, sese novorum conventuum erectioni opponendi, ob læsa jura parochialia sua, etiam curatis ad nutum amovibilibus competere censendum sit? 301

Digitized by Google

Pag.

Propositio I^a. Curati ad nutum amovibiles, si sint vicarii, sese opponere nequeunt novorum conventuum erectioni; sed hoc pertinet ad eos, penes quos residet habitualis cura 302

Propositio II^a. Curati ad nutum amovibiles, si non sint vicarii (verbi gratia Galliæ et Belgii succursalistæ), quoad faciendam oppositionem novorum conventuum erectioni, idem jus habere videntur ac parochi perpetui . . 303

CAPUT V. De requisito religiosorum numero, ut novi conventus virorum erigi valeant 303

CAPUT VI. An requisita quoad novi conventus virorum erectionem requirantur etiam in erigendis monialium conventibus 305

Quæstio I^a. An ad novi conventus monialium erectionem requiratur licentia Apostolica. 306

Quæstio II^a. An in erigendis novis monialium conventibus requirendus sit aliorum conventuum consensus, ad normam constitutionum *quoniam* Clementis VIII, et *cum alias* Gregorii XV 307

Quæstio III^a. An novi monialium conventus obnoxii sint decretis, quibus requiritur duodecim ad minus regularium numerus 307

Quæstio IV^a. Quid Tridentina synodus observandum præscripserit in erigendis novis monialium conventibus; et an aliquid ultra tanquam de jure communi necessarium admittendum sit 308

CAPUT VII. An requisita ad novi conventus erectionem pariter requirantur, quando regulares priscum suum conventum reassumunt (remissive) . . . 309

PARS TERTIA. De conditione canonica regularium in extraordinariis quibusdam circumstantiis versantium: seu, de monialibus absque clausura, de regularibus vi dispersis, et de hodiernis Galliæ religiosorum et sanctimonialium communitatibus 311

SECTIO I. Conditio canonica monialium absque clausura in congregatione degentium 314

CAPUT I. De conditione canonica Tertiariorum et Tertiariarum 315

§ I. Quid sint et unde ortæ Tertiariorum et Tertiariarum familiæ. 315

§ II. De Tertiariis quæ privatim in suis ædibus morantur. 316

§ III. De Tertiariis quæ in congregatione vivunt, absque clausura et votis solemnibus 323

Propositio I^a. Si attenderetur duntaxat ad constitutionem sancti Pii V, non tantum nullis privilegiis gauderent, sed nec licite existere possent. 323

Propositio II^a. Constitutioni S. Pii V sedes Apostolica derogavit, non quidem expresse, præfatas Tertiarias tolerando, et Ordinariorum jurisdictioni omnino subjectas relinquendo 324

Propositio III^a. Etiam hodie dicendum videtur, Tertiarias illas esse duntaxat toleratas, et omnimode Ordinariorum jurisdictioni subjectas. . . 326

§ IV De Tertiariis quæ in congregatione vivunt cum clausura et votis solemnibus 327

§ V. De conditione virorum qui Tertiarii vocantur 327

Digitized by Google

Pag.

CAPUT II. De cæteris, præter Tertiarias, monialibus, in congregatione degentibus, absque clausura et votorum solemnitate 328

§ I. *Conservatoriorum* nomine comprehendi solent conventus omnes monialium, absque clausura et votis solemnibus degentium 329

§ II. Monialium absque clausura et votis solemnibus degentium congregationes omnes, de jure communi hodie habendæ sunt tanquam toleratæ duntaxat, non autem tanquam approbatæ 330

§ III. An congregationes monialium, clausura et votis solemnibus carentium, licet simpliciter toleratæ, et non approbatæ, status religiosi essentiam habere possint 335

§ IV. Num hodie optandum foret, ut nonnullarum congregationum monialium, absque clausura viventium, vota pro solemnibus a sede Apostolica acceptarentur 342

SECTIO II. Conditio canonica regularium vi dispersorum 345

CAPUT I. Conditio canonica ejusmodi regularium durante dispersione . . . 345

§ I. De obligationibus dictorum regularium durante dispersione 346

Propositio I^a^. Nequaquam censendi sunt a votis suis solemnibus soluti, sed ea vota in suo robore permanent 346

Propositio II^a^. Nequit Episcopus dispersos diœcesis suæ regulares in statu et conditione presbyterorum sæcularium ita constituere, ut eximantur ab instituti sui obligationibus et observantiis, cum statu dispersionis compatibilibus. 347

Propositio III^a^. Regulares dispersi voto solemni paupertatis ita obstringuntur, ut nullius rei verum dominium acquirere valeant 348

Propositio IV^a^. Votum solemne paupertatis non impedit quin regulares dispersi licite et valide possint res sibi utiles aut necessarias comparare, pecunias apud se habere, et varios emptionis, venditionis et donationis contractus inire 348

Propositio V^a^. Nequit religiosus, in prædicto dispersionis casu, res sibi comparare statui suo religioso non congruas, et (relative ad circumstantias in quibus versatur) superfluas 349

Propositio VI^a^. Quando in perturbatione politica anni 1793, suppressos declaravit religiosos ordines sæcularis Galliæ potestas, potuerunt religiosi ac moniales in dispersione versantes, tum ex superiorum expressa licentia, tum etiam ex legitime præsumpta, hæreditates sibi obvenientes civiliter acquirere, et alios opportunos dominii actus civiliter exercere, salva in eis stante dominii incapacitate et voti solemnitate 349

Propositio VII^a^. Quod acquirunt religiosi dispersi, non sibi, sed communitati seu congregationi acquirunt 352

Propositio VIII^a^. Religiosi dispersi legitimis suis prælatis remanent quoad obedientiæ debitum subjecti : solet autem eis, pro dispersionis tempore, in legitimum prælatum a Romano Pontifice assignari Episcopus loci in quo versantur 353

Digitized by Google

Pag.
§ II. De religiosorum dispersorum juribus, durante dispersione 354
Propositio I[a]. Ex facto ipso violentæ expulsionis et dispersionis, non censendi sunt quidquam amisisse de juribus ac privilegiis suis 354
Propositio II[a]. In religiosis dispersis permanet potestas ordinem seu congregationem suam perpetuandi, cum omnibus suis juribus et privilegiis . 356
Propositio III[a]. Prædicta potestas ordinem seu congregationem perpetuandi cum omnibus juribus et privilegiis, ita in religiosis dispersis permanet, ut in unico etiam ipsorum superstite tota consolidetur 359
CAPUT II. De regularibus dispersis, ad pristina loca sua redeuntibus . . . 360
§ I. Casus regularium antiquas suas ædes, facta ipsis earumdem restitutione, reassumentes 360
Propositio I[a]. Si agatur de ipsismet regularibus qui ibidem antea degebant, nulla indigent nova Ordinarii aut sedis Apostolicæ facultate, ut conventualem vitam in his ædibus iterum agant, cum omnibus priscis suis juribus et privelegiis 360
Propositio II[a]. Si conventus dispersus non constituebat totam congregationem, sed partem duntaxat alicujus congregationis (pluribus scilicet conventibus, aut etiam provinciis conflatæ) possunt hujus congregationis prælati, sive ipsosmet religiosos qui dispersi fuerant, sive alios in reassumpto conventu constituere. 361
Propositio III[a]. Si conventus dispersus totam congregationem constituebat et omnes religiosi præter unum obierint, in hoc uno professo superstite agnoscendum est jus conventum reassumendi, novitios recipiendi, ad professionem admittendi, et congregationem perpetuandi 362
Propositio IV[a]. Si tota congregatio, pluribus conventibus aut etiam provinciis constans, dispersa fuerit, et unus duntaxat ex illa supersit professus, in isto uno jura omnia congregationis agnoscenda erunt 362
Propositio V[a]. Dicti regulares possunt, absque formalitatibus pro novi conventus erectione requisitis, monasterium suum reassumere, et (casu quo fuerit dirutum) illud reædificare 363
§ II. Casus regularium qui, injuste detento, vel minus idoneo jam existente antiquo suo conventu, novas ædes in eadem civitate aut pago sibi comparant 364
Propositio I[a]. Possunt dicti regulares, absque nova licentia Ordinarii aut sedis Apostolicæ, in ejusmodi ædibus conventualem vitam iterum agere, cum priscis omnibus suis juribus et privilegiis 364
Propositio II[a]. Prædictum jus censendum est existere, non solum penes religiosos ipsos, qui conventum ante dispersionem incolebant, sed etiam, iis vita functis, in congregatione religiosa, cujus pars erat ille conventus. 370
§ III. Casus regularium, quorum monasteria fuerunt Romani Pontificis auctoritate alienata 370
Propositio I[a]. Jus conventualiter existendi in aliqua civitate potest regu-

Digitized by Google

Pag.

laribus concedi in eo sensu, quod valeant etiam communitatem suam de uno in alium civitatis locum, prout utile duxerint, transferre 371

Propositio II^a. — Jus conventualiter existendi in aliqua civitate, non tantum potest in prædicto sensu regularibus concedi, sed de facto ita ipsis conceditur: ac proinde jus illud non est alligatum alicui determinato ædificio aut loco civitatis 371

Propositio III^a. — Alienatio monasterii, Romani Pontificis auctoritate facta, per se solam non perimit jus regularium conventualiter in eadem civitate existendi. 372

Propositio IV^a. — Romanus Pontifex regularium alicujus civitatis monasterium alienans, non censendus est privatos velle illos regulares jure conventualiter existendi in illa civitate, aliisve juribus aut privilegiis, nisi id expresse declaret 375

§ IV. De regularibus quorum monasteria in Galliis et Belgio fuerunt alienata, et qui hodie denuo in iis regionibus domos sibi comparant, ac conventualem vitam instaurant 377

Propositio I^a. Concordatum anni 1801, monasteria regularium alienando nec regulares ipsos suppressit, nec sustulit ulla ipsorum jura aut privilegia, excepto solo in bona alienata jure 377

Propositio II^a. Decretum Cardinalis Capraræ anni 1803, regulares concernens, nec eos suppressit, nec eorum jura aut privilegia sustulit . . . 381

Propositio III^a. Articuli organici, nec supprimere religiosos ordines, nec eorum jura minuere potuerunt 382

Propositio IV^a. Si monasterium, in aliqua civitate Galliæ aut Belgii canonice erectum, totam congregationem constituerit, jus conventualiter existendi in eadem civitate permansit in ultimo etiam hujus monasterii professo superstite 383

Propositio V^a. Si monasterium, in aliqua civitate Galliæ aut Belgii canonice erectum fuerit pars congregationis religiosæ, multis conventibus aut provinciis conflatæ, penes eam congregationem permansit jus conventualiter existendi in ea civitate, cum omnibus priscis juribus et privilegiis, excepto solo in bona alienata jure 384

Propositio VI^a. Non poterunt tamen ullibi regulares, absque Ordinarii approbatione, sæcularium confessiones audire, aut prædicandi verbi divini munus obire 385

SECTIO III. De hodierna conditione religiosarum familiarum Galliæ, quoad status religiosi essentiam et votorum solemnitatem 387

Subsectio I. De hodierna religiosorum Galliæ conditione quoad essentiam status religiosi, necnon votorum solemnitatem 387

Prænotanda. De variis legis sæcularis Galliæ dispositionibus 387

CAPUT I. Lex sæcularis religiosos ut tales non agnoscens, nequaquam impedit, quominus veri sint religiosi 391

CAPUT II. Lex sæcularis, religiosos ut tales non agnoscens, impedire nequit

Digitized by Google

Pag.
quominus possidere in communi valeant 394
Argumentum I. Ex natura ipsa religiosarum communitatum. 394
Argumentum II. Ex dispositionibus S. Congregationis Propagandæ, a Gregorio XVI confirmatis 397
Argumentum III. Ex absurdis quæ alioquin sequerentur 400
CAPUT III. Lex sæcularis, incapacitatem dominii in religiosis non agnoscendo, nequaquam impedit incapacitatem illam et votorum solemnitatem . 402
Argumentum I. Ex fine Ecclesiæ proprio 403
Argumentum II. Ex communiter recepta inter probatos auctores doctrina, circa res temporales spiritualibus annexas 404
Argumentum III. Ex eo quod sæcularis potestas non possit ullum civem incapacem dominii decernere, ex causa voti paupertatis 406
Argumentum IV. Ex Ecclesiæ praxi 409
Argumentum V. Ex quamplurimis auctoritatibus 412
Argumentum VI. Ex absurdis quæ alioquin sequerentur 428
CAPUT IV. Independenter a lege sæculari induci potest jus communitatis, quo ad ipsam devolvantur bona religiosis suis professis quocunque titulo, etiam ab intestato, obvenientia 431
CAPUT V. Sæcularis potestas, neque incapacitatem dominii in religiosis, neque bonorum ipsis obvenientium devolutionem ad ipsorum communitates valide potest decernere 436
Propositio I^a. Lex sæcularis nequaquam potest religiosos dominii incapaces efficere 438
Propositio II^a. Nequit sæcularis potestas valide statuere, ut bona religioso professo obvenientia, ad ipsius communitatem devolvantur 439
Propositio III^a. Lex imperatoris Justiniani religiosos dominii incapaces decernens, et bona ipsorum sive præsentia, sive adventitia eorumdem communitatibus attribuens, de se invalida fuit et irrita 440
Propositio IV^a. Falsum est controverti inter probatos doctores catholicos, num prædictæ Justiniani leges valorem ex seipsis habuerint; sed communi sententia tenent eas futuras fuisse invalidas, nisi suas fecisset Ecclesia 440
Propositio V. Leges sæculares Galliæ, necnon quarumdam aliarum regionum, quibus olim statuebatur mors civilis religiosi professi, nullum valorem habere unquam potuerunt, nisi accedente sedis Apostolicæ approbatione . . . . . 442.
CAPUT VI. Incapacitas dominii, ad voti paupertatis solemnitatem requisita, stare potest cum iis actibus improprie dictis, qui fiunt a religiosis solemniter professis, ex facultate Pontificia 444
CAPUT VII. An ob difficultates, ex lege sæculari provenientes, votum paupertatis solemne, seu cum incapacitate dominii conjunctum, desinat esse de re meliori, et consequenter sit invalidum 448
Propositio I^a. Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt difficultatibus

Digitized by Google

Pag.

obnoxii quoad bona ante professionem possessa 448

Propositio II^a. Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt difficultatibus obnoxii quoad bona, ipsis post professionem per actus inter vivos obvenientia 449

Propositio III^a. Religiosi Galliæ, dominii incapaces, non sunt gravibus difficultatibus obnoxii quoad bona ipsis per testamentum, vel jure hæreditario obvenientia 449

Propositio IV^a. Præcedentem propositionem plene confirmat decretum S. Congregationis de Propaganda Fide, 15 decembris 1840 458

Propositio V^a. Falsum est non posse vel non debere religiosos Galliæ sese voto solemni paupertatis obstringere, ob curas et sollicitudines, quæ ex incapacitate dominii in hac regione necessario consequuntur. 458

CAPUT VIII. Concluditur exstare hodie in Gallia veros religiosos, etiam cum votis solemnibus 459

§ I. Quinam hodie in Gallia sint veri religiosi cum votis solemnibus 460

Propositio I^a. Semel approbato religioso instituto, solemnia vota præscribente, necessaria est expressa Ecclesiæ dispositio, ut solemnia non sint vota religiosorum, rite ad formam illius instituti profitentium 460

Propositio II^a. Religiosi Galliæ professionem rite emittendo in iis ordinibus qui, ex instituto a sede Apostolica approbato, vota solemnia habent, fiunt veri eorumdem ordinum religiosi, et eorum vota vere et proprie solemnia sunt 460

Corollarium. Ergo solemnia vota hodie in Gallia emittunt Dominicani, Jesuitæ, Carmelitani, Benedictini, Capuccini, etc. 461

§ II. Quinam hodie in Gallia sint veri religiosi cum votis simplicibus . . . 462

Quæstio I^a. Quænam conditiones requirantur et sufficiant ut adsit status religiosi essentia cum votis simplicibus 462

Quæstio II^a. Num adsint hodie in Gallia virorum congregationes, quæ dictas conditiones, ad status religiosi essentiam sufficientes, habeant. . . . 462

§ III. Quænam hodie in Gallia virorum congregationes a status religiosi essentia deficiant 465

CAPUT IX. De conditione speciali hodiernorum Trappensium Galliæ 466

§ I. Variæ decisiones, Trappenses seu Trappistas Galliæ respicientes . . . 467

§ II. Determinatur Trappistarum Galliæ præsens conditio canonica 475

Propositio I^a. Trappistarum Galliæ vota, a die 1 martii 1837 emissa, pro simplicibus habenda sunt 473

Propositio II^a. Ante diem 1 martii 1837 emissa a Trappistis Galliæ vota fuerunt solemnia 473

Propositio III^a. Etiamsi cum aliqua probabilitate sustineri posset, simplicia esse Trappistarum vota ante annum 1837 emissa, solemnitatis defectus nequaquam tribuendus esset legi sæculari Galliæ, incapacitatem dominii non agnoscenti 476

Propositio IV^a. Trappistarum Belgii vota, sive ante, sive post annum 1837

Digitized by Google

Pag.
emissa, pro solemnibus habenda sunt 476
Propositio V^a^. Trappistæ Galliæ exemptionem ab Ordinariis ex parte amiserunt 477
CAPUT X. Ostenditur multipliciter errasse Reverendum dominum Carrière, in expendenda quæstione, an solemnia sint hodie in Gallia religiosorum vota 478
Adnotatio I^a^. Perperam sustinet tanquam probabilius, ad legem civilem pertinere, ut statuat de iis omnibus, quæ rerum temporalium dominium et possessionem respiciunt 478
Annotatio II^a^. Probabile ipsi est, incapacitatem dominii in religiosis fuisse initio inductam potestatis sæcularis, id est, Justiniani auctoritate . . . 482
Adnotatio III^a^. Perperam existimat statui posse a Romano Pontifice, ut votum paupertatis solemne sit absque incapacitate dominii 484
Adnotatio IV^a^. Existimat religiosos, quotquot exstiterunt e regionibus hæreticis vel infidelibus, per professionem suam non factos fuisse dominii incapaces: quod prorsus erroneum est 487
Adnotatio V^a^. Existimat vota religiosorum Galliæ habenda esse ut simplicia, donec sedes Apostolica declaraverit se ea tanquam solemnia agnoscere. Qua opinione pariter a vero prorsus aberravit 490
Adnotatio VI^a^. Vota religiosorum in Gallia non esse solemnia probabilius existimat, ob analogiam cum votis monialium: quæ ratio omnino inanis est 490
Subsectio II. De conditione monialium Galliæ quoad status religiosi essentiam et votorum solemnitatem 493
CAPUT I. De hodiernis Galliæ monialibus, quæ ex instituto suo, a sede Apostolica approbato, solemnia vota emittere deberent 494
§ I. Dici nequit solemnitate carere ejusmodi monialium vota, ex eo quod ipsarum conventus omnes anticanonice erecti fuerint 494
§ II. Quod solemnia non sint dictarum monialium vota, tribui non debet civilibus Galliæ legibus 497
§ III. Solemnitate non carent dictarum monialium vota, ob clausuræ defectum 498
§ IV. Nisi int rvenisset voluntas sedis Apostolicæ, statuens ne solemnia forent monialium Galliæ vota, pro solemnibus vota hæc habenda forent. 499
§ V. A S. Pœnitentiaria pluries declaratum est, pro solemnibus habenda non esse dictarum Galliæ monialium vota 500
VI. Expenditur opinio quæ tenet, præfatas declarationes esse relativas ad falsa exposita, nec proinde impedire quin in pluribus monialium Galliæ conventibus solemnia vota emittantur 502
Propositio I^a^. Plures e dictis declarationibus relativæ fuere ad exposita, in quibus asserebatur, vovere moniales omnes Galliæ, cum *intentione* servandi veram dominii capacitatem 502
Propositio II^a^. Vera non fuerunt præfata exposita, quibus universaliter as-

Digitized by Google

Pag.

serebatur, emitti professionem a monialibus Galliæ, cum *intentione* retinendi dominii aut habilitatis ad dominium. 505

Propositio III^a. Si Romanæ declarationes omnes, quibus rescriptum est, haberi ut simplicia monialium Galliæ vota, relativæ fuerint ad dicta falsa exposita, iis non obstantibus concludendum foret, adhuc in Galliis emitti a monialibus vota solemnia. 512

Propositio IV^a. Romanas declarationes non esse omnes intelligendas relative ad præfata falsa exposita, suadent saltem rationes gravissimæ . . . 513

§ VII. Ostenditur monialium Belgii vota pro solemnibus esse habenda . . 514

Propositio I^a. A solemnitate non deficiunt Belgicarum monialium vota, ex eo quod lex civilis incapacitatem dominii in ipsis non agnoscat. 514

Propositio II^a. Neque repeti potest solemnitatis defectus ex eo quod dictarum monialium conventus non fuerint legitime instaurati 514

Propositio III^a. Nec ideo solemnitate carent dictarum monialium vota, quod in emittenda professione intentionem habeant servandi dominium aut dominii capacitatem. 514

Propositio IV^a. Nec deest solemnitas in votis dictarum Belgii monialium, ex defectu clausuræ. 515

Propositio V^a. Nisi sufficienter constet velle sedem Apostolicam, ut dictarum Belgii monialium vota simplicia sint, pro solemnibus sunt habenda. 515

Propositio VI^a. Non sufficienter constat esse voluntatem Romani Pontificis, ut simplicia duntaxat vota a dictis Belgii monialibus emittantur. . . 516

Propositio VII^a. Concludenda est votorum a prædictis Belgii monialibus emissorum solemnitas. 520

§ VIII. Moniales Galliæ, quæ ex instituto a sede Apostolica approbato solemnia vota emittere deberent, etiamsi simplicia duntaxat (ob dictam Pontificiam voluntatem) hodie emittant, status religiosi essentiam habere censendæ sunt 520

CAPUT II. An moniales Galliæ, quæ ex instituto tria vota simplicia in perpetuum emittunt, status religiosi essentiam habeant 521

Propositio I^a. Ejusmodi moniales habendæ sunt etiam hodie tanquam toleratæ, non autem tanquam approbatæ 524

Propositio II^a. Dictæ moniales Galliæ, quamvis duntaxat toleratæ, essentiam status religiosi habere censendæ sunt (remissive) 524

Propositio III^a. Præcedens conclusio applicanda etiam est novis prædictarum monialium congregationibus, de sola Episcopi licentia, et absque prævia sedis Apostolicæ facultate, erectis 524

CAPUT III. De monialibus Galliæ, quæ ex instituto triplex perpetuum votum non emittunt. 525

PARS QUARTA. Norma canonica statum religiosum ingrediendi, seu de novitiatu et professione 527

SECTIO I. De novitiatu 528

CAPUT I. Quibusnam personis a jure permittatur vel prohibeatur ingressus

Digitized by Google

Pag.
in religionem 528
§ I. Enumerantur personæ ab ingressu religionis jure communi prohibitæ . 529
1° De Episcopis 529
2° De conjugatis. 530
3° De gravatis ære alieno. 534
4° De obnoxiis reddendæ rationi pro administratione. 536
5° De criminosis. 537
6° De illegitimis. 538
7° De liberis quorum parentes in egestate versantur. 538
8° De eo cujus fratres aut sorores in egestate sunt. 538
9° De liberis, qui licentiam a parentibus non obtinuerunt religionem ingrediendi 539
10° De parentibus, filios alendos et educandos habentibus. 539
11° De pueris qui a parentibus monasteriis offeruntur. 539
§ II. An clerici, ad statum religiosum transire volentes, Episcopi sui licentia indigeant 542
Propositio I^a. Omnino certum est, clericos omnes, etiam beneficiarios, atque etiam curam animarum habentes, absque Episcopi sui licentia religionem ingredi posse 542
Propositio II^a. An saltem licentiam ab Episcopo petere teneatur clericus religionem ingredi volens, inter doctores controvertitur 548
Propositio III^a. Facultas quam habent clerici religionem ingrediendi absque licentia Episcopi, intelligenda etiam videtur de ingressu in congregationes cum votis simplicibus perpetuis approbatas 548
Propositio IV^a. Casu quo Ecclesia grave damnum pateretur ex transitu clerici ad religionem, posset eum Episcopus repetere, etiam post professionem 549
Propositio V^a. Clericus, qui sese ex pacto obligavit ad serviendum diœcesi per aliquod annorum spatium, nequit religionem ingredi, antequam obligationi huic satisfecerit 550
Propositio VI^a. Pii IX auctoritate statutum est ne quis posset in religiosis ordinibus et congregationibus ad habitum admitti, absque testimonialibus litteris tum Ordinarii originis, tum Ordinarii loci in quo postulans ultra annum moratus fuerit. 552
Propositio VII^a. Per citatum Pii IX decretum clericis non adimitur libertas religionem ingrediendi absque licentia proprii Episcopi 553
Propositio VIII^a. Neque superioribus regularibus per dictum decretum adimitur potestas novitium recipiendi, etiam invito Episcopo 553
CAPUT II. De ætate, sive ad novitiatum, sive ad professionem requisita . . 553
CAPUT III. Ad quem pertineat novitios admittere 555
§ I. Utrum novitiorum admissio ita sit penes religiosum ordinem, ut nullatenus ab Episcopo loci dependeat 555
Propositio I^a. De jure communi, virorum religiones ab Apostolica sede

Digitized by Google

Pag.

approbatæ nullatenus ab Ordinario dependent pro admittendis aut rejiciendis novitiis 555

Propositio IIª. Ergo de jure communi nequit Episcopus virorum congregationem a sede Apostolica approbatam cogere ad aliquem in novitium recipiendum, nec impedire ne aliquem recipiat 557

Propositio IIIª. Asserta congregationibus virorum independentia ab Ordinario, in recipiendis novitiis, intelligenda venit, etiamsi congregatio non sit exempta; imo etiamsi vota solemnia non habeat; modo tamen Pontificiam approbationem obtinuerit 558

Propositio IVª. Vi generaliter receptæ consuetudinis, nequeunt moniales ad habitum seu novitiatum puellas recipere, absque assensu proprii superioris; id est, prælati sui regularis, si sint exemptæ et regularibus subjectæ; Episcopi vero si exemptæ non sint 558

Propositio Vª. Cogi ab Ordinario nequeunt moniales, etsi non exemptæ, et etiamsi vota solemnia non habeant, ad recipiendam aliquam novitiam . . 562

§ II. Ad quosnam de communitate pertineat novitios recipere 564

CAPUT IV. De informatione, novitiorum admissioni præmittenda 567

§ I. De ipsa informatione 567

Quæstio Iª. An necessario capiendæ sint informationes de postulante, antequam ad novitiatum admittatur 567

Quæstio IIª. Quales personæ ad capiendas dictas informationes adhibendæ sint 568

Quæstio IIIª. Quibus de rebus capienda sit informatio, seu, quod idem est quibus de rebus testes interrogari debeant. 569

Quæstio IVª. Qualis requiratur et sufficiat testium responsio ad quæsita, vi Sixtinæ legis facienda. 572

§ II. Quibus notificari debeat informatio 574

§ III. De litteris testimonialibus Episcopi, quas insuper necessarias fecit Pius IX feliciter regnans 575

CAPUT V. De novitiatus duratione, loco et habitu 576

1°. De novitiatus duratione 576

2°. De legitimo novitiatus loco 578

3°. De legitimo ad valorem novitiatus habitu 581

CAPUT VI. De jure novitiorum quoad facultatem disponendi de bonis suis temporalibus 583

Propositio Iª. A tempore Tridentinæ synodi, nequit novitius de bonis suis disponere, nisi certo tempore et modo, ab hac synodo præscriptis . . . 583

Propositio IIª. Lex Tridentina non censenda est comprehendere renuntiationes, contractus et pacta, quibus novitii bona notabiliter non minuuntur 584

Propositio IIIª. Renuntiationes, donationes et pactiones quælibet, factæ post ingressum in novitiatum, et ante completum decimum novitiatus mensem, sunt irritæ 585

Digitized by Google

Pag

Propositio IV^a. Assignatum a Tridentina synodo bimestre computandum est de momento ad momentum, et secundum quod occurrit mensis in calendario 585

Propositio V^a. Valet renuntiatio facta quocunque tempore currente inter decimum completum probationis mensem et professionem, quantumvis professio ultra annum protrahatur 585

Propositio VI^a. Renuntiatio novitii sexdecim annis minoris valet, si servetur Tridentina forma : novitii autem sexdecim annis majoris non valet, si dicta forma non servetur 586

Propositio VII^a. An valeant renuntiationes et donationes factæ ante ingressum in novitiatum, sed ob istum ingressum, seu intuitu religionis vehementer controvertitur 586

Propositio VIII^a. Licentia Episcopi, aut ejus vicarii generalis, ad valorem renuntiationis requisita, censenda est posse dari ab aliis jurisdictionem quasi episcopalem exercentibus, nec requiritur ut sit scripta 586

Propositio IX^a. Renuntiatio, debito tempore et modo facta, effectum non habet, si secuta professio nulla sit ob aliquam juris defectum 586

Propositio X^a. Corruunt renuntiationes et donationes novitii, si moriatur ante professionem 587

Propositio XI^a. Potest novitius, non obstante renuntiatione et donatione rite facta, testari, et de bonis suis prout voluerit causa mortis disponere; et, si ante professionem intestatus moriatur, pertinent bona hæc ad ipsius hæredes ab intestato 587

Propositio XII^a. Non tamen potest renuntiationem vel donationem rite factam revocare ante professionem, si velit in religione perseverare . . . 587

Propositio XIII^a. Ad valorem renuntiationis aut donationis necesse non est ut fiat juxta formam legis sæcularis 587

Propositio XIV^a. Novitii societatis Jesu possunt valide donationes et renuntiationes facere, quin servent formam a Tridentina synodo præscriptam 588

Propositio XV^a. Valent dictæ donationes et renuntiationes in societate Jesu, etiam non secuta professione, dummodo factæ sint post primum novitiatus annum, et juxta institutum hujus societatis 588

Propositio XVI^a. Religioso societatis Jesu, post vota simplicia dimisso e societate, non debentur alimenta nec congrua sustentatio ex parte societatis, etiamsi ordinatus fuerit paupertatis titulo, et etiamsi bona sua societati dederit 588

Propositio XVII^a. In congregationibus quæ vota solemnia non habent, possunt a novitiis valide fieri donationes et renuntiationes, quin servetur Tridentini decreti forma 589

Propositio XVIII^a. Novitius testamentum ante professionem revocare potest; non autem post professionem 589

Propositio XIX^a. Quando novitius ante professionem testamentum non con-

Digitized by Google

Pag

didit, vi professionis succedit in ejus bona et jura monasterium, si ordo sit capax possidendi in communi : secus succedunt consanguinei 589

Propositio XX^a. Sub anathemate prohibentur parentes, propinqui et curatores quidquam de bonis novitii, præter victum et vestitum, dare monasterio 589

Propositio XXI^a. Docet Ferraris, parentes et consanguineos non posse *etiam de bonis suis propriis* aliquid dare monasterio, ob ingressum novitii in religionem, excepto victu et vestitu 590

Propositio XXII^a. Sub excommunicatione Papæ reservata prohibitum est ne religiosi aliquam pecuniæ summam a parentibus novitii exigant pro convivio, occasione vestitionis vel professionis faciendo 590

Propositio XXIII^a. Quando novitius bonis suis debito modo renuntiavit in favorem monasterii, an possint bona hæc, ante professionem, monasterio tradi, titulo depositi, controvertitur. 590

Propositio XXIV^a. Si egrediatur novitius ante professionem, restitui ipsi debent omnia quæ sua erant, etiam ea quæ debita forma conventui dederat 591

Propositio XXV^a. Novitius egrediens tenetur solvere expensas pro ipso factas a monasterio, si de hoc intervenerit pactum, vel ita ferat ordinis consuetudo : secus non tenetur. 591

CAPUT VII. De jure novitiorum quoad beneficia sua 591

§ I. An novitii beneficia sua retinere possint. 591

Propositio I^a. Beneficium clerici religionem ingredientis non potest alteri conferri intra novitiatus annum 591

Propositio II^a. Non potest beneficium novitii alteri conferri, quantumvis beneficium illud resignaverit 592

Propositio III^a. Durante novitiatus tempore, beneficii functiones et onera alteri committenda sunt, assignata ipsi ex fructibus beneficii portione congrua 592

Propositio IV^a. Dictam portionem congruam determinare pertinet ad Episcopum 592

Propositio V^a. Residui fructus beneficii post solutam dictam congruam, reservandi sunt, et restituendi novitio si professionem non emittat : si vero professionem fecerit, nec de illis antea disposuerit, acquiruntur monasterio, juxta communiorem sententiam 592

Propositio VI^a. Tradita regula, quod renuntiatio beneficii effectum non sortiatur ante professionem, locum habet etiamsi professio ultra annum differatur. 593

Propositio VII^a. Ergo in societate Jesu novitius beneficium suum retinere posset, non tantum toto probationis biennio, sed etiam post emissa vota simplicia, usque ad professionem, vel usque ad vota coadjutorum formatorum 593

Propositio VIII^a. In religiosis familiis quæ habent vota solemnia, statim

Digitized by Google

Pag.

ac novitius rite professionem emisit, vacat ipso facto quodlibet ejus beneficium 594

Propositio IX^a. In religiosis familiis quæ non habent nisi vota simplicia, novitii per professionem beneficia sua non amittunt : si tamen beneficia hæc residentiam exigant, potest Ordinarius ejusmodi professis adigere ad designandum ; id est eis terminum præfigere intra quem resignare teneantur : quo elapso termino, possunt beneficia hæc aliis conferri 594

§ II. An novitius retineat jus eligendi et suffragium ferendi, beneficio suo annexum 596

Propositio I^a. Si velit electioni interesse et suffragium ferre, non potest excludi. 596

Propositio II^a. Non est tamen de iis qui necessario ad electionis valorem vocandi sunt 596

§ III. Quid requiratur ut novitii beneficiis suis valide renuntient, et renuntiatio effectum suum sortiatur 597

Propositio I^a. Servanda est forma, a Tridentina synodo requisita quoad bonorum temporalium donationes 597

Propositio II^a. Novitii societatis Jesu valide possunt beneficiis suis renuntiare, quin dicti decreti Tridentini formam servent 597

CAPUT VIII. Quorumnam jurisdictioni subjaceant novitii. 598

Quæstio I^a. Quænam sit jurisdictio prælatorum religionis in novitios . . . 598

Quæstio II^a. A quibusnam absolvi possint novitii. 598

CAPUT IX. De privilegiis novitiorum et potestate eos ordinandi 599

Quæstio I^a. Quænam sint de jure communi novitiorum privilegia. 599

Quæstio II^a. A quo novitii ordines recipere possint aut debeant 599

CAPUT X. De novitiorum obligationibus 600

SECTIO II. De professione 602

CAPUT I. Quid et quotuplex sit professio. 602

Quæstio I^a. Quid sit professio late sumpta et stricte sumpta?. 602

Quæstio II^a. An ad constituendum aliquem vere religiosum requiratur professio, et an sufficiat late sumpta 603

Quæstio III^a. Quid expressæ et tacitæ professionis nomine intelligatur . . 604

CAPUT II. Enumerantur decem requisita ad valorem professionis, sive tacita sit, sive expressa. 604

Requisitum I. Ut persona sit habilis ad ingrediendam religionem 604

Requisitum II. Ut profitens decimum sextum annum compleverit 604

Requisitum III. Ut præcesserit integer probationis annus 605

Requisitum IV. Ut fiat cum intentione professionem faciendi 605

Requisitum V. Ut professio non emittatur ob fraudem seu dolum 605

Requisitum VI. Ut non fiat ex vi vel metu 605

Requisitum VII. Ut emittantur expresse vel æquivalenter tria vota substantialia 606

Requisitum VIII. Ut professio fiat in aliqua religione approbata. 606

Digitized by Google

Pag.

Requisitum IX. Ut professio acceptetur ab habente ad id potestatem . . . 606

Requisitum X. Ut profitens nullam apponat conditionem, substantiæ religionis repugnantem. 606

CAPUT III. Solvuntur nonnullæ quæstiones circa professionem tacitam . . . 607

Quæstio I^a. Quodnam fuerit jus commune circa professionem tacitam, ante Tridentinum concilium. 607

Quæstio II^a. An hodie etiam valide fieri possit et quandoque fiat professio tacita. 607

Quæstio III^a. Quænam requirantur ad valorem professionis tacitæ 609

CAPUT IV. Solvuntur nonnullæ quæstiones circa professionem expressam . . 609

CAPUT V. Ad quem pertineat novitios ad professionem admittere 611

§ I. Num potestatem habeat Episcopus novitios ad professionem admittendi? 611

Propositio I^a. In ordinibus exemptis non potest Episcopus quemquam ad professionem valide admittere. 611

Propositio II^a. Etiamsi monasteria non sint exempta, non spectat ad Episcopum admittere ad professionem, secluso casu negligentiæ ex parte conventus. 612

Propositio III^a. De jure particulari, v. g., ex consuetudine vel privilegio, potest ad Episcopum, etiam solum spectare admissio ad professionem. . 613

Propositio IV^a. In congregationibus quæ simplicia tantum vota emittunt, an et quatenus admissio pertineat ad Episcopum, videtur determinandum ex ipsarum constitutionibus, vel legitima consuetudine : quod si constitutiones vel consuetudo id non determinaverint, non videtur admissio pertinere ad Episcopum, nisi de consensu congregationis 613

§ II. Quinam religiosi potestatem habeant novitios aut novitias ad professionem admittere? 615

CAPUT VI. De effectibus professionis valida 616

CAPUT VII. Per sæcularisationem religiosi professi non annullatur abdicatio bonorum per eum facta 618

CAPUT VIII. De ratificatione professionis invalidæ. 619

Propositio I^a. Nulliter professus potest professionem suam validam reddere eam ratificando expresse aut tacite, dummodo hic et nunc sit liber ab impedimentis professionem annullantibus. 619

Propositio II^a. Ut valide fiat ratificatio, non requiritur novus consensus ex parte eorum ad quos spectat novitios ad professionem admittere . . 620

Propositio III^a. Si quis ad professionem admissus fuerit a non habentibus potestatem, necesse est, pro valida ratificatione, intervenire consensum eorum qui legitime admittere valeant 622

Propositio IV^a. Non convalidatur professio nulliter emissa, per renovationem aut ratificationem votorum, quæ fit quotannis in quibusdam religionibus ex præscripto regulæ, a sede Apostolica approbatæ 623

Propositio V^a. Si forte in synodo diœcesana vel provinciali præscriptum

Digitized by Google

Pag.

fuerit, ut regulares ante susceptionem sacrorum ordinum professionem suam ratificent, per hanc ratificationem non convalidabitur professio nulliter emissa 623

Propositio VI^a. An nulliter professus, sed nullitatem ignorans, professionem suam valide ratificasse censendus sit per subsecutos actus, professionis tacitæ inductivos, vehementer controversum fuit 628

Propositio VII^a. Professio nulla ex non expleto anno probationis, videtur non revalidari tacite ex permanentia in religione 624

CAPUT IX. Quomodo intelligenda sit Tridentina lex circa religiosos prætendentes professionem suam esse invalidam 628

Quæstio I^a. An jus reclamandi contra valorem professionis tam monialibus quam viris religiosis competat 629

Quæstio II^a. An possit fieri reclamatio ob quamcunque causam 629

Quæstio III^a. An reclamare valeat qui auctoritate propria dimisit habitum, vel cum habitu discessit absque superioris licentia? 629

Quæstio IV^a. Apud quos judices reclamare valeant regulares, qui nullam professionem suam prætendunt? 630

Quæstio V^a. An possit fieri reclamatio, etiam post elapsum quinquennium?

CAPUT X. An ille qui scit professionem suam esse invalidam, sed nequit illud probare, licite valeat ad sæculum redire et matrimonium contrahere, ita ut decretum Tridentinum illud prohibens censendum sit valere tantum in foro externo, non autem quoad conscientiam 631

§ I. Sententia affirmans 631

§ II Sententia negans 635

§ III, Adnotantur nonnulla quæ veram esse Fagnani sententiam vehementer suadent 637

Propositio I^a. Potest quis ad remanendum in religione obligari aliter quam ex vi professionis suæ 637

Propositio II^a. Justum est Tridentinum decretum, etiam quatenus obligans in conscientia nulliter professos ad remanendum in religione, sive quando non possunt nullitatem probare, sive quando intra quinquennium non probarunt 638

Propositio III^a. Contrariæ sententiæ præcipuum argumentum falsa nititur hypothesi 640

Propositio IV^a. Legis ecclesiasticæ obligatio restringenda non est ad forum externum, nisi in casu quo injusta foret si obligaret etiam in conscientia. 640

Propositio V^a. Ex præcedenti conclusione sequitur corruere aliud præcipuum sententiæ contrariæ argumentum 641

CAPUT XI. An professio nulliter emissa valeat saltem tanquam votum simplex 642

Propositio I^a. Professiones nullæ ex defectu consensus vim votorum simplicium non habent. 642

Propositio II^a. Professiones invalidæ, ex alio capite quam ex defectu con-

Digitized by Google

Pag.
sensus, valent tanquam votum simplex 645
Propositio III^a. Professio conjugati, nulliter emissa ex defectu consensus conjugis, non obligat ad ingrediendam religionem, conjuge mortua, vim tamen habet voti perpetui 646
Propositio IV^a. Professio nulla, quod emissa fuerit in religione non approbata, effectum habet voti simplicis et obligat ad approbatam religionem ingrediendam 646
CAPUT XII. An nulla sit professio tacita, quando fit extra conventus, pro recipiendis novitiis auctoritate Apostolica designatos 649
CAPUT XIII. Quomodo procedendum sit in judicandis causis nullitatis professionum (remissive) 650
SECTIO III. De juris dispositionibus, quæ monialium novitiatui et professioni speciales sunt; puellasve in ipsarum conventibus educandas concernunt 651
CAPUT I. An et quatenus religionem ingredi volentes possint et debeant ab Episcopo examinari 651
Quæstio I^a. Num dictum examen ab Episcopo bis fieri possit aut debeat; id est, ante susceptionem habitus et ante professionem: an vero semel, id est, vel ante velationem, vel ante professionem 651
Quæstio II^a. An dictæ explorationis omissio novitiatum et professionem invalidet 653
Quæstio III^a. An dicta potestas et obligatio Episcopi ingressuras religionem examinandi, locum habeat etiam quoad moniales exemptas 653
Quæstio IV^a. Intra quod tempus debeat dicta exploratio ab Ordinariis fieri 654
Quæstio V^a. Quo loco fieri debeat dicta exploratio 655
Quæstio VI^a. Quænam interrogationes fieri debeant 655
Quæstio VII^a. An dicta Ordinarii potestas et obligatio monachandas examinandi, intelligenda etiam sit relative ad monialium congregationes, quæ vel simplicia duntaxat, vel nulla vota nuncupant 656
CAPUT II. Quomodo jure cautum sit, ne admitti possint novæ moniales ultra numerum, pro unoquoque conventu præfigendum 658
CAPUT III. Quid liceat et observari debeat circa dotem exigendam 660
Quæstio I^a. Quid nomine dotis intelligatur 660
Quæstio II^a. An simoniacum sit, aut aliquatenus illicitum, dotem exigere ab ingressuris in religionem, ac de ea pactum inire 660
Quæstio III^a. An monasteriis etiam valde opulentis licitum sit dotem recipere 662
Quæstio IV^a. An monialibus liceat postulantem absque dote recipere . . 662
Quæstio V^a. Ad quem pertineat dotis taxatio 663
Quæstio VI^a. Quænam sint præcipuæ aliæ juris dispositiones circa dotes monialium 664
Quæstio VII^a. An et quatenus præmissa circa dotem applicanda veniant

Digitized by Google

Pag.

monialium congregationibus, quæ vota solemnia non habent. 664

CAPUT IV. In congregationibus vota solemnia non habentibus, si moniales post obtentam votorum dispensationem egrediantur, ipsis restituendæ sunt dotes 665

CAPUT V. Adnotantur alia nonnulla quæ monialium novitiatum et professionem respiciunt 666

Quæstio I^a^. Quanam ætate puella recipi possit ad habitum 666

Quæstio II^a^. An moniales licite possint novitiam rejicere sine justa causa. 667

Quæstio III^a^. An possit Ordinarius moniales cogere ut causam exprimant cur novitiam rejiciunt. 667

Quæstio IV^a^. An valeat professio monialium, facta in manibus superiorissæ. 667

Quæstio V^a^. An puellæ ad habitum receptæ imponi debeat nomen sanctæ. 667

Quæstio VI^a^. An teneantur moniales habere locum separatum pro novitiis. 668

Quæstio VII^a^. An possit apud moniales fieri novitiatus in habitu sæculari. 668

Quæstio VIII^a^. An tempus novitiatus apud moniales incipiat a tempore acceptationis, an vero duntaxat a tempore suscepti habitus. 668

CAPUT V. De puellis quæ intra clausuram monialium educantur, necnon de feminis sæcularibus quæ ibidem degunt 668

Quæstio I^a^. An et quibus servatis conditionibus in monialium conventibus admitti valeant puellæ, educationis causa. 668

Quæstio II^a^. An præmissæ conditiones pro educandarum puellarum receptione, debeant hodie a monialibus Galliæ observari. 669

Quæstio III^a^. Quid observandum sit quoad puellarum, in conventu educationis causa degentium, desponsationem et matrimonium. 671

Quæstio IV^a^. Quid observandum sit circa dictas puellas, quoad communionem paschalem, viaticum, extremam unctionem et sepulturam. . . . 671

Quæstio V^a^. An et quatenus prohibitum sit puellas cogere ad ingrediendum monasterium. 672

Quæstio VI^a^. An præter puellas educandas, recipi possint in conventu aliæ feminæ, et quid circa ipsas observandum. 672

Index rerum. 675

FINIS INDICIS.

Digitized by Google

Digitized by Google

UNIVERSIDAD
BIBLIOT
DE LA PAZ

Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google